Der Universitätsbibliothek zu Toronto
als Geschenk überreicht
von
der Königlichen öffentlichen Bibliothek
zu Dresden (Königreich Sachsen)
1892

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

Z 6 36

http://www.archive.org/details/deveterisnumisma00rink

HNum R5828d

DE VETERIS NVMISMATIS POTENTIA ET QVALITATE

Lucubratio,

occaſione Rubricæ Codicis de eodem Argumento;

ſive

COGNITIO TOTIVS REI NVMARIAE

AD

INTELLIGENTIAM IVRIS ACCOMMODATA.

Acceſſit

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

NVMO VNICO,

Cum multis aliis cognitioni Numorum conducentibus.

Doublette

LIPSIAE & FRANCOFVRTI,

Typis & impenſis IODOCI WILHELMI KOHLESII, Typographi Altdorfini.

A. O. R. cIↄ Iↄ CCI.

24125
6|8|92

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De verborum explicatione: Pecunia, Moneta, Numus, Æs. Pecunia a pecude, Moneta a monendo, Numus ἀπὸ τȣ̃ νόμȣ, derivatur.

CAPUT II.

De Autore numorum, qui incertus. Ante Patriarcharum tempus numi ſunt cuſi. Pecunia cum Philoſophia a Græcis ad Latinos pervenit. Quis Græcorum numorum autor? Signa græcorum numorum. Eorum Materia. Species variæ. Græcorum ſcribendi ratio in numis. Autor numorum latinorum; Servius, Numa, Saturnus, Janus. Quid Ratis in numis æreis, quid bifrons caput ſignificet? Biceps forma non ſoli Jano propria. Primi numi cum pecude reſtant.

CAPUT III.

An numi antiqui monetæ uſum præſtiterint? Diſceptatio Erizzonium inter & Vicum. Habuerunt Romani numos, qui non pecuniæ loco erant, ut ſigilla ſeu metalliones. Earum deſcriptio. Crotoniati numi quales ſint, unde orti & dicti. Noſtra Epicriſis. Numus Spindria dictus a Tiberio cuſus.

CAPUT IV.

Æreorum numorum Materia. Æs regulare, Caldarium, varia ejus nomina. Magnitudines numorum. Numerus omnium numorum. Prima, ſecunda & tertia magnitudo. Numi ex duobus metallis conflati. Æs Corinthium. Communis de illo fabulæ refutatio, noſtra opinio. Cognitum fuit ante Corinthi expugnationem. Ejus tres ſpecies. Hodie parari poteſt. Scribendi ratio in numis Romanis.

CAPUT V.

Numi vilioris materiæ. Aſſes ſcrotei, numi ſtannei, numi plumbei. Per numum Dn. Fæſchii plumbeum, Baudeloti opinio de illis refutatur. Numi ferrei.

CAPUT VI.

As primus Romanorum numus. Uſuræ ab aſſe diviſæ. Cur æs grave dicatur? An aſſes ſignatos Romani appenderint. Negotia per æs & libram. Valor numorum æreorum. Minores numi ærei. As primus nondum imminutus ſupereſt. Signa Valoris in ære. Aſſis imminutio.

CAPUT VII.

Argentum pro quavis pecunia ſumitur. Romani ante ſuos argenteos, alienis utuntur. Aurum & Argentum Romæ diu cognitum. Flaviſſa quid ſit. Initium argenteæ monetæ. Chiffletius ante Plinii tempus definitum, cuſos fuisſe argenteos oſtendit. Argentum purum effoſſum. An Romani artem ſeparandi calluerint? Puritatis gradus in argento. Argentum ad ſummam puritatem deduci poteſt. Argentum Puſtulatum. Bonitas numorum argenteorum. Eorum fatales periodi. Series bella. Numi incoctiles.

CAPUT IIX.

Species argenteorum numorum. Valor Denariorum. Bigati, Quadrigati, Serrati, Quinarii. Victoriati peregrini fuerunt. Seſtertii. Numus abſolute ſic dictus ſeſtertium denotat, & alias ſpecies. Modus numerandi Seſtertios. Latinorum in numerando elliptica locutio. Aliæ minores Denarii diviſiones. Quædam ſpecies numorum in jure repertæ. Signa valoris in numis argenteis. Scribendi modus ſeſtertios.

CAPUT IX.

Numi Pelliculati non poſſunt dici bracteati aut ferruminati. Eorum ætas. Affines ſunt Pelliculati & Serrati. Subærati ad Galienum usque inveniuntur. Numi perforati. Numi ſubferrati argentei. Dantur aurei ſubærati. Numi auro tincti. Numi ærei ſubferrati. Ars eſt inimitabilis in pelliculatis. Antiquorum differentia & hodiernorum.

CAPUT X.

Aurum a cuſtodiendo dictum. Aureorum numorum Autor. Unde Romani aurum acceperint. Aurum ramentitium. Numi Græci aurei. An Romani æs ab auro ſeparare potuerint?

rint? Aurum Obryzum, unde dictum. Aurum Ballucæ. Auri indicatura. Quid Κεράτιον, quid Follis? Bonitas aureorum veterum.

CAPUT XI.

Species numorum aureorum: Aureus, ſolidus, Denarius. Aureus pondere varius. Magni aurei. Diviſoria moneta aurea ab Alexandro Severo. Aureorum proportio reſpectu noſtræ monetæ. Pondus aureorum imminutum. Aurei numi in jure. Valor aureorum. Aureus mille ſeſtertiorum. Electrum quid ſit. Ejus uſus. Numi electrei.

CAPUT XII.

Ad quem pertineat monetam cudendi poteſtas. Triplex ſtatus Romanus. In hoc jure ſummus honor. Hiſtoria numi Indici. Hodie hæc poteſtas proprio jure ad Imperatorem ſpectat. Londinenſium jus ſingulare. Jus Imaginum. Romæ Magiſtratus Jus monetæ exercebat, poſtea per Triumviros. Curatores Denariorum. IV. Viri monetales. Triumviri R. P. C. III. Viri Monetales Impp. tempore, Prætores, Præfecti, Procuratores monetæ. Coloniarum jus monetandi. Germanorum jus ſingulare in Gallia.

CAPUT XIII.

Romæ Officina monetalis Templum Junonis. Monetarii qui ſint? Inſignes falſarii, eorum multitudo & ſeditio. Modus parandi numos. Savoti modus reſtringitur. Numi ex percuſſione hiantes ſunt æſtimandi. Numi incuſi ſeu umbini. An Romani, ad unumquemq; numum parandum, novo iconio uſi fuerint? Numi ejusdem marculi plures inveniuntur. Ærarium, ſeu fiſcus. Athenienſes ſub ædibus Minervæ, Romani ſub ædibus Saturni ærarium habebant. Duplex ærarium Conſulum & Impp. tempore Modus ſuſcipiendi Pecuniam Imperatoriam, Imperatores adorati in numis. Modus adorandi.

CAPUT XIV.

DE VETERIS NUMISMATIS POTESTATE Titulus Codicis. Ejus prima lex. Principum æternales vultus Partes numi eſſentiales. An moneta ſit, ſi impreſſa facies deleta. Valor numorum extrinſecus & intrinſecus. Liga numorum.

Lex ſecunda. A mutatione auri reliquæ pecuniæ mutatio. Lex tertia & tituli ultima. Aureorum immutatio. Numi Obryzati. A quovis Imperatore puros & adulteratos habemus numos. Zygaſtatis officium. Veteris numiſmatis potentia non perpetua fuit. Caracallæ facinus. Caligulæ numi deleti. Hodierna numorum veterum potentia in juris negotio. Vendi & emi poſſunt. Uſusfructus in numis. Sub auro & argento legato non veniunt numi.

CAPUT XV.

Numiſmatum veterum uſus in Republica literaria, imprimis in hiſtoria. Chiffletii judicium de hoc ſtudio. Germanorum merita circa illud. Numi hodierni per artem ſculptoriam vulgantur. Exempla variorum Regnorum. Romani jam ſuo tempore erudite utebantur numis. Numi hiſtoriam cuſtodiunt, neglectam ab hiſtoricis. Numis falſa inſculpta: Numi ab eruditis non intellecti. Numi ſuppoſititii pro genuinis habiti. Alterum antiquariorum extremum diffidentia.

CAPUT XVI.

Cognitio numorum mechanica. Modus conficiendi & cognoſcendi falſos numos ex ærugine, falſi excavati. Novum fraudis genus. Numi ad imitationem veterum cuſi. Falſarii celebriores Joh. Cavinus, Laurentius Parmeſanus, Crateronius, Valerius Bellus. Numi fuſi adulterini. Numi fuſi antiqui. Fundendi modus. Verniginis compoſitio hodiernæ. Vernigo naturalis varii coloris. Numus aſper & curtus. Numi Romanorum inſignioris cælaturæ. Ars in numis una cum ſtatuaria defecit.

CAPUT XVII.

Antica numi pars potior. Numi nullum caput & plura referentes. Quinque numorum ſeries ex antica & poſtica formatæ. Dn. Wagneri Hiſtoria Parthica. Dn. Sperlingii Gothicorum numorum deſcriptio. Priorum Cæſarum numi ad Conſulares pertinent. Goltzii, Urſini, Patini Conſulares. Julius Cæſar primus effigiem numis imprimit. Præter Impp. aliarum perſonarum in numis facies. Numi reſtituti. Imperium altum; Imperium baſſum. Capita adverſa, jugata.

Chriſtus in numis & B. Virgo Mater. Capita corona radiata. Conſtantinus M. ſubleſtæ religionis: qui defenditur.

CAPUT XVIII.

Poſtica numi pars. Cur pecunia ænigma dicta. Primæ monetæ Rom. poſtica, ſeu ratiti numi. Conſularium poſticæ. Græci numi Imperatorii latinis præſtantiores. Differentia inter circumſcriptionem & inſcriptionem. Titulus Principis & Domini. Monogrammata. Mariæ. ☧ a gentilibus uſurpatum, nec non crucis ſignum. Figurarum poſitio. Plures figuræ in numis. Imperatoris figura in utraque parte numi. Metallionum excellentia. Epocharum explicatio difficilis. Civitates Neocores. Anni vitæ in Commodi numis. Λυκάβαντος quid ſit? S. C. qualem vim habeat. Quid ſignificet porro. C. S. Quid ſit? Quid Γ. Β. Quid Δ. Ε. Monetariorum ſigna inexplicabilia. Numeri in Conſularibus incogniti. Ordo numorum ab Oiſelio deſcriptus.

CAPUT XIX.

Inſcriptiones in numis. Officiorum tituli, Conſulum tempore & Impp. Gratianus primo Pontificatum depoſuit. Illuſtria Principum facinora. Nomina Romanorum quotuplicia. Tituli quibusdam Impp. proprii. Dii certi ab Imperatoribus culti. Tituli in quo caſu poſiti. Tituli græcarum Civitatum. Vota pro Imperatoribus ſuſcepta. Tituli Imperatorum. Auguſtorum Tituli. Adoptivorum. Ordo ponendi Inſcriptiones. Numi ſine Inſcriptione.

CAPUT XX.

Notitia Symbolorum in numorum antica. Capita in genere. Auguſtarum capita. Capita nuda. Capilli. Barba. Ornamenta capitum. Coronarum variæ ſpecies. Deorum capita. Buſtorum ornamenta. Ornamenta quibus manus occupantur. Amazonum ſymbola. Figuræ ad balteum usque. Symbola poſticæ partis. Variarum rerum. Inſtrumenta ſacrifica. Deorum Dearumve Symbola. Virtutum Symbola. Fluviorum. Provinciarum. Coloniarum Religio. Animalia qualia ſymbola conſtituant?

CAPUT XXI.

Numorum pretium ac raritas. Juſtum rariſſimorum pre-

tium 50. Thalerorum. Unde numorum differentia. Modus rarus inveniendi numos. Vaillant numorum raritatem notavit. Numi in Gallia rari, in Italia non, & vice verſa. Conſularium rariores recenſentur. Omnium rariſſimus Horatii numus. Numus Bruti. De libertatis pileo notabilia quædam. Rariores Imperatorii numi. Metalliones ex Auro, Argento, argento æroſo. Metallio ſubærata. Regula circa magnitudinem numorum. Othonis ærei numi. Peſcennii numi. Gordianorum African. numi. An quatuor Gordiani? Tranquillinæ numi. Rariores aurei, rariores argentei. Numi inſuper notati. Numi rariores noſtri ævi. Numus omnium maximus Danicus. Rarum Anglicum numorum genus ſculpt: Anglorum & Hiſpanorum Injuriæ & retorſiones. Uncialis Mansfeldicus: BEI GOTT IST RATH VND THAT. Genuina Hiſtoria uncialis Haſſiaci: BESSER. LAND. VND. LEVT. VERLORN. Numus noſter memorialis ſecularis.



- *Altera* *A Sinistra parte*

ſummo aeii nominis e certa e nube manus apparet cum ſupra Scripto: Dies ſalutis.


et Mar *A Dextra*

S pueri exſaltantes cum Sertis et corollis lætitiæq; ſignis aliis cum adſcriptione: Dicent Poſteris.

tium 50. Thalerorum. Unde numorum differentia. Modus rarus inveniendi numos. Vaillant numorum raritatem notavit. Numi in Gallia rari, in Italia non, & vice verſa. Conſularium rariores recenſentur. Omnium rariſſimus Horatii numus. Numus Bruti. De libertatis pileo notabilia quædam. Rariores Imperatorii numi. Metalliones ex Auro, Argento, argento æroſo. Metallio ſubærata. Regula circa magnitudinem numorum. Othonis ærei numi. Peſcennii numi. Gordianorum African. numi. An quatuor Gordiani? Tranquillinæ numi. Rariores aurei, rariores argentei. Numi inſuper notati. Numi rariores noſtri ævi. Numus omnium maximus Danicus. Rarum Anglicum numorum genus ſculpt: Anglorum & Hiſpanorum Injuriæ & retorſiones. Uncialis Mansfeldicus: BEI GOTT IST RATH VND THAT. Genuina Hiſtoria uncialis Haſſiaci: BESSER. LAND. VND. LEVT. VERLORN. Numus noſter memorialis ſecularis.


Nummus Danicus totius Europæ Maximus.


Nummus memorialis in reparatione Seculi et Fastorum 1700.





Nummus æreus ſubferratus ex cimeliarchio Wagenſeiliano.







Altera nummi facies instructas apparatu bellico naves dimicantes ſummo artificio repræſentat, præſertim navis Christianus quintus et Mars Sueciæ dictas, cum ſupra ſcripto:

Sic codani turbas conciliaſſe juvat
I. Iulii. Anno 1677.

A Sinistra parte

Regii nominis exerta e nube manus apparet cum ſupra ſcripto: Dies ſalutis.

A Dextra

Octo pueri exſultantes cum ſertis et corollis lætitiæq; ſignis aliis una cum adſcriptione. Dicent Poſteris.


HENRICUS II ANGLIA REX DUX NORMAN
etc







DE

VETERIS NUMISMATIS POTENTIA ET QUALITATE.

CAPUT I.

De verborum explicatione: Pecunia, Moneta, Numus, Æs. Pecunia a pecude, Moneta a monendo, Numus ἀπὸ τοῦ νόμου derivatur.

§.I. RErum humanarum viciſſitudo etiam ſe illis immiſcet rebus, quas, etſi illis carere poſſimus, delectationi noſtræ reddimus neceſſarias, indeque vidimus in ſtudia degenerare difficilia ac operoſa, quorum ludo tantum deceret otioſas horas conſumere, ut à curis laſſatum reficeremus animum ac reſtauraremus. Luſerunt ſuperiora ſecula numis antiquis, in quibus addiſcendis nunc ſatis deſudat hodierna ætas: Num juri etiam noſtro hæc nova ſcientia conducat, ſuperſedeo longis probare periodis, nam ſufficit dicere, Cujacium, magnum JCtum, multa ex illis hauſiſſe, in quem finem inſtructiſſimo gaviſus eſt Cimeliarchio; eundem uſum & delectationem

Delectatio ſæpius in laborem degenerat.

Ut numorum notitia, quæ Juri utilis.

tionem perceperunt Cl. Chiffletius & Hotomannus JCti, ita,ut de antiquo Numiſmate erudite ſcripſerint, etiam graviſſimis negotiis diſtracti. Alii ſummi Viri eundem laborem ſuſceperunt; ſed diſciplina eſt, quam indies augent noviter reperta. Placuit itaque recentiorum congerere obſervationes politioribus ſtudiis neceſſarias & juri noſtro utiles, ut promtum nobis ſit dignoſcere,

Indies illa politur.

Pers. ſat. III.

Quis modus argento, quid vas optare, quid aſper
utile nummus habet. - - - - - - - -

Non ingenium, non rerum prudentia velox, ſed rerum avaritia inſatiabilis & amor ſceleratus habendi mortales condocuit,

Horat.

- - *Quid diſtent æra lupinis.*

Verba valent ſicut nummi, nummi autem valent, ut titubans cupidinis opinio conſulit imo præcipit; inde eleganter dicit Ariſtoteles, ille ab imperio Philoſophiæ detruſus Tyrannus, *Ethic. lib.* 5. *c.* 5. quod nummi non natura, ſed νόμῳ i. e. Lege valeant, quod excipiens Remnius Fannius Palæmon in *poëmate de ponderibus* ita explicuit:

Nummi non natura valent, ſed arbitrio hominum.

- - *non fœdere certo*
Naturæ, ſed lege valent hominumque repertis.

§. II. Varias autem illa humanæ, dixerim ne malitiæ, inſtrumenta, ſecundum variam hominum reflexionem, appellationes ſunt ſortita: nolo extra oleas rem protrahere & circa tropicam appellationem ſolicitus eſſe; flores Virgilius appellat in illo vexatæ interpretationis verſu:

eorum appellatio varia.

Dic, quibus in terris inſcripti nomina Regum
naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto.

ſed rem acu tetigit, qui opponit cum Ovidio:

Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Moneta, Nummus, Opes, Pecunia, rei conſecrata nomina invenimus, quæ Græci vocabant νόμισμα, χρῆμα, κέρμα χαλκός. Alii ex conſuetudine, nos ex conſilio Ulpiani, *l.* 1. *ff. de J. & J. l.* 1. *ff. de reb. cred.* verba ſine quadam inveſtigatione præterire non poſſumus; eandem rem denotant, & non niſi ſono differunt: nam *aurum, argentum, æs vel alia materia publica authoritate in eam vim ſignata,* his vocabulis exprimitur, *l.* 1. *ff. de contr. emt.* Pecuniæ tamen nomen familiam quaſi ducat, nimirum quia ætate

Moneta, Nummus, Opes, Pecunia

ejus definitio.

tate

tate cæteris eſt ſpectabilius, & putat laud. Chifflet. *de antiq. numiſm. c.* 1. quod ante nummi uſum uſurpatum fuerit, quia à pecudibus originem trahit, ut omnes Autores unanimo conſenſu fatentur, & diſerte Plinius & Agellius id exprimunt, hic ſequentibus verbis utitur l. 20. *Urgente bello unciales cum nota Jani bifrontis & roſtris navis, & alii effigie pecudum, unde pecunia dicta, ſignati fuerunt*; Ille *lib. 33. c. 3.* ſic loquitur: *Æs ſignatum eſt nota pecudum, unde & pecunia appellata.* Placuit quidem allegato Chiffletio hanc Plinii opinionem à Patino & multis aliis Clariſſimis Viris approbatam hactenus in dubium vocare, quod non à figura, ſed bonis ita fuerit dicta, nam ſubſtantia omnis veterum in pecudibus conſiſtebat. a pecude Pecunia eſt dicta. Chiffletius à ſubſtantia rerum ita appellari autumat.

Cetero luxuriæ nondum inſtrumenta vigebant,
aut pecus aut latam dives habebat humum;
Hinc etiam locuples, hinc ipſa pecunia dicta eſt. *Ovid. 5. Faſt.*

Adeo ut etiam primis Reipubl. temporibus duobus ovibus mulctarentur, qui minora admiſerant delicta, vid. Gell. *l. 11. Noct. Att. c. 1.* quem morem corroborat Livius *l. 29.* de Maſſylis Africæ populis ita ſcribens: *Familiæ aliquot cum mapalibus pecoribusque ſuis, ea pecunia illis eſt, perſecuti ſunt Regem*; ſed controverſia nullius momenti vix indiget deciſione. Impreſſa tamen figura vel facies non raro materiæ nomen dedit, ita Darici, Philippici à Darii & Philippi facie nomen trahunt. Strabo numos memorat ab Homero appellatos, cujus faciem præ ſe ferebant, καὶ δὴ καὶ νόμισματι χαλκῦν παρ' αὐτῦς Ὁμήρειον λέγεται. Impreſſa figura ſæpius dedit nomen pecuniæ.

§. III. Dubio caret, quod per gradationem rerum & metallorum pretium invaluerit. Prima hominum innocens infantia luſit tantum rebus, quas natura nulla adſiſtente arte proferebat; adultior jam curioſa ætas, quam auream vocant, æreo contentus erat Jano; mediæ argenteæ ætatis appetitus ad argenteas excrevit bigas; ſed avaritia æneæ ætatis Philippos aureos perſequitur, & ipſa invadit ſacra. gradatim invaluit rerum pretium.

Aurum vaſa Numæ, Saturniaque impulit æra,
Veſtalesq; urnas & Thuſcum fictile mutat. *Perſ. Sat. II.*

Quoniam etiam hi gradus in jure noſtro occurrunt, ejus obſervationem inculcat Anton. Contius *in diſp. c. 16.* dicit enim, quod veteres leges in ærariam ſive aſſium rationem inclinent; media jurisprudentia obſervet argentariam ſeu ſeſtertiariam; & quod tantum Impp. pecuniam ad aurariam rationem æſtiment. gradus pecuniæ in jure obſervati.

B ment.

Germania diu ignorat pecuniæ uſum. ment. Retinuit Germania noſtra ſapientem hanc ſuam infantiam ſatis diu, ita ut nec Taciti temporibus alius mercandi modus conſuetus eſſet, quam per rerum mutationem, & auri ſacram famem ex parte ignorarent: *Poſſeſſione*, inquit *cap. 5. de morib. German.* *& uſu auri & argenti haud perinde afficiuntur; Eſt videre apud illos, argentea vaſa legatis & Principibus eorum muneri data non in alia utilitate, quam quæ humo finguntur, quamquam proximi ob uſum commerciorum aurum & argentum in pretio habent, formasq; quidem noſtræ pecuniæ agnoſcunt atque eligunt; interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium utuntur, pecuniam probant veterem & diu notam, ſerratos bigatosq;, argentum quoque magis quam aurum ſequuntur nulla affectione animi, ſed quia numerus argenteorum facilior uſui eſt, promiſcua ac vilia mercantibus.*

permutandi modus incongruens. Attamen permutandi ratio non ſolum minus commoda erat, ſed etiam propter intrinſecam rerum bonitatem nimis pericuLoſa; hinc ejus locum ſignatum æs occupavit, aptior fraudis modus.

§. IV. Retinere etiam potuit à priſca pecudum permutatione nomen pecunia, ut demonſtrat Dn. Wagenseilius, ſeculo ac cedro dignus Polyhiſtor, Patronus ac Præceptor noſter ætatem devenerandus, in *tr. de re monet. c. 3.* Cenſuit non ſolum Plato in *l. 5. de LL.* ex ſua nimirum hypotheſi, quod Reipublicæ interſit monetam cudi, ſed etiam *l. 1. ff. de contrab. emt.* incommodum permutationis his verbis demonſtrat: *non ſemper eveniat, ut, quod alteri ſupereſt, alteri deſit, nec facile concurrat, ut cum tu haberes, quod ego deſiderem, invicem haberem, quod tu accipere velles.*

Pecuniæ ſignific. in jure. De cetero pecuniæ verbum etiam in jure noſtro vario ſenſu accipitur, ut docet Rebhan. *in hodeget. jur. char. 3. clim. 4. Parall. 5. §. 4.* Mollenbec. *in div. jurid. cent. 2. §. 21.* & Almers *in Manual. Jur. voc. pec.* nam late ſumitur pro toto patrimonio, ut *in l. 5. l. 178. l. 222. d. V. S.* ſtricte denotat res fungibiles, *l. 30. ff. de leg. 1. l. 2. §. 3. π. de reb. cred. l. 2. §. 1. ff. de conſtit. pec.* numos ipſos *l. 88. ff. de V. S.* ſtrictiſſime exprimit.

An pecunia aliam rem ſignificet? Hic etiam non poſſum non in memoriam vocare diſſenſum ortum Erizzonium Italum inter ac Savotum Gallum: Putat enim Erizzonius in eruditiſſimo tractatu, cui titulus *Diſcurſi ſopra le Medaglie de gli antichi*, quod numus, moneta, pecunia, etiam alias res denotaverint. Nolo rem

fuſi-

fuſius tradere. Ineſt Erizzonii opinio & Savoti Reſponſio, his verbis Savoti in libro, cujus titulus: *Diſcours ſur les Medailles antiques. part. 1. c. 4. Que les Anciens ne ſe ſont pas ſervis de ces mots, Numiſma, numus, moneta, pecunia, pour ſignifier une image ayant la forme pareille à celle des pieces de monnoye, comme le veut Erizzo, faute de mots propres, pour exprimer telles figures, veu qu' ils avoient les mots, imago, ſignum, ſigillum, Clypeus, ou Clypeum. les Grecs* προτομὴ, *& ſur les derniers temps, Thorax, Thoracida, & lauratum ou labratum.* h. e. *Antiqui non utebantur verbo numiſma, ut Erizzo vult, ad exprimendam imaginem, quia propria verba adſunt, ut imago, ſignum, ſigillum, Clypeus, & apud Græcos* προτομὴ, *ſeu tempore ultimo Thorax, Thoracida & lauratum.* id negat Savot. contra Erizzon.

§. V. Cuſa tandem pecunia,

Protinus erupit venæ pejoris in ævum
omnis fraus.

Venenum etenim eſt peſſimum tam Rei publicæ, quam privatæ, interitus virtutis, vitiorum promotor, ut uno verbo rem exprimam inexplicabilem, pulcra ſpecies eſt, cujus materia omne malum: nam injuſte mortales illam quærunt, & inventa peſſime abutuntur. Quod enim Ariſtotelis opinio vacillet, ſcribentis *Polit. l. 1. c. 6. numum eſſe menſuram rerum omnium, & ſine eo civilem ſocietatem non conſiſtere*, demonſtrat ſuperius adductus Taciti locus de Germanis. Et Claudius Chiffletius, Vir alias doctus, opinioni nimium indulgere videtur, dum *d. l. c. 8.* dicit: quod omnes gentes per jus gentium numorum uſum receperint, *licet*, inquit, *inveniantur quidam populi numi uſum reſpuentes, ideo non minus numus in genere conſideratus juris gentium erit, ſicut nec furtum jure gentium turpe eſſe deſinit, quamvis permiſſa ſint penes Lacedæmonios furta.* Reſpondeo: Rempublicam numis laudabiliter carere poſſe, demonſtrant etiamnum tot populorum exempla. vid. Acoſt. *hiſtor. ind. L. 4. c. 3.* Olaus M. *l. 4. c. 5.* Herberſtein *in itin. Moſcov. p. 57.* nec ſua natura bonum eſt negotium argento uti, quemadmodum objectum ſimile de furtis ſua natura turpe, quod nimis claudicat: Nam Lacedæmonii non furtum permiſerant, ut rem laudabilem, ſed ut minus malum majus ſupprimeret, h. e. ut cives rerum ſuarum accuratiorem gererent curam. Ne quis objiciat diſtinctionem inter Rempubl. bene & male ordinatam; nam cui hominum competit deciſio? Qui *de Sevarambibus* eruditus

Malorum cauſa eſt.

Respubl. conſiſtere poteſt ſine pecunia.

 ditus

ditus autor ſcripſit; Rempubl. ſine pecunia conſiſtentem haud ſenſu cerebrino demonſtravit. Non tamen cenſuram meretur pecunia ipſa, ſed ipſius, in quem declinat, abuſus.

Moneta à monendo dicitur. §. VI. Placet mihi ex hac ratione eorum ſententia, qui *Monetam* alterum Synonymum à *monendo* derivant, vel ob antea adductam rationem; vel quia falſarii pecuniam reddiderunt corruptam, ut ſibi de damno caverent, ob quam cauſam ſerrati ſunt inventi, ne de argento ſubærato ſuſpecti eſſent; vel etiam, quia pondus & character valoris ac poteſtatis numi homines admoneret. *Ammoniſce la moneta,* ſcribit Enea Vico, in *Diſcorſi ſopra le medaglie, L. 1. c. III. del prezzo della ſua grandezza, per il peſo, per la qualità del metallo, e per i numeri ſignati in alcune, quanta merce per quella doviamo dare o ricevere.* h. e. *Admonet moneta de pretio ſuæ magnitudinis, per pondus, per æris qualitatem, quomodo nimirum in commerciis danda ſit & accipienda.* Notum eſt ex Mythologia, quod Juno a monendo olim Moneta dicta fuerit. *Fu anticamente in Roma un tempio,* dicit Agoſti in ſuis dialogis verſionis italicæ *dial. 2. di Giunone Moneta, che fu chiamata coſi perche parue, che Giunone haveſſe parlato in quel luogo, ammonendo i Romani a far un certo ſacrifitio d' una Scrofa pregna, per liberarſi del danno, che un tremoto minacciava.* i. e. *Erat in Roma Templum Junonis Monetæ, quia admonebat hæc Dea Romanos, ut per ſacrificium ſcrofæ ſe liberarent ab imminenti terræ motus periculo.* Quod etiam Cicero affirmat *L. 1. de divinationibus.* Alias cauſas, cur Juno ita fuerit appellata, profert *Roſin. Antiq. Rom. l. 2. c. 6.* Ex hac ratione in jure noſtro verbum moneta denotat interdum officinam monetalem, *l. 38. ff. de pœn. l. 2. C. de falſ. mon. L. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de pec.* quia hæc officina propter templum Junonis poſtea fuit exſtructa; ut infra dicemus. Nec rejicienda Chiffletii opinio l. c. quod moneta ſit, quæ memoriam nobis principalis vultus aut rei geſtæ renovet ac refricet; meminit enim ſe inveniſſe in Græcis MStis probæ notæ ita ſcriptum, *μνημοσύνη.* Imo Romani Impp. ſuorum imagines in moneta cultu quodam venerati ſunt, ad quam idololatriam interdum Lege adſtringebantur: præcepit enim quædam Lex Tiberii, ut Svetonius *in Tiberio*, ne quis, ſub pœna corporis afflictiva, monetam ſuo capite ſignatam ad loca ſecreta ſecum ferret. Sed quid opus eſt lege? etiamnum homines

Renovat memoriam rei geſtæ.

mines ſponte ſua, non ſolum venerantur, ſed penitus hoc idolum adorant.

§. VII. Propterea non adeo abſona illorum eſt opinio, qui numum à Numine ortum trahere arbitrantur, ex quo ſc. numũ homines Numinis inſtar colunt, & pro ſanguine & anima habent, quemadmodum Timocli dicitur apud Stobæum: Ἀργύριον αἷμα καὶ ψυχὴ βροτῶν. De Romanis teſtis eſt Arnobius l. 3. *cont. gent.* aſſerens: *pecuniam velut maximum Numen Romanos coluiſſe*; de hodiernis moribus quivis noſtrum teſtimonium perhibere poteſt. Monetam Deam in numis expreſſam vid. apud Agoſtini l. c. Rejicimus plane eorum traditionem, qui aſſerunt, quod numus à nomine ſc. Principis inſcripto, vel à Numa Pompilio primo inventore oriatur, ut Cæſ. Rhod. *lect. ant. L.* 10. *c.* 2. putat; nec Calvino ſubſcribimus, qui in Lex. jurid. eum à numero deſcendere ſcribit. Sed Budelius *de monet. & re numar. l.* 1. *c.* 1. *n.* 41. & reliqui Grammatici ſtatuunt, quod deſcendat ἀπὸ τοῦ νόμου, unde νόμισμα; nam non valet ex vero, ſed ex hominum arbitrio, quod potentiores per Legem declaraverunt. Tandem haud minus uſitatum invenimus verbum Æs, quod quadantenus cetera Synonyma in latiſſimo ſenſu ſuo ſuperat, non tantum denotat cuprum ſeu orichalcum, & ex illo confectos numos, *l.* 36. *ff. de pign. act.* ſed pro cujuscunq; generis pecunia ſumitur, *l.* 23. *C. ad L. Jul. de adult.* ſicut etiam Opes modo bona omnia, modo tantum numos deſignant. Ab æris vocabulo ærarium habet originem, & quæſtores ærarii ſunt dicti, *l.* 2. *§.* 22. *ff. d. O. J.* Sed ad nauſeam usque vocabulorum inanem collegimus meſſem. Filum abrumpo, ne delectari videar in ambigua vagare obſcuritate: placeant Syllabarum accurationes, cui ſyllabicum eſt ingenium; nimis ſterile eſt negotium verba captare, ut Domitianus muſcas. Unde indeciſum relinquo, an melius ſcribatur numus, ſive nummus, quod vocabulum Siculum eſſe aſſerunt, Varro *L.* 4. *de Ling. Lat.* & Pollux l. 9. Heſichius νουμία ſcribit, Suidas vero νουμμία.

Numus à numine;

non à nomine Principis:

melius ἀπὸ τοῦ νόμου.

Æs numos ſignificat.

 CA-

CAPUT II.

De Autore numorum, qui incertus. Ante Patriarcharum tempus numi ſunt cuſi. Pecunia cum Philoſophia à Græcis ad Latinos pervenit. Quis Græcorum numorum Autor? Signa Græcorum numorum. Eorum materia. Species variæ. Græcorum ſcribendi ratio in numis. Autor numorum Latinorum Servius, Numa, Saturnus, Janus. Quid ratis in numis æreis, quid bifrons caput ſignificet? Biceps forma non ſoli Jano propria. Primi numi cum pecude reſtant.

§. I. HOminum primi nobis non ingenio, ſed experientia inferiores, haud diu, inprimis in callida illa Orientis plaga, ſine nummis vixerunt, & dubio caret, quod reliquas ſcientias antiquitate ſuperet ars illos fabricandi. Mihi temperare haud valeo verba apponere Joberti ex S. I. quibus inchoat aureum libellum, quem laudatus D. Wagenseilius etiam in actis Eruditorum ſua laude dignum judicavit. Eſt ipſi titulus: *La ſcience des medailles. S' il êtoit des ſciences comme de la nobleſſe, qui tire ſa principale gloire de l' ancienneté, la ſcience des medailles ſeroit ſans contredit la plus conſiderable. La ſainte ecriture montre aſſez clairement, que l' employ des metaux pour l' uſage des hommes eſt preſque auſſi ancien que le monde.* De antiquitate conſtat, ſed non liquet Autor, & labyrinthum ingreſſurus eſſem, ſi omnium explanare vellem opinionem. Herodotus Lydos inventores prædicat: alii Phedoni Argivo, alii Erictonio tribuunt; plures colligit opiniones Baudelot de Dairval. *in l' utilité des voyages, p. 11.* vid. Chifflet. *de antiq. num. c. 2.* & Dn. Wagenſ. *de re monet. Rom. c. 2.* Lucanus Regi Theſſaliæ id acceptum fert:

vetuſtiſſima ars fabricandi numos.

autor incertus.

Primus Theſſalicæ rector telluris Jonos (Itonus)
in formam calidæ percuſſit pondera maſſæ,
fudit & argentum flammis aurumq; moneta
fregit, - - - - - -

Jobertus Villalpandi opinionem amplectitur, ſcil. quod Tubalcain Dux & Autor ſit, nam quamquam aliorum ſententia ad Cainum usque aſcendat, Cainus quidem potens erat Venator, pro Tubalcaino autem horum verborum præſumtio militat, Geneſ. c. 4. v. 22. *fuit malleator in cuncta æris & ferri opera.* Quicquid ſit, neceſſum eſt, ut ante Abrahami tempora inven-

Tubalcainus à S. Scriptura nominatur.

inventorem credamus, ſive ante ſive poſt diluvium extiterit, parum intereſt, quia de hoc in ſacro codice legitur Gen. 23. *quod appenderit pecuniam, quam Ephron poſtulaverat, quadragintos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ,* & paulo poſt, c. 33. Patriarcha Jacob numerata uſus eſt pecunia non appenſa, *emitq; partem agri, in qua fixerat tabernaculum, à filiis Hemor patris Sichem centum nummis.* Ortam controverſiam verbi *Nummis* hoc in loco, an non ex textu hebraico verbo *Agnis* ſit interpretandum, pro ſolida ſua eruditione ſopivit Chiffletius l. c. Enea Vico *in Diſcorſi ſoura le medaglie L. 1. c. 3.* hoc reſtringit ad Abrahami tempora, nam videtur ipſi locus de Tubalcaino nimis generalis: Et DN. WAGENSEILIUS ejusdem eſt opinionis d. l. c. 3. ſc. quod cuſæ monetæ uſus invaluerit poſt diluvium: Quibus ſumis Viris, ære etiam non conducti, ſuo modo adſtipulamur.

Patriarchæ numis uſi ſunt.

§. II. Fabuloſa omnis eſt hiſtoria illa, quæ ſingulorum populorum connexionem monetalem tradit, & nodum in ſcirpo quærit, qui ſolide quippiam demonſtrare conatur. Incrementa res cepit, quemadmodum Philoſophia. Conſentiunt eruditi: vid. Voſſii *Theol. Gentil.* c. 1. la Mothe le Vayer, hinc inde in ſuis operibus, quod ab Hebræis Ægyptiis fuerit communicata, Ægyptii Græcis ejus fecerunt copiam, & tandem Romani navibus ex Græcia advexerunt; inde Perſius canit *Sat. VI.*

Pecunia ut Philoſophia à Græcis ad Latinos pervenit.

-- -- -- -- Sapere urbi
cum pipere & palmis venit noſtrum hoc maris expers.

Ælianus *lib. 12. var. hiſt.* non ſolum dicit, quod Æginetes, populus Græciæ potentiſſimus, primos nummos ibi cuderit, ſed & tanquam Græcus totam rei inventionem his conterraneis ſuis adſcribit. Alii, Hermodicem Midæ Regis uxorem primam Cumæis cudiſſe monetam, referunt. V. Cæl. Rhod. *lect. antiq. l. 21. c. 48.* Nulli extant nummi, qui hujus rei teſtimonium perhibere poſſent, qui alias antiquitatis inſtrumenta ſunt fideliſſima. Ad Græcos imprimis quod attinet, qui adhuc à rerum amatoribus aſſervantur, ſequioris ſunt ætatis, & qui primam ætatem attingunt inter illos numerari merentur, quos Hiſpani appellant *medallas deſconnocidas.* Videntur quidam, qui deſtituti inſcriptionibus, rude quiddam exhibent, figura ac opera carens; ea propter ἐπέχω. Savotus dicto loc. p. 4. c. 17. Amyntæ Regis vetuſtiſſimos vocat, ſed poſt Savoti tempora vetuſtiores reperti ſunt. vid. Baudelot. *cit. loc. Part. II. p. 621.* Plutar-

Inter Græcos autor incertus.

Amyntæ Regis non ſunt vetuſtiſſimi.

Plutarchus *in Theſeo* auctor eſt, quod vetuſtiſſimi Athenienſium nummi bovem, *βοῦν*, inſculptum habuerint, quo illos ſignavit Theſeus Rex. Alii Græciæ populi, inter quos civitatum nummi Regum nummis antiquiores ſunt, ſequentibus temporibus peculiaribus ſignis uſi ſunt, quos nummos Golzius ſtupendo ſtudio collegit in libro, cui titulus: *Græciæ univerſæ numiſmata.* Julius Pollux L. 9. commemorat, quod Athenienſes noctuam gererent, qui adhuc frequentes ſunt, ſicuti & nos quosdam poſſidemus; Corinthii Pegaſum; Tarantini Tarantem Neptuni filium Delphino vectum; Dardani, gallorum gallinaceorum pugnam; Aſpendii Luctatores; Rhegini Leporem; Cephaleni Equum; Thaſii Perſam; Argivi murem. Athenæus L. 14. aſſerit: Samios nummis ſuis pavonem impreſſiſſe, quia pavo Junonis, quæ ibi colebatur, ſacrata avis erat. Hoc ſilentio prætereundum non eſt, quod Græci multis, quod ajunt, paraſangis in ſculpendo & cudendo Romanos ſuperaverint; ut videre eſt in nummis, qui nobis reſtant. Sit inſtar omnium allegati Joberti judicium: *Les medailles Grecques ont un deſſein, une attitude, une force & une delicateſſe à exprimer jusqu'aus muſcles & aus veines, qui ſoûtenües par un tres-grand relief ſurpaſſent infiniment les Romaines.* h. e. *Græci numi tanta cælatura gaudent cum eminentia, ut etiam muſculos & venas ibi videas expreſſas.* Quanquam inficias ire non poſſimus, quod etiam Romanis ſuæ debeantur laudes; Cuſtodimus namque Antoninum laureatum cum capite Aurelii, & decurſionem Neronis, qui ſalivam movent, & in ſtuporem quaſi rapiunt. Cæterum obſervavi, quod Græci nummi rariſſime ſciſſuram ſeu rimam ſub matrice paſſi ſint; & ſic concludo, quod ipſis feriendi modus alius fuerit ac Romanis, quorum numi frequenter rupti ſunt. Inter Græcos tamen antiquos nummos dantur pulcritudinis gradus; citatus Pollux Cizicenorum mentionem facit, qui Cybelem cum Leone exhibent, & qui inſigni labore reliquis ſunt ſpectabiliores; Inde nolo intermittere, quod plurimi fecerunt, nempe *Zecchinorum* Venetorum originem demonſtrare. Mihi autor ſit Ferrarius in *originib. Ling. Ital.* qui ab his Cizicenis Zecchinos derivat.

[Signa numis a Græcis impreſſa.] [Græci Romanis nummis præſtantiores.] [Ipſorum modus cudendi alius fuit ac Romanorum.]

§. III. Materiam Græcorum Numiſmatum conſtituebat iſtud a mundo adoratum triplex A. Aurum, Argentum, Æs.

[Græcorū numorū materia triplex A.]

Plum-

plumbum, ferrum, ſtannum non æque ac Romanis, Græcis uſitatum fuit, antiquiſſimos tamen excipio. His materiis modo ſignum conſuetum, modo Deorum ſimulacra, modo Regum capita imprimebant. Quænam materia magis civitatibus, magis Regibus uſitata fuit, WAGENSEILIUS noſter *in tract. de re monet. Rom. c. 4.* lectorem inſtituit: nempe Reſpublicæ ære & argento utebantur promiſcue, Reges vero plurimum argentum, raro aurum, rariſſime æs adhibebant; ergo eorum ænei ſunt auro rariores. Ad eorum quantitatem quod attinet plura infra dicturi ſumus c. 17. Patinus in introductione ad hiſtoriam numiſmatum c. 9. catalogum ponderis nummorum græcorum ex Hilario & Plutarcho *in Solone* exhibet. Juvat illum ſcire: λεπτὸν erat minimum ænei numiſmatis vocabulum; χαλκὸς valebat octavam oboli partem, inde δίχαλκος, τρίχαλκος, τετράχαλκος; Sextam drachmæ partem adæquabat κίδαβος, cui fere & oboli pretium accedebat; Drachma erat argentea moneta ſex obolorum, æquabatque pretium unius denarii Romani; Didrachma duorum; Tetradrachma quatuor, quod Plinius teſtatur *L. 21. c. ult. Drachma Attica denarii argentei pondus habet.* Μνᾶ ſeu mina erat duplex, antiqua & nova, illa 75. hæc 100. drachmarum, talis itaque mina non uno ſed multis numerabatur nummis. Talentum ergo Atticum complectebatur 58. minas, & harum quælibet 100. drachmas, adeoq; drachmarum mille ſive 150. Thalerorum uncialium conficiunt Talentum Atticum. Stater aureus adæquabat duarum drachmarum aurearum pondus, & pretium conſtituebat viginti drachmarum argentearum.

Civitates ære utebantur & argento Reges, raro auro.

Species nummorum græcorũ.

§. IV. Illuſtris SPANHEMIUS, quem natura protulit, ut homines, quem admirentur, habeant, in opere ſuo eruditiſſimo *de U. & P. numiſm. diſſ.* 2. circa græcorum nummorum inſcriptionem multa notatu digna Eruditis communicavit, quæ omnes curioſi ſciant oportet, niſi animam numi, i. e. inſcriptionem negligere velint. Immutabiles ſteterunt literæ majuſculæ ad Domitiani usque tempora, ubi litera Σ per C depingi cepit, Ζ & Ξ per Ξ expreſſum videmus, ut & Π per Γ. Γ ipſum vero per C; etiam Ω per Ш, & non ſolum in imperio, quod vocare amant baſſo commixtio obſervatur latinarum & græcarum literarum, ſed etiam in coloniis alti imperii S. R. F. pro C. P. Φ. ſculpta ſunt. porro ſæpe E pro H poſitum fuit, ut ΑΘΕΝΑΙΩΝ O pro Ω, ut HPOC.

Græcorum ſcribendi ratio in nummis.

H pro pura aſpiratione, ut HIMEPAIΩN. & Σ pro Z ut ΣEYC, quin imo ΣΔEYC pro ZEYC poſuerunt; Α interdum occupat locum Ω, inprimis in fine nominum populorum, ut AΠOΛΛΩNIATAN, KYΔΩNIATAN pro TΩN. Vid. Jobert. *La ſcience de medailles. ſtruct. 7. p. 108.* Quod reliquum character græcus conſervatus reperitur ad Galienum usque, à quo tempore rotunditas deficere incepit literarum; inprimis in nummis Ægyptiacis, & ſequentibus temporibus etiam in Conſtantinopolitanis numis à Conſtantino M. ad Michaelem Rhangab. usq; (in cujus nummis verbum *βασιλεὺς* reperitur, ut infra videbimus,) non niſi Latinæ inveniuntur inſcriptiones, exceptis Monogrammatibus, quæ græce exprimebantur; ut Focas ΦK. Leo Iſaur. ΛK. Inveniuntur etiam inſcriptiones Græcæ in nummis, quæ à dextra ad ſiniſtram more hebraico exaratæ ſunt: ut nomen Regis Gelas. ΣΑΛΕΓ; in numo Palermæ NATIMΡONAΠ. Numus tali modo ſignatus Ceſareenſis effecit, ut crediderint urbem olim nominatam fuiſſe Alphæa, loco Flavia ΑΛΦ. In nummo alio Liparæ poſitum eſt ΠIΛ. Neſcio an hæc ſcribendi ratio conſilio, an caſu facta ſit; in hodiernis nummis interdum ſphalmata talia cernuntur ſit exempli loco numus Friderici V. Regis Bohemiæ, in quo D. G. ita poſitum Ɑ. G. quod malum omen multi interpretati ſunt.

Literarum rotunditas Galieni temp. deficere incipit.

Inſcriptiones more hebraico exaratæ.

§. V. Miſſos faciamus nummos Græcos, & Latinorum ordinem attingamus. Ita ſe res habet, per mare venit Italis ſapientia ex Græcia & omnis ars ac diſciplina: magna enim Græcia in Italiæ viſceribus à Græcis extructa eſt, quod occaſionem præbuit incolis indigenis, ut rudem polirent Minervam. Quod in omnibus rebus grave ſit principium, ſchola docet & experientia confirmat; nam Latinorum etiam nummorum Autor vel à doctiſſimis ignoratur, vel ambigue tantum creditur. Ærei inter Romanos primi ſe offerunt, ita enim Auguſtinus *de civit. Dei Lib. 4. c. 21. Apud Romanos erat Dea pecunia ut pecunioſi. Deus quoque Æſculanus & filius ejus Argentinus ut haberent æream argenteamq; pecuniam; nam ideo Patrem Argentinum Æſculanum poſuerunt, quia prius ærea pecunia in uſu eſſe cepit.* Mea intereſt, ut ab eis rubiginem abſtergam, ut ſi quid lateat rarioris & antiquioris momenti curto ſtylo proponam; ſunt enim hæc antiquiſſima æra humanæ innocentiæ teſtimonia, quemadmodum Livius l. 4, memorat:

Numi Latini.

Eorum autor varius a variis.

Ærei Romanorum primi numi

X. millia æris gravis, quæ tunc deliciæ habebantur. A principio vero Romani ære utebantur ponderato non ſignato, poſtea autem cudendi monetam invaluit modus, quem Plinius *lib. 18. c. 3.* Servio Regi adſcribit, & idem repetit *lib. 33. c. 3.* his verbis: *Servius Rex primus ſignavit æs, antea rudi uſos fuiſſe Remeus tradit.* Tranquillus apud Suidam Numæ Regi adſcribit, quibus Autoribus alii contradicunt, in eo tamen conſentiunt plures, quod circa Jani tempora factum ſit. An autem Saturnus hoſpes; an Janus hoſpitem excipiens; an Jani poſteri id fecerint, non conſtat, quævis opinio ſuo nititur fundamento. Eutropius *Lib. 1.* Min. Felix *in octav.* Saturno ſuffragium adſignant, ultimus ita: *Saturnus Jani ſuſceptus hoſpitio, rudes illos homines & agreſtes multa docuit, ut Græculus & politus, literas imprimere, nummos ſignare.* Lactant. *L. 1. inſtit. divin.* & Macrob. L. 1. nominant Janum, ultimus his verbis: *Janus cum Saturnum claſſe pervectum hoſpitio cepiſſet, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferrum & rudem illum ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate muneravit. Cum primus æra ſignaret: quoniam ille navi fuerat advectus, ſervavit in hoc Saturni reverentiam, ut ex una parte ſui capitis effigies, ex altera navis exprimeretur.* Si controverſia alicujus momenti, in promtu eſſet conciliandi modus: quemvis nimirum auctorem fuiſſe dicerem, Saturnum conſilio, Janum mandato, imprimis quia etiam apud Eutropium *hiſt. lib. 1.* de Saturno ſic legitur, *ipſe etiam æs, nummos æreos primus inſtituit.* Sed Ovidius utrumq; negat, dum dicit, quod poſteri initium fecerunt; cum quo etiam Plinii ſententia allegata concordat, Poëtæ verba hæc ſunt:

Qui non ſignati, ſed ponderati.

Servius ſignatorum Autor dicitur; ab aliis Numa; ab aliis Saturnus aut Janus.

Ovidius Jani poſteros autores eſſe contendit.

> *At bona poſteritas puppim formavit in ære,*
> *hoſpitis adventum teſtificata Dei.*

Lib. 1. faſt.

Sed nec hic deficit utriusque opinionem ſalvandi modus; adſcribimus nimirum Saturni conſilio, Jani autoritati iſtos nummos, qui pecude ſunt inſigniti; Servio autem ob Plinii auctoritatem receptam, Aſſes Ratitos Jani memoriam ferentes, a quibus tempus ſignati æris ideo inchoatur, quia ordine majori gaudent.

§. VI. Paulo ante idem Ovidius tanquam inexplorabilem rem decantat, cur ab una parte horum nummorum biceps forma, ab altera Ratis appareat:

Cur Ratis ſeu puppis videatur in nummis?

Multa quidem didici, ſed cur navalis in ære
altera ſignata eſt, altera forma biceps.

Tandem dubium de rate ipſe ſolvit:

Cauſa ratis ſupereſt, Tuſcum rate venit in amnem,
ante perarato falcifer orbe Deus.

Quos verſus ſequuntur ſuperius adducti: *At bona poſteritas.* Dubium tamen in eo manet, cur caput ſit bifrons: myſticam & allegoricam rationem adfert Plutarchus *problem. 40.* qui iterum Ovidii rationem reddit dubiam non quidem negando Jani poſteros eſſe Auctores, ſed tantum rejicit, quod ob memoriam trajectus in Italiam ratem ſeu puppim ſignaverint: *Hoc ei Jano*, inquit, *cum multis aliis eſt commune, nam Janus quoq; Evander & Æneas mari in Italiam appulerunt*; & Lactantius *in Apol. c. XI.* ad hunc Plutarchi locum ſubjicit: *quoniam vero Janus feros homines ad manſuetudinem traducens optimis Legibus informavit: neceſſaria vero fluvius navigabilis ſuppeditavit, & partim ex agro & vicinis locis, partim ex longinquis ac mari devehens, nihil quod ad uſum pertineat, deſiderari patitur, ideo nummus ita ſignatus eſt, ut Legislatoris duplicem frontem propter vitæ commutationem, ut dictum eſt, & imaginem navium propter fluvii commoditatem præ ſe ferat.* Amaverunt hanc bicipitem formam Romani, ita ut etiam alias facies illa exprimerent, qua propter ſoli Jano non propria eſt. Reperitur in conſularibus nummis caput muliebre biceps, quod Baudelot. duarum feminarum repræſentare facies arbitratur, nomine Laurentia, quarum altera nutrix fuit Romuli, altera meretrix publica, quæ populum Romanum heredem inſtituerat. Feſta, quibus earum memoriam celebrabant Romani, *Laurentales* vocabant, typum vid. apud Patin. *in præf. famil. Roman.* Alii quoque hac figura uſi ſunt; cernitur in familia Pompeji caput biceps ſine barba, cui inſcriptum *Magnus*; putant eruditi, quod in eo conjunctæ ſint Cnei Pompeji Magni & Sixti filii facies, ſuadet hoc diverſitas ipſarum facierum. In familia Rubria Herculis & Mercurii capita occipitibus juncta obſervantur. De Auctore itaque Romanorum Numiſmatum, in quantum in profunda rei incertitudine permiſſum eſt, ſatis dictum.

Quid caput bifrons ſignificet?

Forma biceps Jano non propria eſt, ſed etiam aliæ facies hoc modo repræſentantur.

Primi nummi cum pecude an reſtent?

§. VII. Scimus, quod primi nummi erant aut à Servio pecude ſignati, ut Plinio a. l. placet; aut ab aliis Jani effigie diſtin-

diſtincti. Hoc autem mirum eſt, quod priores numi nullatenus reperiantur, ſedpoſteriores tantum cum Jano. Ita putant antiquarii complures; verum pace eorum fiat, ex aſſe illis ſubſcribere haud valeo; profert enim laudatus Baudelot, *in cit. tr. part. ii. p. m. 657.* nummum ab utraque parte porco ſignatum, in quo obſervantur tres globuli. Doctus quidem Autor oſtendit illum eſſe Saturnalem nummum, hoc eſt, qui ad ſolennia feſti pertinuit, *Saturnale* dictum, & quod nullum præſtiterit uſum pecuniæ vulgaris; enim vero ipſam legem hujus feſti ex Luciano agnoſcit Autor, qua cautum, ne luderetur pecunia conſueta; ſed æs, ex quo hic nummus conflatus eſt, materiam præbebat monetæ currentis, inde pro Saturnali non agnoſco, imprimis ob cauſam trium globulorum, qui quadrantis ſunt ſignum in pecunia conſueta; quin imo nummus ipſe ex proportione aſſis nondum imminuti quadrantis habet magnitudinem. Eſto ergo meo quidem judicio, nummus pecude inſignitus uſualis antiquiſſimus. Affirmatur contra reliquos.

CAPUT III.

An numi antiqui monetæ uſum præſtiterint? Diſceptatio Erizzonium inter & Vicum. Habuerunt Romani numos, qui non pecuniæ loco erant, ut ſigilla ſeu metalliones. Earum deſcriptio. Crotoniati numi quales ſint, unde orti & dicti? Noſtra Epicriſis. Numus Spindria dictus à Tiberio cuſus.

§. I. ANtequam in materiam numiſmatum inquiram, operæ pretium eſt, ut illam decantatam controverſiam paulo attingam: An Romani nummi imprimis ærei, capitibus Imperatorum ſpectabiles, in commercio fuerint, nec ne? Erizzonius *in Diſcorſo ſopra le Medaglie de gli antichi* iſtud negavit, multis rationibus adductis & putat *che furono donationi de principi à capitani de gli eſſerciti, agli amici & a ſoldati*; cui autem non ſolum Æneas Vicus, etiam Italus *in Diſcorſi ſopra le Medaglie de gli Antichi c. 5. p. m. 28.* ſe oppoſuit, ſed etiam eruditiſſimus ille Gallus Savot *in Diſcours ſur les Medalles antiques part. I. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* affirmati- An numi loco monetæ fuerint? illud Erizzo negat. affirmatur a Vico & Savot.

Erizzonii prima ratio. mativam ſtrenue defendit. *Primum* Erizzonii argumentum eſt; quia non veriſimile, vulgari monetæ inſculptas fuiſſe eas Imperatorum facies, quas Romani Numinum inſtar adorarent, & cum illis ad loca ſecedere turpia apud eosdem Romanos eſſet capitale; atqui per manus artificum viliorum traduci facies adorabiles, quam indecorum eſſet. Secunda ratio. *Secundo*, quia ob nimiam eminentiam anaglypha eſſent incommoda numerationi, atque adeo humanæ ſocietati & commercio. Tertia ratio. *Tertio*, quia erant elegantius excuſa Anaglypho nimium eminenti & exſculpto. In quo anaglypho cudendo oportuiſſet Marculos ſignatorios ſæpius perfringi, unde fuiſſet moneta, & Principi & præfectis monetariis damno magis quam utilitati.

Vici reſponſio prima. §. II. Ab hac ſententia recedit Æneas Vicus putans fuiſſe Numiſmata vulgarem monetam; *Primo*, quia fuit in uſu apud omnes nationes, ut facies Principum inſcriberentur monetæ, a qua etiam appellationem hauriebant; ut Darii Philippici quem ad modum Poëta canit:

Horat. L. 2. Ep. 4. *Rettulit acceptum regale Numiſma Philippos*;

Vult Ariſtoteles in politicis, appoſitam monetæ faciem Principis, fidejuſſorem & vadem juſti ponderis & legitimæ materiæ eſſe. Secunda. *Secundo*, ea numiſmata, quæ ſunt anaglyphi eminentioris, adeo non impediunt numerationem, ut etiam juvent, quia facilius ab invicem ſeparantur; adde, quod ſint ad uſum diuturniora, quo facies principis eminentior, ſit etiam diuturnior. Tertia. *Tertio*, ad elegantiam quod attinet, & ad marculorum frequentem fractionem, hujus eſt ſententiæ, non cuſa fuiſſe numiſmata ſed fuſa, aſſeritque Lugduni repertos ex argilla conflatos monetarios modulos; quibus ita fuſis adhiberentur marculi, ut ad abſolutam & expolitam elegantiam perducerentur facies Imperatorum in numiſmatibus. Savot. plura addit & ſolvit dubia. Savotius exercitii gratia, ſibi ipſi adhuc plura movet dubia, quæ citato loco cum mira antiquitatis eruditione refutat. Certe ſi hiſtoriam paulo accuratiori oculo inſpicere velimus, tot invenimus argumenta, quæ nullam dubitandi rationem relinquunt. alia ex hiſtoria argumenta & leges juris. Senatus Populusque Romanus inter ſummos dictatori Julio Cæſari decretos honores, juſſit ejus effigiem vulgari monetæ inſculpi, atq; ſic in tritos uſus venire. Herodianus de Septimio Severo refert; eum, ut palam teſtatum face-

faceret; ſe Albinum ſibi imperii ſocium junxiſſe, monetas & ſtatuas faciem ejus referentes procuraſſe. Νομίσματα Αλβίνȣ κοπῆναι ἐπέτρεψε, ἀνδριάντων τε ἀνάστασιν. Non etiam negligendus eſt locus Caſſiadori *var. lect. c. 32.* qui rem ſatis declarat: *Omnino debet monetæ integritas quæri*; Theodorici Regis verba profert, *ubi & vultus noſter imprimitur & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, ſi in noſtra peccetur effigie?* Plura loca allegat Patinus *in hiſtor. numis. c. 5.* adde Pragmaticam ſanctionem Juſtini *c.* 26. ubi inter alia hæc verba reperiuntur: *Sancimus Solidos veterum Principum Romanorum forma ſignatos, ſine permutationis diſpendio per omnes provincias ambulare, & per eos celebrari contractus.* vid. etiam *Nov. Leon. 52.*

Romani extra uſum pecuniæ alios habuerunt numos, quos collegerunt ut nos hodie.

§. III. Hoc autem extra dubitationis aleam poſitum eſt, quod etiam Romani nummos quoſdam habuerint, qui monetæ vulgaris non præſtiterunt uſum, ſed qui in Cimeliarchiis magni habiti fuerunt: Non enim hodie aut nudius tertius, iſte amor colligendi numiſmata invaluit; *L. 28. ff. de uſufr.* meminit *Numiſmatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti ſolent.* Nec inconcinne Suareſius *in diſſert. de numiſm.* more hodierno, numiſmata à numis deſtinguit, ita ut hi pecuniæ locum habuerint aſſignatum, illa vero tantum delectationi deſtinata fuiſſent. Quæ delectatio interdum in vitium excrevit; nam in ſtatuis emendis ſtultitiam Damaſippi perſtringit Horatius:

Inſanit ſtatuas veteres Damaſippus emendo.

Et Senecæ verba notabilia huic & noſtro tempori ſunt accommodata: *Illum tu otioſum vocas, qui corinthia paucorum furore pretioſa, anxia ſubtilitate concinnat, & majorem dierum partem in æruginoſis lamellis conſumit.* Cui Plinius conſentit, dum *lib. 35. c. 2.* dicit: imaginum amorem quondam flagraſſe, & exempli loco adducit Atticum, illum Ciceronis amicum, & Varronem.

Hi Numi Sigilli dicti ſeu hodie Metalliones.

Vocabantur autem iſti ornamenti cauſa facti nummi *Sigilla*, unde etiam *Sigillaria*, qui locus fuit, ubi publice exponebantur venalia; cujus verbi mentionem fecit Ælius Spartanus: *Sigillaria amicis inopinantibus miſit, & ab his liberaliter accepit*; quæ verba Savotius *d. l. part. I. c. 8.* ita illuſtrat: *il y avoit a Rome une rüe ou place publique appellée ſigillaria à cauſe des petites images ou medalles nomees ſigilla, qui ſe faiſoient tant en or, argent,*

Sigillaria quid?

gent, cuivre, que terre cuitte; y ayant une feſte ou pluſtoſt une foire, pendant laquelle on ſentredonnoit telles images ou medailles. Hæc ſigilla argentea ſignis cohortium affigebantur, unde Vegetius *in L. 2. c. 6. Prima cohors imagines Imperatorum, i. e. divina & præſentia ſigna veneratur.* Cur autem argentea fuerint explicat Plinius, *quod color argenti clarior ſit & diei ſimilis, ideoque militaribus ſignis familiaris.* Aurea & argentea hodie ſunt raro obvia; inferius in capite de nummis rarioribus plura nominabo. Gaza Regis Gall. ſuperbit Poſthumi nummo aureo, cujus pondus æquat duodecim ducatorum pondus; Imperatoris autem Gaza Gratiano nititur quinquaginta ducatorum pondere; & Genevæ apud Turtinum, Valentiniani nummus reperitur aureus, qui octo ducatis valet. Ærea frequentiora reſtant, quæ à Gallis vocantur *Medaillons,* ab Italis *Medaglioni*; Latine non alio nomine gaudent puro, quam *Sigilla*, aut nummi maximi moduli. Receptum tamen eſt verbum à technicis *Metalliones.* Hodiernos autem nummos memoriales Galli appellant *pieces de plaiſir*, ut nos Schaupfennige. Quemadmodum argentea ſigilla primariis cohortibus quaſi propria erant, ita concludit eruditus Savotus, quod quædam æreorum cohortibus minoribus inſerviebant: *on attachoit aux enſeignes militaires principalement en celles de moindres cohortes.* Non ibi reperitur S. C. niſi ante tempora Hadriani, in duodecim priorum Impp. & poſt ejus tempora in M. Aurelii & Decii metallionibus, de quibus infra dicturi ſumus.

[Marginal notes: Metalliónes argenteę in Inſignibus militaribus. — Metalliones aureæ. — Æreæ metalliones frequentiores. — S. C. ipſis non impreſſum niſi in quibusdam.]

§. IV. Extra pecuniæ uſum erant Metalliones, nam Imperatores illas cudi curaverunt, ut amicos iſtis donare poſſent (ex ea ratione etiam à quibusdam vocantur Miſſilia) ſcilicet ut ipſorum fama penes poſteros ſarta haberetur & tecta. Dolus bonus eſt: ſummus artis labor in illis conficiendis adhibitus, & tamen non niſi æreæ ſunt, nimirum, ut doctiſſimi Antiquariorum putant, ut arti materiam ſuperanti hominum avaritia parceret. Affabre certe ſunt exſculptæ, quis non eas magni haberet, quis non ipſis miſereretur? Septimium Severum cuſtodio, qui arte & integritate animum reficere valet; nec miror, quod Regina Chriſtina, ut memoriæ tradit

[Marginal note: In illis ars materiam ſuperat]

dit du Myſſon in *le voyage d'Italie*; pro metallione Antonini Pii, (cujus poſticam exornat Imperator ſedens coronatus a Victoria, ariſtas accipiens a Cerere, in imo *Coſ. IV.* legitur) mille ſcutos impenderit; ectypum fuſum poſſidemus, qui ſtupendi operis exemplar eſt. Non immerito itaq; Dn. Wagenseilius concludit *d. l. cap. 8. Dicendum omnino, priſcos illos rerum humanarum Præſides magis ſuæ famæ, magis poſteritati conſuluiſſe, recentes quam faciunt; nam quæ nunc fiunt nummorum μνημόσυνα ex auro argentoque tantum flantur, quæ cauſa eſt, cur non poſſint usque ad ſenectutem caneſcere.* Ex hac ratione plures apud Romanos cudebantur, ut etiam Verus Imperator in decenti modo illos profunderet; nam de illo Capitolinus ait: *Jaciebat in popinas nummos maximos, quibus calices frangeret.* Hodie autem eheu! perrari ſunt, ut totam ſeriem Imperatorum illis contexere haud poſſibile ſit, quemadmodum Vaillant in præfat. operis *de Imperat. Rom. numiſm.* monet; rariſſimi autem ſunt Auguſti Imperatoris, frequentiores Hadriani. Credibile eſt, quia Græci etiam metalliones cudere, quod Romanæ ab his ortum trahant, ut Jobertus notavit, *in ſcience de Medailles Inſt. 1. p. 4.* Æneas Vicus exhibet catalogum metallionum, ſed tantum ſuæ notionis eſt & ſui temporis; nam Jobertus putat, *quand meſme l'on meleroit & les grandeurs & les metaux, on ne paſſeray quatre ou cinq cent*, qui tamen numerus Vici longe major eſt. Dn. Morellius Reipubl. literariæ delicium & admiratio, cui Deus reſtituat ſanitatem, reſtitutum omnibus bonis diutius admirandum conſervet, ut ſtudium antiquitatis, tanquam ſummus Præſes, ad ſummum faſtigium perducere valeat, in *Specimine Rei num. antiq.* prioris editionis, quod nunc auctius videmus, promittit, quod plus quam mille in opere ſuo majori editurus ſit nummos maximi moduli. Tandem referam etiam ad hanc numorum claſſem Liceti numum, quem *Anſatum* vocat, in opere *de Lucernis. c. 23.* nam ad pompam potius, quam numorum uſum conflatus eſt.

Antonini Pii metallio à R. Chriſtina pro 1000. uncial. comparata.

Metalliones græcæ.

Eorum numerus.

Dn. Morellii numerus.

§. V. Ad Metalliones pertinent etiam *Crotoniati* ſeu *Contorniati*, ut Itali loquuntur. De obſcura vocis origine parum ſolicitus ſum; videantur celebriores Antiquarii, Wagenſeilius, Vicus, Erizzo, Savot, qui eruditam inſtructionem ſuggerunt.

Crotoniati numi.

Ex Græcia ortum trahunt.

Putant eruditi, quod ex Græcia primo ortum trahant, quibus illi exornati fuerunt, qui in ludis publicis victoriæ palmam obtinuerunt. A me itaque accipitur elegans Wagenſeilii græca derivatio, τὰ ΚΡΟΤΤΩΤΑ νομίσματα, a fimbria ita dicta, qua numi circundati ſunt. Videntur quædam de Homero, de Solone, de Euclide, de Pythagora, de Socrate, de Apollonio Tyaneo, in quibus palma & currus triumphalis ſatis de victoria teſtantur. Multi de illorum origine incerte ſcripſerunt, liceat etiam mihi hariolari: Quod victoriales ſint nummi, palma docet, & veriſimile eſt, victores ludorum Olympicorum illos primo cudiſſe ex victoriæ jure, ita enim refert Paſchalis *de Coronis L. 6. c. 7. Enimvero*, inquit, *Olympiaca corona, hoc modo parta, tantum claritudinis athletæ addebat, ut omnia, quæcunque expeti poſſunt, una cum corona illi conceſſa viderentur; quibusdam licuit ſignare monetam & monetæ inſculpere inſignia victoriæ, id quod de Anaxila Rhegino tradit Pollux L. 5. c. 12. hic enim curru i. e. quadrigis victoria adeptus, pecuniæ inſculpſit ex una parte currum & altera leporem, quippe hoc ad ejus gloriam acceſſit, quod leporem primus in Siciliam induxit.*

Noſtra opinio de illis.

Eorum maxima pars Neronis & Trajani effigiem gerit, & eſſe poteſt, quod victores horum temporum Imperatorum capita imprimere amaverint. Nec abſona mihi videtur eſſe nominatio *Crotoniati*; nam ex hiſtoria conſtat, quod cives Crotonis civitatis Italiæ aliquando in certamine Olympico victores omnes fuerint, inde proverbium ortum: *Qui crotoniatarum poſtremus eſt, is reliquorum græcorum primus.* vid. Eraſmi *chiliadas.* Concludo itaque, quod nummi a victoribus hiſce nominati fuerint, qui eos ſine dubio magna copia cudebant.

Maxima pars NERONIS & TRAIANI effigie inſignita.

Eorum deſcriptionem apud laudatum Jobertum invenimus *Inſt. III. p. 29. ils ſont frappez ſçavoi avec une certaine enfoncure tout au tour, qui laiſſe un rond de deux coſtes & avec des fugures, qui nont presque point de Relief en comparaiſon des urais Medaillons* h. e. *additus ipſis eſt circulus ab una quaque parte rotundus. Figuræ impreſſæ non adeo ſunt eminentes*; Sed pace Autoris fiat, non ſemper figura eſt eminens, nec ſemper ſunt cuſi; exhibet enim laudatus Morellius aliquem in allegato ſpecimine ultimæ editionis, ubi figura non eminens eſt, ſed inciſa & cava; ſimilem

Eorum deſcriptio.

Figuræ non ſemper ſunt extantes.

me

me vidiſſe memini, & ni fallor, non marculo ſignatorio, ſed potius ſcalpro erat elaboratus. Haud ita pridem eorum prodiit deſcriptio, qui in Cardinalis de Carpegna aſſervantur Gazophilaceo, quorum fimbria tam late ſe extendit, ut ipſius nummi diametrum ſuperet; libri titulus eſt: *Oſſervationi iſtoriche ſopra alcuni medalioni antichi di Filippo Buonaretti in Roma 1698. in 4to.* Certe mirum in modum per hunc circulum conſervantur, ut diu injuriæ temporis reſiſtere valeant. Eruditione & humanitate incomparabilis Vir Dn. Grævius, Lipſienſis Reipublicæ primarius Senator & immortale decus, qui bibliothecæ patriæ, ut eruditionis promotor, curam ſuſcepit; mihi nuper Lipſia diſcedenti, copiam videndi cujusdam Conturniati fecit, qui ad invidiam usque integritatem conſervaverat, & qui figura gaudebat ſatis ſurgente, quod denuo Joberti deſcriptioni exceptionem facit: Plurimis enim iisdemque pretioſiſſimis & rariſſimis cimeliis ſuperbit bibliotheca Nobiliſſ. Senatus Lipſienſis; non dubito fore, ut ſub directione tanti viri multis Germaniæ palmam præripiat.

Crotoniatus in Bibliotheca Lipſienſ.

Cæterum nec *Conturniati* nec *Sigilla* ſeu metalliones in commercio exiſtebant, niſi quatenus ære comparabantur. Ad nummos etiam, qui extra uſum fuerunt pecuniæ, pertinent illi, quorum nomen Italice *Spindria* eſt; referunt ab una parte laſcivam duarum perſonarum conjunctionem, ab altera numerum I. II. III. usque ad trigeſimum. Tiberium eos cudiſſe perhibent, qui viribus deſtitutus, juvenibus in præſentia ſua obſcenam Venerem exercere permiſit, totque modos, quibus delectabatur, nummis notari curavit. Vid. Baudelot. *d. l. P. II. p. 685.* De calculis & Talismannis ſuperſedeo aliquid addere, ſiquidem noſtro demum tempore cuſi ſunt.

Spindria nummus qualis ſit?

CAPUT IV.

Ӕreorum numorum Materia. Ӕs regulare. Caldarium, varia ejus nomina. Magnitudines numorum. Numerus omnium numorum. Prima, ſecunda & tertia magnitudo. Numi ex duobus metallis conflati. Ӕs Corinthium. Communis de illo fabulæ refutatio. Noſtra opinio. Cognitum fuit ante Corinthi expugnationem. Ejus tres Species. Hodie parari poteſt. Scribendi ratio in numis Romanis.

Ӕreorum numorum materia. §. I. AD reliquos nummos æreos nunc nos accingamus, qui monetæ locum occupant, deque quibus hic palmario ſermo eſt. Ex vario ære cudebantur, quod ante omnia explanare me oportet. Metalla apud Savotium funditus explicata invenimus, ita ut poſt Homerum aliquis Iliadem ſcriberet, qui huic materiæ aliquid novi addere conaretur; ex illo itaq; noſtra petam, ſine quo tot Autores ſiluisſent. Ӕs corinthium in alium locum ſervamus, quia ſingularem meretur obſervationem. Primum locum occupat *Ӕs regulare*, quod non ſolum fundi poterat, ſed quod etiam incudibus reſiſtebat. Ut hæ virtutes eſſent conjunctæ, neceſſum erat; quod igne effici poterat, ita enim dicit Iſidorus: *Omne æs diligentia purgatis igne vitiis excoctisq;, regulare dicitur;* Non ſolum extra ignem, ſed etiam candens redditum id præſtare debet, alias adhuc vitii aliquid ipſi ineſt, quod contigit ob plumbum aut ferrum non penitus ſeparatum. Color ipſi eſſe debet flammeus.

Ӕs regulare quid ſit?

Ӕs Caldarium ſeu impurum. *Ӕs Caldarium* una cum altero jam deſcripſimus; nam quodcunque æs non purum erat, ſeu prædictis metallis mixtum, ita vocabatur. A colore erat vel *flavum* vel *album* vel *furvum*; *flavum* æs à minerali Cadmea terra colorem accepit, ita enim Feſtus: *Cadmeam terram, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Putat etiam Savotus, quod naturale fuerit orichalcum ſine auro, de quo mox dicturi, ſed quod apud nos amplius non invenitur. Ӕs *album* ſuperinducto ſtanno vel eo immixto colorem recepit; ejusmodi nummi etiam in alto imperio inveniuntur, ſiquidem nos hujus generis Agrippam cuſtodimus. Plura de his ſcire, ad

Ӕs album furvum, flavum.

ad Chimicos pertinet. Diverſa etiam nomina æs ſortitum eſt: Plinius *lib. 34. c. 2.* profert quoddam nomine *Hebatizon*, quod pulcherrimum erat, dubio procul regulare; hoc quidem Cæſalpinus *L. II. de metall.* cum Corinthiaco confundit; ſed Plinius illud his verbis ſeparat: *Quod hepatizon appellant procul à corinthio. Saluſtianum* æs in Centronum Alpino tractu; & *Livianum* in Gallia à fodinarum Dominis nomen accepit. Nummus Trajani in poſtica mentionem facit Metalli *Ulpiani Panonici*; & Hadriani nummi memorant metallum *Noricum* & *Delmaticum. Cypricum* æs vetuſtiſſimum erat Plinio Auctore, & puriſſimum, ita ut etiam inſulæ huic æris inventionem acceptam referant; primos etiam aſſes ex hoc ære conflatos eſſe credunt; Plinius *cyprio ſuo aſſibus contentis* ait. Nummi Auguſti tempore cuſi rubro ære conſtant, & ejusdem temporis flavi coloris nummi diverſæ magnitudinis inveniuntur; poſt Alexandrum Severum æri plumbum fuit admixtum, ſed ſequentium temporum confuſio non admittit regulam; baſſum tamen imperium flavos ferme ignorat. Galli omne æs uno nomine exprimunt *bronze*, flameum tamen appellant *cuivre*, flavum, *letton*; Itali æs furvum *rame* vocant, flavum *metall giallo*.

Æris nomina varia. Hepatizon, Saluſtianum, Livianũ, Ulpianũ, Noricum, Delmaticum, Cypricum.

Quales numi a quovis ære cuſi.

§. II. Ex ære diverſæ cudebantur magnitudinis nummi; in genere Antiquarii tres tantum conſtituunt, ſeu quatuor cum metallionum magnitudine. Patinus *in hiſtoria Numiſmatum*, cuique magnitudini peculiare caput dicavit. Erizzonius non adeo ſubtilis eſt, ſed ſæpius unam cum altera confundit. Antoninus Auguſtinus vero exacte rem perpendens, decem magnitudinis menſuras in dialogis ſuis exhibet, ſed labor inanis eſt; quia in quavis magnitudine ſeriem conſtruere ſatagunt curioſi, iſta accuratio nil niſi confuſionem paritura eſſet, ad quam evitandam omnis numorum non ſufficeret exercitus, qui à diverſis diverſe exprimitur & numeratur. Wolfgang. Lazius Germanus vulgavit, quod deſcriptionem 70000. numorum moliretur, omnia metallorum genera conjungens ac magnitudines, quod promiſſum reliqui Antiquarii ſannis exceperunt, credentes, quod vix ſeptem millia præſtare valeret: quem autem eruditum Virum eruditiſſimus Morellius ita excuſat: *Obſervo*, inquit,

Magnitudines numorum tres ſeu quatuor.

Auguſtin' decem habet.

Omnium numorũ numerus. Lazius a Dn. Morellio defenſus.

in ſpec. p. 9. manifeſtum errorem admiſſum eſſe in Lazii numero, quando in ipſius operis ſpecimine, quod exile prodiit, affirmat, omnia divulganda numiſmata comprehendi ſeptuaginta tabulis, illamq;, quam exhibet, efficere ſeptuageſimam totius operis partem. At tabula illa continet nummos admodum ſexaginta eosq; obvios & vulgares, inter reliquas vidi nonnullas, quæ quadraginta modo & paulo plura numorum ectypa continebant, ut ſubductis omnium LXX. tabularum numeris, totum Lazii opus ad quatuor millia numorum vix fuerit perventurum.

Dn. Morellii univerſæ rei numariæ op⁹ 25000. nummorum complectens.

Incomparabilis vero Morellius hoc à Lazio intermiſſum opus herculeo animo aggreſſus eſt, & omnia Numiſmata, quotquot reperiuntur, publici juris facere ſatagit; in hunc finem edidit ſpecimen, ſecundum quod magnum opus inſtituere promittit. In hujus priori editione, quæ Ludet. Pariſ. prodiit, viginti mille numorum ectypos collegiſſe fatetur; In altera vero hujus ſpeciminis editione Lipſiæ edita, quinq; millia ſuperadditurum eſſe ſpem facit. Molitur opus impenſis Clariſſimi & Eruditi Viri Dn. Thomæ Fritſchii, quod eruditus orbis porrectis manibus nunc expectat.

Magnitudines quomodo æſtimandæ.

§. III. Magnitudines judicantur ex craſſitie nummi, ex eminentia figuræ & ex ipſa nummi magnitudine, quæ tria requiſita in proportione ſua neceſſario cohæreant; exempli gratia: nummus prima magnitudine gaudens, ſed gerens caput ſecundæ magnitudinis; huic adjudicatur magnitudini non primæ: Enimvero iſta ſubtilitas non niſi principum regula eſto.

Primæ magnitudinis ſeries.

Series primæ magnitudinis ultra Domitianum Imperatorem ſe non extendit; in baſſo ut vocatur imperio hujus magnitudinis nummi ſunt rariſſimi, & Ficoroni eruditus Romæ antiquarius, qui tot Germanorum Oedipus eſt, in MSto, quod mihi eſt, inſtruit, quod majores inferioris temporis nummi omnes ſint metalliones. Jobertus putat hanc ſeriem numorum 2000. complere, quæ ex computatione Dn. Morellii longe auctior eſt. Hi majoris moduli nummi conſpicui ſunt eminentia figuræ & induſtria laboris & cælatura; in poſtica parte ſingularia hiſtoriæ monumenta reperiuntur.

Secunda magnitudo.

Ordo medii æris facillime comparari poteſt, & ad Heraclium Imperatorem usque ſe extendit; ſed in illis cum declinante imperio ars etiam declinat; omnes fere coloniæ tam græcæ quam latinæ ſe ibi ſiſtunt.

Tertia magnitudo.

Ultima æris catena non

non ſemper cohæret; in baſſo imperio collectio facilis eſt, ſi excipias ſpatium Theodoſium inter & Paleologum, quod nullo labore ſuppletur; in alto imperio plus valent, quam primæ magnitudinis nummi. Hiſtoria parum hic emolumenti habet, attamen propter priorum magnitudinum ſupplementum, illos negligi haud conſultum eſt.

§. IV. Singularem nummis aſſignavi locum, duobus diſtinctis conflatis metallis, nimirum ære flavo & ære flammeo. Si dicendum, quod res eſt, rariſſimi ſunt; ſed neſcio ad quem numerum referendus, qui mihi eſt nummus, ex una parte æreus, ex altera argenteus; argentum nullam exprimit figuram, & ærea pars caput gerit non faciem, injuriam temporis experta. Priorum nummorum deſcriptionem qui a me deſiderat, audiat Jobertum *Inſtr. II. p. 23. Il ya des Medailles de differans cuivres qui ne ſont point aliez, mais dont ſeulement l' un enchaſſe l' autre, & qui ſont frappes du meſme coin; tels ſont quelque Medaillons antiques de Commode & d' Adrien, & certains qui ſans cela ne ſeroient, que de grand ou de moyen bronze. L' on peut y remarquer, que les caracteres de la legende, mordent, quelque fois, ſur les deus metaus, d' autre fois ils ne ſont, que ſur l' interieur, au quel le premier cercle de metall ne ſert que d' en caſtillement.* h. e. *Sunt numi duorum metallorum, in quibus metalla per ferruminationem non cohærent, ſed unum alterum tantum complectitur: quales quidam ſunt Comodi & Adriani numi, qui alias eſſent primæ & ſecundæ magnitudinis. Literæ interdum duo metalla ſimul tangunt, interdum non excedunt metallum interius, ut circulus externus intactus maneat.* Quidam eos ad conturniatos referunt, quibus vero contradicit Dn. Morell. dum incomparabilis cælaturæ Poſthumi Metallionem hujus generis deſcribit; nam conturniati acceperunt circulum, poſtquam fuerunt percuſſi; his vero nummis circulus additus erat, antequam malleo ſubjiciebantur, inde ipſius numi pars eſt. Cæterum circa æris vocabulum notandum, quod in jure noſtro pro aſſe ſumatur, unde mille æris legatum mille aſſes valet, quo ſenſu accipienda eſt *L. 2. ff. ad L. Aquil.* Sed Ulpianus etiam per æs nummos aureos exprimit *l. etiam. 159. ff. d. V. S.*

Numi ex duobus diſtinctis metallis conflati.

Eorum deſcriptio.

Refutatur, qui eos conturniatos eſſe dicunt.

§. V. Merito antea dubitavi, an Corinthiaci nummi, qui

Æs Corinthiacum.

qui ad Septimium usque Severum inveniuntur, ſplendore fulgentes ad rubigine obfuſcatos æreos pertineant? Fundamento enim nitor a Savoto ſuppeditato *P. II. c. XIII. Quoy que l'or ou l'argent ſoient allies en fort petite quantité avec d'autres metaux; donnent neantmoins leur nom à la piece, encorqu'elle tienne fort peu d'or ou d'argent.* Si itaque vero conveniret, quod æs Corinthiacum auro eſſet admixtum; etiam nummi ex hoc ære conflati potius ad aureorum ordinem pertinerent, quam æreorum; ſed audiamus fabulam & in fine videbitur, cujus ſit thoni: *Il Rame Corinthio e quello* ſcribit Enea Vico *in Diſcorſo ſopra le medaglie L. 1. c. 7. che eſſendo da L. Mummio rovinata la citta di Corintho, e dal grandiſſimo incendio conſumate tutte le ſtatue di metallo (di che quella citta come capo dell' Achaia e quaſi di tutta Grecia, era piena, e famoſiſſima ſpecial mente per tal' arte) nelle altiſſime fiamme di tutta la citta, ridotte inſieme, come in larga forma di pigna fondendoſi, ſi meſcolarono inſieme talmente, che comme dicono, rame, ottone, argento & oro, correndo per diverſi rivi, eſſendo i varii metalli per doverſi unire inſieme, il caſo fece ſi, che compiutamente non potendo ſi meſcolare, rimaſe la commiſtione loro imperfetta, ſi come al preſente in dette medaglie ſi vede.* h. e. *Æs Corinthium tale eſt: cum L. Mummio Duce expugnata urbs Corinthus flammis deleretur, per vim ignis diverſa metalla ſoluta, (ut aurum, argentum, æs) formabant rivos; & ex hac mixtura ortum eſt æs Corinthium.* Hujus urbis interitus accidit circa A.V.C. DCVII. Duce L. Mummio Conſule; totam hiſtoriam narrat Strabo *L. 8.* Polyb. *ap Valeſ. p. 181.* Sed nunc teſtor omnes, qui hiſtoriam Romanam cognitam habent atque perſpectam, an Romani, qui ſecundum Auguſtinum & Arnobium *pecuniam velut maximum Numen* coluerunt; quorum prima Reipublicæ Lex erat, ne deeſſet nervus rerum gerendarum; qui avaritiæ dediti hoc opprobrium a conterraneo paſſi ſunt:

Fabula de ære Corinthiaco.

Ejus Refutatio.

Per Romanorum avaritiam.

Horat.

O Cives cives quærenda pecunia primum,
Virtus poſt Nummos.

Quorum præfecti ac Duces ob avaritiam incultis etiam populis ludibrio erant; Exemplum eſt in Craſſo; An populus hic, qui nocte dieque moliebatur, ut

gluto ſorberet ſalivam Mercurialem.

Ab

An, inquam, veriſimile ſit, quod paſſus fuiſſet, in tam opulentiſſima civitate aurum argentum perire? Satis mihi notum eſt, quod actutum & ocyus ignis palatia deleverit, ſed in palatiis lapidibus exſtructis, Romanis imprimis non impoſſibile erat theſauros eripere, & quantum exercitum aurearum & argentearum ſtatuarum ibi fuiſſe credimus, qui ſuffeciſſet æris fluentes venas, imo flumina tingere! ita pridem putant Oroſ. *l. 5. c. 3.* Flor. *l. 2. c. 15.* Juſt. *l. 34. c. 1.* & complures Viri doctiſsimi hujus ævi; ſed pace eorum, alia quærenda eſt ratio. Non adeo abſona eſt Plutarchi opinio, qui *libr. de Pyth. Orac.* perhibet, quod hujus æris auctor fuerit faber Corinthius, qui cum incidiſset in thecam auri plenam, eamque ſibi abſtuliſſet, ne id reſciretur, metuens, diſſectum in minutas particulas aurum, paulatim æri admiſcuerit, admirabilemque illam temperaturam fecerit. Si ex aſse hanc agnoſcere vellem opinionem, difficilis ſane eſſet reſponſio ad objectionem, an idem homo celato facinore tot vaſorum, tot ſtatuarum auctor eſſe potuiſſet? quanquam Plutarchus non diffiteatur, quod reliqui Corinthii in hac ſcientia ab ipſo poſtea inſtructi fuerint, quæ tandem ut aliæ ſcientiæ, deperdita eſſet; ſed ita reſtringo negotium: notum eſt, quod veteres ignoraverint artem ſeparandi argentum & aurum ab ære; teſtis eſt *l. 5. §. 1. ff. de rei vind.* ſcimus etiam ex Savoto, quod orichalcum quoddam fuerit *naturale*; ſcil. æs fulgens; hinc concludo, quod forſan fodinæ propter Corinthum fuerint, ex quibus æs auro naturaliter admiſtum Corinthiis materiam præbuit, (poſito non conceſſo quod Corithio aurum cuderit) ſeu quod alibi allatum ibi fuſum ſit æs; nam non ſemper patria ſed officina res nominat, & in aprico eſt, quod interdum certa quædam plaga quodam Dei dono gaudeat, quo reliquus mundus caret: exemplum eſt Mercurius Auſtriæ, qui etiam novo advehitur orbi. Tandem ſcimus ex pluribus ſcriptoribus, quod nulla ars Corinthiaco ſimile æs proferre potuerit; & jam Plinii tempore aboleverit fundendi ratio: ſunt verba ejus *l. 34. c. 2*: *Adeo exolevit fundendi æris pretioſi ratio, ut jam diu ne fortuna quidem in ære jus artis habeat. Ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur.* Si arte ſeu caſu factum eſſet, ut in urbis incendio, cur non arte reperiri potuiſſet; nullum enim deficit metallum, quo Corinthii utebantur ad forman-

Non paſſi eſſent aurum perire.

Credibilior Plutarchi opinio.

Ex parte accipitur.

Certa ſpecies eſt metalli naturalis.

das ſtatuas: ergo ſic concludo, fuiſſe certam ſpeciem, ſubterraneo ſulphure ſeu igne cocti metalli, ad cujus imitationem, in aëris atmoſphæra terræ exhalationes deficiunt; nam ignis noſter nimis debilis eſt, exempli gratia, quis ferrum, quis ſtannum ex aliis materiis componere valet, & tamen ineſt ferro cuprum ſeu æs, & per conſequens aurum; ſtanno autem argentum, quibus metallis etiam æs Corinthiacum, ut fertur, dives eſt; ambo ſeparari poſſunt, ſed non componi.

Pauſaniæ & Herodoti tradita.

§. VI. Alii judicent, an non huic ſententiæ robur accedat per ea, quæ tradit Pauſanias *l. 11.* *Æs Corinthium*, inquit, *in fonte Pirene tinctum temperamentum accepit*, quod certe plus convenit rationi: nam etiamnum in Hungaria fons celebris eſt, cujus aqua ferrum in puriſſimum æs mutat. Sed ſi artificioſa diſpliceat hæc compoſitio, Herodotus alium miniſtrat locum, *l. 11.* ſunt ejus verba: *Eſt apud Æthiopes omnium rariſſimum & pretioſiſſimum æs.* Forſitan illud Corinthum advectum, ibique fabricatum æs Corinthiacum dictum eſt.

Ante Corinthi expugnationem jam cognitum fuit, teſte S. Scriptura.

Tandem pretioſum quoddam æs ante expugnatam Corinthum diu cognitum fuiſſe, docet ipſa Sacra Scriptura in *libr. Eſræ c. 8. v. 26. &* 27. Nimirum cum Cyrus ſeu Cores reſtituere juſſiſſet Judæis ſacra vaſa à Nabuchodonoſore capta, eorum Catalogus citato loco ita exprimitur: Eſra wug den Prieſtern dar 650 Centner Silbers / an ſilbern Gefäßen 100 Centner / und an Golde 100 Centner / 20 guldne Becher / die hatten 1000 Gulden / und zwey gute ehrne köſtliche Gefäß / lauter wie Gold. Verſio vulgata ita habet: *Appendique eis argentum & aurum & vaſa conſecrata domus Dei noſtri, quod obtulerat Rex & conſiliatores ejus, & principes univerſusque Iſrael eorum, qui inventi fuerant, & appendi in manibus eorum argenti talenta ſexcenta quinquaginta, & vaſa argentea centum, auri centum talenta: & crateres aureos viginti, qui habebant ſolidos millenos, & vaſa æris fulgentis optimi duo, pulchra ut aurum.* Hoc accidit anno mundi 3520. Corinthum autem Romani expugnaverunt A. M. 3910. ergo cognitio æris hujus quadraginta annis hoc termino antiquior fuit, cum quo tempore coincidit Herodoti ætas, qui antea adductum locum A. M. 3610. exaravit. Fuit autem ſine dubio illud ipſum æs, quod poſtea Corinthiacum appellatum fuit. Quin imo noſtro etiam tempore

re

re tale æs reperitur in mundo; notat enim ſingulari ſtudio l'Abbe de Choiſi *in le Voyage de Siam*, quod in hoc regno & inſula Japan auro pretioſius æs effodiatur mirum in modum fulgens; ſed cuique libera ſentiendi facultas relinquitur. Etiam num tale æs reperitur.

§. VII. Nunc e diverticulo in viam nos recipiamus. Ignorabant antiqui ex parte arcanum ſeparandi metalla, quæ ignorantia cauſam præbuit duarum ſpecierum æris, *electri* nimirum & *aurichalci*; quæ ſententia Plinii eſt, non noſtra. Electrum erat metallum, quod ex mixtura auri & argenti oriebatur, ſi autem aurum ſibi æs aſſociaverat, aurichalcum nominabatur, ſi hæc tria mineralia unum conſtituerent corpus, aderat laudatum Corinthiacum. Erat Corinthiacum in tres ſpecies ſubdiviſum, quas Plin. *l. 34. c. 3.* ita demonſtrat, *unum candidum, argento quam proxime nitore accedens, in quo ſcil. illa miſtura prævaluit; alterum in quo auri fulva natura; tertium, in quo æqualis omnium fuit temperies.* Hoc tertium numorum conſtituit materiam, quos deprædicamus Corinthios; ſuperſedeo adferre, quod Jobertus in his nummis æs prævalens dicat: nam nondum inter antiquarios deciſum eſt, an quidam detur hujus Corinthiaci æris nummus; Savotus enim negat, quod ejuſmodi nummi reperiantur, ad experientiam provocans, qua quosdam igne ſolverit, ſed nihil auri, nihil argenti inveniſſe fatetur *l. c. l. II. c. 17.* Non quidem negat, quod nummi aurei ſplendoris ſint, ſed putat, quod color aureus proveniat ex alia cauſa minerali. Savotus tantæ mihi eſt auctoritatis, ut contra illum ne hiſcere quidem audeam, nam Chimicus fuit incomparabilis, cujus experimenta certe non vacillant; quanquam hanc opinionem amplectendo nummis meis inſidias ſtruam; eſt enim nobis Hadrianus Corinthius auri inſtar fulgens, quem veritati nunc immolo, non eſto Corinthius auro mixtus. Probabile quidem eſt quod Jobertus adfert argumentum: *il ne paroiſſe pas de raiſon, dit il, pourquoy ce, que l'on ſoudoit pour des vaſes, n' auvoit pas pu auſſi ſervir à quelques Medailles, puisque l' on gravoit les images des princes meſme ſur les pierres precieuſes.* h. e. *Non apparet ratio, quia vaſa ex hoc ære conflata ſunt, cur non etiam numi ex illo cuſi ſint, cum adeo formabantur principum effigies in pretioſiſſimis gemmis.* Verum enim vero experientia ſtat contra, quæ nulla perſuaſione infringitur. Hæc ſcil dico de ære illo Corinthiaco, quod Electrum fuit, ex auro compoſitum; ſed non in-

Æris Corinthiaci tres ſpecies.

Nummis Corinthii æris aurum non ineſt.

Dantur tamen nummi æris Corinthii.

inficior, dari nummos ex ære Corinthiaco, quod naturali fuit pulcritudine præditum ſine auri concurſu, qualis etiam Hadrianus noſter eſſe poteſt, ſive illam materiam aurichalcum vocent nec ne; eſt enim mihi Senecæ autoritas in loco jam allegato, quem hic repetere neceſſum eſt: *Illum tu otioſum vocas, qui Corinthia paucorum furore pretioſa anxia ſubtilitate concinnat, & majorem dierum partem in æruginoſis lamellis conſumit.* Locum hunc de numis loqui nullus ego dubito.

Hodie paratur.

§. VIII. Æs hoc imitari veteres non valebant, quod de ætate noſtra non dicam. Nam quod ars auri ſplendore conſpicuum æs producere poſſit, nullus dubitat, cui hodierna experimenta nota ſunt. Robertus Rheni Palatinus & arte & Marte magnus Princeps, electri cujusdam inventor eſt, vulgo *Roberts Metall*, quod antiquitatem ſuperat, & quod nullo auro fultum, antiquos nummos pretio ſuo ac ſplendore detrudit. Mira res eſt, quod alii Scriptores antiqui, qui tamen rem nummariam alioquin nobis reliquerunt, uno conſenſu nummos Corinthiacos ſileant, etiamſi de hoc ære plura dicant. Reſtant tamen plura vaſa antiqua ex hoc ære conflata, quæ hinc inde in magnorum Principum gazis reperiuntur. Veneti Conſtantinopolitanis contra barbaros ſuccurrentes, hinc transportaverunt Venetias quatuor equos, quos ex hoc ære conflatos eſſe credunt, quibus fores S. Marci Baſilicæ exornaverunt; quod officium olim Romæ præſtiterunt ante Faunum Pantheon dictum: translato vero imperio Conſtantinopolim, etiam eo illuſtre hoc ornamentum tulerunt, vid. du Maſſon *l'Voyage d' Italie Part. 1.* Operæ pretium eſſet, ut quis, particulam horum vaſorum fundendo, rei periculum faceret, an nimirum auri & argenti quodpiam ſeparare liceret: nam ego certe totus in eo ſum, quod nihil contineat, quicquid etiam Plutarchus & Plinius, artis metallicæ ignari, reclamitent. Per olfactum olim probaverunt æs Corinthiacum, ut Martialis perhibet. *l. 9. Epigr.* 60:

Roberts Metall.

Venetorũ quatuor equi ex hoc metallo conflati.

Conſuluit nares, an olerent æra Corinthon.

Quod certe non abſonum eſt: nam diſtingvuntur æra per odorem, quod ipſe expertus ſum, modo ſint modice calefacta in manu tantum. Ita etiam diſcernuntur à fictitiis numi genuini antiqui. Summo itaque jure Corinthios ſic dictos numos, quos nunc intus & in cute novimus, ad æreos retulimus.

§. IX.

§. IX. De æreis numis in genere notandum, quod in hiſtoria majorem uſum, quam aurei & argentei, præſtent, vid. Savot. *p. 325.* Patini verba mea facio *in Introd. c. 15: Auſim aſſeverare, quicquid eſt cunctis numismatis aureis & argenteis expreſſum, id omne in æreis ſignatum reperiri. Toto illo tempore, quo Græciæ urbes Romano imperio patuere, æreorum nummorum ingenioſis inventis illuſtrium ingens numerus fuit procuſus; rariſſime unus vel alter ex argento, nullus prorſus ex auro cuſus. Coloniæ conſtitutæ & renovatæ in æreis plerunque, ne dicam unice, ſignantur.* Formam literarum rotundam & integram, Romani nummi ad Conſtantinopolitanæ barbariei usque tempora, conſervant, niſi quod circa Decii tempora litera N. formam lit. M. induat, uti videre eſt in numo hujus Imperatoris, in cujus reverſa: *Pannoniæ;* ſed paulo poſt, quod mirum eſt, reſtitutas vidimus literas, quæ poſt Juſtinianum à barbarie penitus delentur, ſummumque corruptionis gradum patiuntur ſub Michaële Rhang. à quo tempore jure poſtliminii priſtinam pedetentim accipiunt formam. Orthographia in Latinis nummis ſingularis interdum eſt; nam nemo vitio vertat, in quibusdam V poni pro B, ut Danuvius; Q pro C, Qum Gabinis; B pro V, Jubentus; O pro V, Volcanus, Divos; EE duplex pro E longo, ut feelix; II duplex pro ſimplici, Viirtus. Cernimus S & M reſciſſum in fine, ut ALBINU. CAPTU. interdum XS pro ſolo X, ut MAXSIMUS, F pro PH, TRIVMFVS. Obſervatur etiam *Virtus Exerciti. Fortuna opſequens. Liberitas. Vberitas. Leibertas.*

Ærei numi in hiſtoria majorem uſum præſtant ac reliqui.

Scripturæ in numis viciſſitudo.

Orthographia ſingularis.

CAPUT V.

Numi vilioris materiæ. Aſſes ſcortei, numi ſtannei, numi plumbei. Per numum Dn. Fæſchii plumbeum, Baudeloti opinio de illis refutatur. Nummi ferrei.

§. I. Neceſſum eſt, antequam ulterius progrediamur, ut etiam mentionem faciamus de vilioris materiæ Numiſmatibus. Verum quidem eſt, quod varii populi variam materiam in nummorum uſum receperint. Philoſtratus refert, *l. 2. de vit. Apoll.* & Anton. Auguſt. *dial. 6.* quod Æthiopes ſignatis lapidibus; Indi cochleis puſillis omnia mercarentur; Scythæ ex corticibus certæ arboris; alii populi

Vilioris materiæ numiſmata.

Varia apud varias gentes. ex foliis; alii ex ſale & alia materia, nummos ſignarint. Horrendus tamen mercandi mos fuit populorum, qui defunctorum parentum oſſibus commercia ſuſtinuerunt; vid. Budelium *de re monet.c.1.n.18.ſeqq.* Apud Romanos non niſi metalla, in uſum hunc applicata, reperimus. Hotomannus aſſerto huic obſtat *c. 1. de re numaria,* Lupinos quoque monetæ uſum præſtitiſſe aſſerens, fundamento utitur *l. 3. c. de aleat.* cujus verba ſic ſonant: *Si quis ſub ſpecie alearum victus lupinis vel alia quavis materia, ceſſet etiam adverſus eum omnis actio*; Sed vero verba, *vel alia quavis materia*, ſatis demonſtrant, quod in poſitione pecuniæ locum tantum occupaverint, ut in ludo etiamnum fieri ſolet, ſive ſint lupini ſive alia ſigna; nec verſus Horatii obſtat;

An Lupini numi fuerint? negatur.

Nec tamen ignorat,quid diſtent æra lupinis.

Erant etenim Lupini forma aliquatenus nummo ſimiles; inde deſcribit hominem judicio ſuo utentem, qui fictum à vero diſtinguere valet.

Aſſes ſcortei. §. II. Aſſium vero ſcorteorum uſum non negamus, quod enim nummi coriacei Lacedæmoniis fuerint conſueti,teſtatur Stobæus *Serm. 145.* & Seneca *de beneficiis l. 5. c. 14.* ita rem allegat: *Æs alienum habere dicitur, & qui aureos habet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit.* Eandem conſuetudinem confirmat de Carthaginenſibus Plato *dialog. de divin.* Quod etiam cogniti fuerint Romanis, res auctoritate non caret. Alexander ab Alex. *gen. dier. 15. in medio*, opinionem hanc introducit, dum profitetur *Numam Pompilium populo Romano aſſes ſcorteos & ligneos loco congiarii diſtribuiſſe*; cui etiam Decianus *in tract. de crim. l.7. c. 25.* ſubſcribit: ſed hoc Molin. *de uſur. q. 100. n. 799.* neſcio qua autoritate tam fabuloſum quam ἀδέσποτον dicit. Reliquum eſt cujusdam autoris de numis ſcorteis teſtimonium; anonymus eſt & *Notitiæ utriusque imperii p. 168.* ſubjectus, putant eum Honorii & Arcadii tempore vixiſſe; cujus hæc ſunt verba: *Rectores ſuperioris vitæ non otioſis opibus, ſed condendis potius mœnibus lætabantur, in quorum decorem univerſam auri argentiq; materiam conferebant. Æris quoque copiam in ſimulacris propriis ad virtutis ſuæ teſtimonia figurabant, ut vero emendi utilitas, & ut facultas regiæ largitati ſuppeteret, in æris uſum excultam politius terram & igne ſolidatam, certis quoque expreſſionibus figuratam, auro argentoque repo-*

Primis temporib' Romanis uſitati.

Negatur à Molineo.

Sed multi autores id affirmant.

repoſito, uſui habuerunt; ſed poſteriores faſtidientes priſcæ vilitatis inventum, formatos è coriis orbes auro modico ſignaverunt, quibus regum munificentia & commutationum neceſſitas intactis collatoribus utebatur. Verum quidem eſt, contradictione laborat locus: nam dicit, quod aurum in mœnia exſtruenda impenderint; inde liquet, quod etiam auri uſus adfuerit, quia non credibile, quod ex auro mœnia conſtruxerint. Alias tamen autor multæ eſt autoritatis, cum quo Svidas convenit ex Tranquillo hoc referens: Ἀσσάρειον Νȣ̃μας ὁ πρῶτος Βασιλεὺς μετὰ Ῥωμύλον ῥωμαίων γεγονὼς, ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ πεποιημένα ἐχάρισα τοῖς ῥωμαίοις, πῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων διὰ σκυτίνων καὶ ὀστρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων h. e. *Aſſaria Numas, primus Rex poſt Romulum Romanorum factus, ex ferro & ære facta, donavit Romanis omnibus, ante illum per coriacea & teſtacea negotium implentibus*; Nec Hieronymi locum intactum patiamur præterlabi, qui invenitur in *Apologia contra Ruffinum*, & ſequentibus conſtat verbis: *Cum montes aureos pollicearis, ne ſcorteum quidem nummum de theſauris tuis profers.*

§. III. Nunc ſtanneorum nummorum curam geramus. Aliis nationibus hoc nummorum genus non ignotum erat. Ariſtoteles perhibet, Dionyſium Syracuſanum Tyrannum ſtanneos nummos cudiſſe: nec de Romanorum moribus dubitamus; adeſt enim *L. 2. §. 2. ff. ad L. Cornel. de falſ.* quæ eorum facit mentionem. Cujac. *L. II. obſerv. c. 1.* ex Florentina lectione obſervat, quod *ſtagneus* non ſtanneus ſit legendum. Tandem etiam experientia optima rerum magiſtra teſtatur, eorum quoſdam adhuc hodie ſupereſſe; nam experientiſſimus Savot. *d. l. p. 4. c. 8.* meminit, quod ejusmodi nummum poſſederit. Nec hoc cum plumbo confundi poteſt; nam alibi docet per experientiam, quod minus nobile fuerit ſtannum, ex quo cuſi erant; imo Jobert. in *ſcience des Medailles Inſt. II. c. 23.* dicit: l'*autre jour on me fit voir un Tigranes, qui indubitablement eſtoit un plomb antique, plus blanc beaucoup que le noſtre & plus dure.* Sed quid hoc aliud quam ſtannum, nam iſtæ virtutes *plus blanc beaucoup, que le noſtre & plus dure* ſtanno propriæ ſunt, & tantum demonſtrant, quod autor metallicæ eruditionis fuerit ignarus. Noſtro tempore in Anglia, minima ſeparationis moneta ſeu obolus ex hoc ære conflatus eſt, niditiſſima arte ipſum numi pretium ſuperante; ex una parte Wil-

Numi ſtannei.

à Romanis utebantur.

Hodierni in Anglia.

Wilhelmus & Maria Regg. apparent; ex altera Britannia ſedens; medium numi punctum ſignat cupreus ſtylus, ut olim Johannis Galliæ Regis coriacei aureo erant percuſi; vid. Tholoſ. *Syntagm. l. 36. c. 2. n. 7.* Marginem ipſam circundant literæ grandiuſculæ: *Nummorum famulus.* Batavi Alcmarienſes 1573. à Duce Alba obſeſſi Thaleros ſtanneos mille decies percuderant, vid. Thuan. *hiſt. l. 55.* Haud ita pridem liber apparuit autore Joh. Henr. Eggelingio, qui nobis exponebat orbis ſtannei *Antinoi*, noviter reperti, hiſtoriam; ſed crabrones excitavit inter eruditos: multi enim numi ingenuitatem negabant; nam rariſſimi ſunt nummi ſtannei antiqui, quia ex ſententia Savoti *p. 11. c. 3.* ſtannum citius in terra corrumpitur ac ipſum plumbum.

Eggelingii orbis ſtanneus reprobatus.

Plumbei numi in uſu fuerunt.

§. IV. Plumbei numi, pro nobilitate materiæ, ultimum nunc occupant locum; omnes eruditi in hanc ſententia conſpirant, quod fuerint & adhuc reperiantur. Salmaſius id negat quidẽ; nam ad Flavium Vopiſcũ his verbis utitur: *Æs plumbo miſcebatur etiam publice, inde plumbeos nummos per contemtum Martialis appellat æream monetam, cui plurimum plumbi admixtum erat.* Sed Savotus pro incomparabili ſua eruditione chimicis experimentis demonſtrat, quod numi hujus temporis nihil plumbi habeant admixti, & multorum autorum ſententia affirmativam opinionem defendit. Vindicato itaque Martialis gaudemus loco

Probant id multi autores.

quamdiu ſalutator,
anteambulones & togatulos inter,
centum merebor plumbeos die toto.

Huic accedit Plautus, non ſolum in Trinummo;

nunquam numum credam plumbeum:

ſed etiam in *Caſina*:

Cui homini hodie peculi non eſt numus plumbeus.

Tandem etiam in *Moſtell.*

Tace tu faber, qui cudere ſoles numos plumbeos.

Pauciores extant.

Non equidem inficias ire poſſum, quod vulgaris æris pauciſſimi reſtent numi; ſed ſufficit tot adeſſe, qui exemplum supplere poſſint. Non tantum Cimeliarchium Savoti illis inſtructum erat, ut ipſe teſtatur *p. 320.* ſed etiam Roſtagnius quidam Avignione celebris Vir unum alterumve probæ notæ conſervat; & Dn. Fæſchius JCtus Baſilienſis celeberrimus, numum

mum poſſidet plumbeum, ab una parte referentem caput infantis, *Claudia Auguſta*; in altera conſpicitur *Nero Cæſar*, qui numus ideo eſt rariſſimus, quia nullus alius hujus Neronis filiæ, ex Poppæa progenitæ, mentionem facit. Hic etiam Baudeloti de Dairval *Part. II. pag.* 658. opinionem deſtruit, qui omnes numos plumbeos Saturnales eſſe aſſerit, h. e. qui tantum tempore Saturnalium in uſu fuerunt; ad hoc ſtabiliendum, utitur lege hujus feſti a Luciano notata: Ἐπὶ πᾶσι πεττιζώσαν ἐπὶ καρύων, ἥν τις ἐπ᾽ ἀργυρίῳ πεττεύσῃ ἄσιτος ἐς τὴν ὑστεραίαν ἔςω. h. e. *Nucibus non luditur, ſed teſſeris; & ille, qui in hoc ludo argentum ponit, aut monetam aliam conſvetam, in poſteram diem jejunato.* Verbum *conſvetam pecuniam* ita explico, quæ conſveto ſigno eſt ſignata, aut conſveto metallo conflata; ea propter tot inveniuntur numi ridiculæ figuræ, qui ſine dubio Saturnales ſunt. Sed quis dicet, quod ſacra Principis facie, qualem Fæſchii numus refert, abuti potuiſſent in his ludis nugalibus? Tandem primus Martialis locus, plumbeos numos triti uſus fuiſſe, ſatis teſtatur. Ceterum plumbum maximæ injuriæ temporis obnoxium eſt; inde magis globulis proprium tormentis bellicis ejiciendis, quam ad ſignaturam Principis conſervandam idoneum. Duos nos inter noſtros reperimus plumbeos, quos corroſit dimidium ſeculum tantum; ambo ſunt Danicæ originis premente bello à Friderico III. in vim monetæ cuſi. Minimus ab una parte temporis tantum gerit veſtigia; altera numeri dualis ſignum habet. Major non excedens Albi magnitudinem, Monogramma Frider. Regis exhibet coronatum F. 3. reverſa, ſex punctis majuſculis valoris nota conſpicua.

Dni. Fæſchii num' plumbeus.

Dn. Baudelot aſſerit, quod numi plumbei ſaturnales fuerint numi.

Qui refutatur.

Plumbei hodierni.

A Frid. III. Dan. Rege percuſi.

§. V. Hiſtoria exemplis abundat, quod premens rerum ſtatus abjectam interdum materiam numis applicaverit. Michäel Dux Venetorum in obſidione Tyri 1124. ex frenis equorum numos cudi curavit. Cocc. Sabell. *Enod. 9. L. 4.* Aliquoties vidi chartaceum illum Lugduni Batavorum obſidionis tempore cuſum, qui ſeſqui ferme ſeculo accedit: nam ſignatus eſt 1574. & adhuc longævioris erit conſervationis. Sed vero Reſpublica bene ordinata non niſi metallis nobilioribus utitur: ita Lex Numaria *in L. 9. §. 2. ff. ad L. Cornel. d. falſ.* merito prohibet numos ſtanneos & plumbeos emere & vendere; verba ejus hæc ſunt: *Eadem Lege exprimitur, ne quis numos ſtanneos emere vendere dolo malo vellet.* Imperii noſtri Receſſus, repro-

Ex vili materia neceſſitas numos cudit.

Numus chartaceus.

Lex Numaria viles numos prohibet.

reprobatis etiam Romanorum æneis numis, ſolos aureos & argenteos agnoſcunt; ſed eheu! bonæ leges interdum in peſſimas declinant conſvetudines. Initium hujus ſeculi totum erat æneum; inter noſtros unum reperimus ævi hujus. vix groſſi diametrum æquans, qui trientem uncialis efficiebat; eſt ab Elect. Saxon. An. 1622. cuſus. Initium factum eſt adulterandi monetam 1593, & circa finem fatalis hujus periodi, uncialis argenteus decem florenis valebat. Sed tandem in Imperii perniciem tendens moneta tota Germania bannita fuit; quod tempus Ovidii carmen vaticinio notavit:

Moneta ærea in Germania.

IrVs & eſt ſVbIto, qVI MoDo CræſVs erat.

Sæpiuſcule Imperii Principes monetam ſecundum alten Schrot und Korn reſtaurarunt, quod Receſſus Imp. de An 1570. repetita vice inculcat. Eſt nobis Georgii, Lutheri hoſtis, uncialis, An. 1531. cuſus, cujus poſtica hæc verba: NACH. ALTEN. SCHROT. VND. KORN. Et Civitas Norimbergenſis haud ita pridem uncialem conflari juſſit, cujus altera facies totam urbem exhibet; in altera Noriberga ſedens in haſta pileum libertatis geſta; eminus a tergo figuræ domus publica ſeu curia conſpicitur cum eadem inſcriptione.

Moneta ſecundum alten Schrot und Korn.

§. VI. Ferrei numi nullum hic inveniunt locum, qui quidem aliis gentibus, non adeo Romanis, fuerunt communes. Julius Cæſar *L.5. hiſtoriæ ſuæ* confirmat, Anglos uſos fuiſſe moneta ferrea, quod etiam Ariſtoteles *L. 2. Oecon.* de Clazomenienſibus tradit; Pollux de Byzantinis. Plutarchus *in Lyſimach. c. 30.* notat, quod veteres Græci obeliſcis ferreis in formam turris, Numiſmatis inſtar uſi ſint; unde hodiernos minutiſſimos appellat. Sed nulla hiſtoria ullo argumento demonſtrare poteſt, quod idem apud Romanos diu obtinuerit; Svidas tamen in voce ἀσσάρια refert, Numam Regem Romanis e ferro cuſos dediſſe numos, quod jam audivimus. Ariſtides *in Orat. II.* memorat, quod milites Byzantini ſtipendium in ferro receperint; hoc vero majorem explicationem requirit, ſiquidem ſatis ambiguè dictum eſt. Savotus quidem putat, quod aliquem poſſederit, qui a magnete fuerit amatus; ſed Joberto aſſentior, qui ſubferratum fuiſſe argenteum adſtruit; quod in alium locum reſervamus. Nec obſtat locus Plinii *L. 33. c. IX. Miſcuit denario Antonius Triumvir ferrum*: nam ejusmodi numus erat & manebat argenteus ex principio Savoti, quod

Ferrei numi.

Romani ferreis non diu uſi ſunt.

Savoti numus ferre?.

quod ſcil. argentum ſeu aurum, quanquam minima pars ſit in mixtura, nomen ſuum retineat.

CAPUT VI.

As primus Romanorum numus. Vſuræ ab aſſe diviſæ. Cur æs grave dicatur? An aſſes ſignatos Romani appenderint. Negotia per æs & libram. Valor numorum æreorum. Minores numi ærei. As primus nondum imminutus ſupereſt. Signa Valoris in ære. Aſſis imminutio.

§. I.

Nunc dicam, ſolidæ quæ ſit diviſio libræ
ſive aſſis, nam ſic Legum dixere Periti.

Fannius de pond. V. 41.

EX antecedentibus abunde patet, quo ſenſu vocabulum Æris accipiatur; denotantur non ſolum eo omnia metalla, ſed etiam miniſtri ærarii, & locus pecuniæ ab illo nomen ſunt ſortiti. Ab ære as vocabatur, & æs & as interdum unam eandemque habent ſignificationem; fuit autem As primus Romanorum cuſus numus, autore Varrone *L. 4. de ling Lat.* Aſſarius etiam vocatur a Clement. Alex. *ζύγα ϗ ἀσσαρία*; nec etiam eorum diſplicet opinio, qui aſſem a ſolido deducunt, ut Voluſius Metianus *in libello de aſſe.* Hoſtius *de re numaria L. II.* ut & Varro *d. l. L. 8.* Vnde etiam recte dicit, aſſem ſimplicem eſſe monetam ac integram. Variæ hinc in jure reperiuntur formulæ loquendi: *ex aſſe aut pro parte poſſidere. l. p. ff. qui ſatisd. cog.* i. e. in ſolidum. *In aſſem ſatisdare. l. 40. ff. d. leg. 3. In aſſem vendere. L. Titius. quib. mod. pign. l. hypoth. ex aſſe debere. l. 1. ff. ut leg. nom. cav. Ex aſſe auferri hæreditas*, dicitur Martiano *l. aufertur. ff. d. iis, quæ ut indign.* Quæ formulæ etiam aliis ſcriptoribus ſunt communes. Plinius *L. 1. 15. Epiſt.* dicit, *ad aſſem impendium reddere.* Mart. *l. 7. ep. Heredem ex aſſe relinquere*; de quib. vid. Fabr. *Theſ. Erud. Schol. verb. As.*

Vocabulū Æris ampliſſimi ſenſus.

As primus Romanorū numus.

As a ſolido.

Formulæ ab aſſe conſtructæ.

§. II. In variis juris negotiis As pro toto ſumebatur; ſic uſuræ ab aſſe ſunt diviſæ; ſi unus in centenos annuatim pendebatur, unciaria erat uſura, ſi bini ſextans, ſi terni quadrans, ſi quaterni triens, ſi quini quicunx, ſi ſeni ſemis, ſi ſepteni ſeptunx, ſi octoni bes, ſi novem dodrans, ſi deni dextans, ſi undeni deunx, ſi duodeni As; & quidem uſuræ centeſimæ hujus diviſionis principium ſunt, quæ ſingulis menſibus centeſimam

Vſuræ ab aſſe diviſæ.

Vſuræ centeſimæ.

teſimam ſortis partem efficiebant & duodecim per annum, *l. 7. §. 10. in f. l. 47. §. 4. de adminiſtr. tut. l. 21. §. 4. de ann. leg.* quod explicat illud Perſii Carmen:

Sat. V.

> *Quid petis, ut numi, quos hic quincunce modeſto*
> *nutrieras, pergant avidos ſudare deunces?*

Per aſſem fundus diviſus & obligationes. Dividebant etiam veteres aſſis partibus fundum, *vid. l. 39. §. ſi a me beſſem ff. de evict. l. 8. ff. de rei. vind.* nec non res incorporales, ut obligationes & actiones *§. 9. in fin. J. de fiduc. hæred.* Tandem in hæreditate utramque paginam occupat aſſis diviſio, *§. 5. Inſt. de hæred. inſtit.* juncta *l. 50. ff. h. t.* cardinalis locus eſt, ibi hæc verba; *Hereditas dividitur in duodecim uncias, quæ aſſis appellatione continentur, quæ diſtributio ſolennis vocatur & partes ſunt civiles, l. 13. §. 1. ff. h. t.* Erant etiam partes naturales, quæ a teſtatore pro lubitu dividebantur, *vid. cit. §. L. 18. ff de hæred. inſtit. l. 13. C. de lib. & poſth. l. 2. §. 7. ff. de collat. L. 76. de acquir. hæred.* partes civiles hæ ſunt:

Aſſis diviſio in hereditate.

As ſeu totum		XII.	
Deunx		XI.	
Dextans		X.	
Dodrans		IX.	
Bes		IIX.	
Septunx	habebat	VII.	Vncias ſive partes.
Semis		VI.	
Quincunx		V.	
Triens		IV.	
Quadrans		III.	
Sextans		II.	

Vnciæ diviſio. Ipſa autem Vncia in partes minutiores dividi poteſt, ut Voluſius Metianus *in lib. de pond.* præſtitit, & cum nominibus ſimul ſigna exhibuit; veluti in duas ſemuncias, in tres duellas, ſive binas ſextulas, in quatuor ſicilicos, in ſex ſextulas, in viginti quatuor ſcritula.

Æs, as, ſtipis, libra, ſolid', idem ſunt. §. III. Nunc de aſſe dicamus, qui pecuniæ ſpeciem efficit. Æs, as, ſtipis, libra, ſolidus, Romanis unum idemque erat. Plinius *lib. 21. c. 3.* aſſe abſolute utitur pro pecunia dicens: *Scipioni Serapioni funeris impenſa in bonis non erat, aſſes ergo contulit populus & funus elocavit.* *Cur libra.* Libra dicebatur as, quia pondere erat libralis, teſtante Plinio *L. 33. c. 3. Libra as,*

as, unde & nunc libella dicitur; & Dionyſio Halicarnaſſeo *L. 9. antiq. Rom.* Ἦν δὲ ἀσσάριον νόμισμα βάρος λιτραῖον: h. e. *erat autem as æreus nummus pondere libralis.* Verbum ipſum Libra Scaliger à Græco λίτρα deſcendere aſſerit. Æris vocabulum idem vult apud Scriptores quod aſſis, ita mille æris ſunt mille aſſes. In LL. XII. Tabb. continetur: *Si injuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ ſunto.* Id Phavorinus apud Gell. *l. 20. c. 1.* exponens ſic ait: *Quis erit tam inops, quem ab injuria facienda XXV. aſſes deterreant?* quod ſecundum Hoſtii computationem *L. II. c. 1.* facit duos denarios cum ſemiſſe, ſeu groſſos ſeptem Miſnicos cum ſemiſſe. Porro vocabulo aſſis, ponderis etiam annectebatur verbum; hinc habemus aſſipondium; ita Varro *L. 4. de LL. As*, inquit, *ab ære aſſipondium dicebatur*, ideo quod as erat Libræ pondo. Duo aſſes exprimebantur vocabulo dupondii *§. 8. Inſt. de hered. inſtit.* Dupondia duo merces erat meretricum diobolarium, ut conſpicitur apud Senecam. Juſtinianus Imperator dupondios nominat primi anni Juris ſtudioſos. Tripondius Quintiliano uſitatus eſt, *Inſtit. L. 2.* Tandem ſtips etiam æs dicebatur, a ſtipando ἀπὸ τοῦ στείβειν, uti Feſtus & Varro ſcribunt, hic *L. 4. de LL. Nam quod aſſes Libræ pondo erant, qui majorem numerum accipiebant, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant*, i. e. componebant. Ovidius hoc vocabulo canendo ita utitur;

Dic, inquam, parva cur ſtipe quærit opes?
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
fecit, ait, dandæ mos ſtipis inde manet.

Sic ſtipes pro pecunia in jure noſtro ſumitur, *l. 1. ff. de colleg. & corpor.* à quo originem trahit ſtipendium, ut Ulpianus *in L. 27. de V. S.* docet. Vocatur etiam as ſolidus, quod affirmat Voluſ. Metianus.

Æs idem quod as.

Aſſipondium.

Dupondiũ.

Tripondi'.

Stips unde dicatur.

Aſſes in cella ſtipabantur.

As ſolidus dictus.

§. IV. Cur autem æs grave dicatur, non omnium eadem eſt opinio. Livius locum notabilem nobis proponit, *L. 4. in fin.* ſic ſcribens: *Et quia nondum argentum ſignatum erat, grave æs quidam plauſtris ad ærarium convehentes ſpecioſam collationem faciebat.* Ex loco hoc torquere quidam ſatagunt, quod à penſitatione dictum ſit grave æs; quod minime gentium concedo: nam ipſe adductus locus ſatis demonſtrat, quod æs, argenti reſpectu ita ſit dictum; nam pondere argentum leve erat

Cur æs grave dicatur, non a pendendo.

 reſpe-

reſpectu æris. Nitor fundamento Dion. *L.* 47. & Virgilii, qui rem ſatis clare explicat:

Ecl. I. *Nonnunquam gravis ære domum mihi dextra redibat.*

Feſtus autem rem nullo remanente dubio ita declarat: *Grave æs dictum eſt à pondere, quia deni aſſes ſinguli pondo libræ efficiebant, denarium ab hoc ipſo numero dictum.* Æs grave etiam dici poterat oppoſitive ad æs diminutum, quod tempore Punici belli factum. Tandem ex parte tantum eorum amplector ſententiam, qui dicunt, quod aſſes librales, Veteres magis appendere ſolebant, quam numerare; ita enim Plin. *L.* 33. *ſect.* 14. *Librales appendebantur aſſes*; interjectisque aliis tandem dicit: *Servius Rex primus æs ſignavit.* Mihi videtur, quod priora verba ad ea tempora pertineant, ubi æs adhuc rude erat; quo non obſtante tamen pondus æris per libram & æs diviſum appendebatur: qua propter etiam Plinius, Servii æs ſignatum, ab illo per intervallum disjungit. Cornutus *in Satyram V. Perſii* dicit: *Fuit aſſis libralis, qui hodie in uſu remanſit, & ſolebat penſari*; ſed verbum *ſolebat* tempus innuit præteritum. De quo itaque loquitur aſſe, de ſignato aut non ſignato? Ejusdem farinæ eſt Feſti locus: *Pendere pœnas ſolvere ſignificat, eo quod ære gravi cum uterentur Romani, penſo eo, non numerato, debitum ſolvebant.* Tempus etiam æris gravis ad rudis æris tempora pertinet; loquitur autor etiam de præterito, ubi nihil definiti invenimus; & qualem, quæſo, totum monetæ cuſæ inventum præſtitiſſet uſum, ſi nihilominus æs appendere voluiſſent? Sine dubio apud Plinium loquendi formulæ reperiuntur, *L.* 33. *c.* 3. *Expenſa in rationibus dicuntur*; item *impendia & dependere*, ſed ex antiquitate hoc proficiſcitur, cum nondum ſignatum æs adhuc appendi mos eſſet; verum lingua cum pecunia cuſa non immutata eſt. Hodie in pecunia numeranda non utimur libra, & tamen his utimur formulis. Objicitur quidem, quod per æs & libram venditio obtinuerit; quod concedo: ita enim nos inſtituit *§.* 1. *Inſt. de Teſtam.* & alii textus. Non ſolum autem in hoc negotio, ſed etiam pluribus aliis æs & libra adhibebatur, v. g. in emtionibus mancipi, nexus datione & liberatione; quod factum non eſt ut pecunia ibi penderetur, ſed erat forma quædam jure civili introducta tempore æris rudis, quam abolere non erat licitum. Interveniebat autem nummus unicus, qui tantum imaginarius erat, quemadmodum totum negotium

[Marginalia: Æs grave reſpectu æris imminuti. — An aſſes ſignatos appenderint Romani? quod negatur. — Reſolutio locorum obſtantiũ. — Alias inventum ſignatæ monetæ nullũ uſum præſtitiſſet. — Negotia per æs & libram. — Forma eſt juris civilis.]

um inſtituebatur dicis gratia. Hereditatis venditio per æs & libram Ulpiani tempore adhuc in uſu fuit, de quo tempore conſtat certo certius, quod numerata fuerit pecunia; Vid. Ulpian. *fragm. tit.* 20. Plura de his dicturi ſumus in diſputatione de Nummo unico: nam ulteriorem explanationem meretur. Temporibus ſequentibus quidem in Imperio inferiori Jus meminit librarum auri *l.* 4. *C. de modo mult.* unciarum auri *l.* 6. *eodem* librarum argenti, *l. un. C. de arg. pret.* ſed dubito, an numi ideo appenſi fuerint? quia in *l.* 5. *C. de ſuſcept.* definitur, quot ſolidi efficere debeant libram, quod contra naturam appenſionis eſt, inde perſuaſus ſum, quod libra numorum quantitas fuerit certa, ut talentum apud Græcos. Ad firmandam opinionem meam etiam facit, quod in vetuſtiſſimis nummis ſigna diviſionis reperiantur & valoris, ut mox videbimus, quod ſupervacaneum fuiſſet, ſi penſitatio locum ſemper habuiſſet. Si cognitionem accuratiorem nummorum acquirere velimus, neceſſum eſt, ut diſtinguamus inter valorem nummi & pondus; de pondere res ferme deſperata eſt certi aliquid ſtatuere. Savotus *in tota tertia operis ſui parte* omnem movit lapidem, ut rei cognitionem haberet; an præſtiterit, alii judicent. Metalliones tantæ magnitudinis inveniuntur, ut interdum libræ pondus excedant; forſan quia pecuniam non conſtituebant, ſed congiarii loco diſtributas eſſe invenimus. Primæ vero magnitudinis nummi unam communiter unciam ponderis habent: Mediæ magnitudinis, nummi dimidiam & tertiam unciæ partem ſupplent; & ii, qui Tertiæ vocantur magnitudinis, quartam, ſextam & minores partes efficiunt; Vid. *Savot. p. III. c.* 26.

Signa valoris in numo hoc refutant.

Diverſarũ magnitudinum pondus.

§. V. Sed eorum valorem cognoſcere juvat. Variorum Eruditorum opiniones hic explicare, non unum librum requireret; nos ſequimur Melanchthonis opinionem, etiam ab Hoſtio *hiſt. num. L. II. c.* 1. amplexam, quæ denarium Romanum & drachmam nummum Atticum prorſus exæquat; hinc denario etiam alii Doctores tres groſſos Miſnicos, qui nummulos Miſnicos triginta ſex faciunt, tribuunt, unde aſſis decimæ denarii parti, (quam diviſionem pro temporis ratione alii aliter inſtituunt, *Sav. c. l.*) cedunt nummuli Miſnici terni cum tribus quintis partibus. Hoc poſito videamus, quænam in ære aſſis partes fuerint? Nolo hic repetere, quæ ante jam nominavimus.

Valor nummorum æreorum.

Aſſis valor ſecundum monetam miſnicam.

Aſſis diviſiones in valore.

mus: nam etiam hic duodecim numerantur partes. *Stipis unciaria* ab uncia dicta fuit, Plin. *L.* 34. *c.* 5. à qua centeſima uſura unciaria dicta, teſte Cicerone. Unciam autem eruditi derivant à Lybica moneta ὄγκια dicta; ab uncia eſt ſemuncia, unde eſt Aſconii loquendi modus, *res ſemuncia venit*, ſcil. pro vili pretio. *Sextula* unciæ ſexta pars eſt, quam Varro minimum æreum nummum vocat. *Sextans* eſt numus æreus duarum unciarum, ejus mentionem facit Livius *L* 2. *Eodem anno Agrippa Menenius moritur: extulit eum plebs ſextantibus collatis in capita.*

Quadrans teruncius.

Quadrans Aſſis quartam valet partem, denarii quadrageſimam, etiam à Cicerone teruncius vocatur *L.* 5. *ad Atticum*; proverbialiter pro minimo numulo uſurpatur a Martiali *L.* 2. *Epigr:*

Et quadrans mihi nullus eſt in arca.

Balnei merces fuit teſte Horatio:

Dum tu quadrante lavatum
Rex ibis.

Triens quatuor unciarum.

Triens numus quatuor uncias valebat, aſſis tertia, denarii vigeſima pars; Juvenal. *Satyr.* 3:

Infelix nec habet, quem porrigat ore Trientem.

Triens ære aurum & argentum conſumit.

Semis.

Plinius hanc de fatali quodam triente profert hiſtoriam, *L.* 3*r.* *c.*13: *Servilia familia illuſtris in faſtis, trientem æreum poſcit, auro & argento conſumentem utrumque; origo atq; natura mihi incomperta eſt.* Semis ſeu *Semiſſis*, quorum duo totum as efficiunt, valet numulum Miſnicum cum quatuor quintis partibus; ejus teſtimonium habemus in Varrone *L.* 3. *c.* 7. *de re ruſtica: Magnum*, inquit, *condicas, hic in urbe quotidie lucrum ex aſſe ſemiſſem condere in loculos.*

Aſſis compoſiti numi.

Ab aſſe multa etiam invenimus compoſita. Perſius *Satyr.* 5. *ait*:

Hic Dama eſt, non treſſis agaſo.

Nec rarum eſt vocabulum apud ſcriptores quadraſſis, nonuſſis, decuſſis, viceſſis ſeu biceſſis, quadrageſſis, quinquageſſis, ſexageſſis, ſeptuageſſis, octogeſſis, nonageſſis, tandem centuſſis, de quo idem Perſius cit. Satyr:

Ridet Vulſenius ingens
& centum Grecos curto centuſſe licetur.

Ejusmodi autem multorum aſſium moneta, non una fuit ærea: nam hanc ultra dupondium non invenimus, ſed pretium vel in aureo vel in argenteo conſiſtebat nummo. Hæc

quoad valorem eſt aſſis diviſio, & cum quævis ſuo gaudeat autore, dubium non eſt, quod etiam nummis harum ſpecierum uſi ſint Romani; quanquam Lipſius *de Re Num. p. 13.* tradat, nullas aſſis partes in numos veniſſe præter ſemiſſes, trientes & quadrantes, quod experientiæ ipſi contrarium eſt: quinimo adhuc hodie reperiuntur in Cimeliarchiis Curioſorum. Lipſii error.

§. VI. A nonnullis dubitatum fuit, an as primus ſeu gravis ſuperſit in numo; quod ego quidem negare non auſim: unam eorum meminit non ſolum Molinet. *in Catalogo Biblioth. Genevenſis*, ſed etiam in Theſauro potentiſſimi Regis Daniæ quoſdam vidi aſſes majores nimirum ratitos, ut vocant; etiam Bibliotheca Lipſienſis unum alterumq; cuſtodit; magnitudo, ſesqui diametri uncialis Thaleri, efficit. Non quidem mihi latet, quod quidam ſint, qui hos numos menſuras ponderis appellant, & ipſis monetalem uſum negant; ſed illis aſſentiri haud valeo: nam eandem cum minoribus exhibent figuram, & iisdem ſignis utuntur diviſionis, imo proportionem imminutionis inter majores aſſes & minores obſervare licitum eſt. Dubio caret, quod primis temporibus, ante bellum Punicum primum, As libræ & As pecuniæ ejusdem ponderis fuerint, & ſic pro eo tempore concedo, nimirum à Servio uſque ad bellum Punicum primum, ita ut moneta ponderis, pondus monetæ locum interdum ſuppleverit; ſed haud credibile eſt, quod ſequentibus temporibus Romani iisdem ſumtibus pondera ſua cuderint ac monetam; ut taceam, quod in ponderibus eminens figura Jani minus commoda fuiſſet. Signa itaque, quibus as & aſſis partes conſpicuæ erant, pro qualitate portionis reperiuntur varia. Alia ſunt ſigna pecuniæ, alia partium ſeu ponderis; hæc reperiuntur apud Voluſium Metianum & Budeum *de aſſe*, & tantum per lineas exprimuntur - As eſt =-= quincunx, == triens, =- quadrans. Alia autem ſunt pecuniæ ſigna. In quibusdam videre eſt L. vel I. ut & O, quod aſſem ſeu libram notat. Qvi duplici LL. gaudent, Dupondia ſunt. In quibusdam S. conſpicitur, ſemiſſem denotans. Aliqui quatuor punctis aut circulis minoribus diſtinguuntur, qui quatuor uncias ſeu trientem conſtituunt. Tria puncta in aliis de quadrante teſtantur. Sextans duobus punctis cognoſcitur; horum omnium ectypum exhibet Anton. Agoſtini *Dial. I. p. 9.* & addit hæc verba: *In alcu-*

As primus nondũ imminutus ſupereſt.

Ejus magnitudo.

As pecuniæ & as ponderis ante bellum Punicum pondere æquales.

Signa valoris in numis æreis.

alcune ſi trova in I. in alcune un L. che dinotano un Aſſe, overo una Libra. In alcune un S. per ſemis, che vuol dire un mezza libra, overo ſei oncie. In altre quattro punti, o piccoli cerchietti per quattro onciæ, che è il triente, in altre tre punti per tre oncie, che è il quadrante col qual prezzo ſi lavavano ne' bagni. In altre due per il ſeſtante, che ſon due oncie.

Æris imminutio. §. VII. Non autem erat una eademque aſſis Romani magnitudo, ut fieri ſolet; etiam Reſpublica egebat interdum æris, unde diviſionis ſaluberrimo remedio ſæpius uſa eſt. Plinius triplicem mutationem notavit *L. 33. c. 3.* Prima immutationis cauſa fuit Bellum Punicum primum; exhauſto etenim ærario, ne deeſſet Reipublicæ nervus, æs, quod grave erat, ſatis leve redditum eſt: *Cum impenſis*, dicit Plinius, *Reſpublica non ſufficeret, libræ pondus æris imminutum eſt, conſtitutumq; ut aſſes ſextantario pondere ferirentur.* Hoc intelligendum eſſe volunt, ex uno aſſe factos fuiſſe ſex aſſes, qui tantundem valerent, manente veteri indicatura ſeu valore extrinſeco. Feſtus quidem eandem ſententiam confirmat, ſed egregie ſimul hallucinatur; audiamus loquentem: *Sextantarii*, inquit, *aſſes in uſu eſſe cœperunt ex eo tempore, quo propter bellum Punicum ſecundum, quod cum Hannibale geſtum eſt, decreverunt Patres, ut aſſes, qui tum erant librarii, fierent ſextantarii, per quos, cum ſolvi cœptum eſſet, & populus ære alieno liberaretur, & privati, quibus debitum publice ſolvi oportebat, non magno detrimento afficerentur.* Feſtus bellum Punicum ſecundum appellat, quod tamen primum erat, ut ex Plinio docuimus; ſed vero tam ex hoc, quam Plinii loco, videre eſt, quod quinque partes Reipublicæ lucrifactæ ſint; cui ſententiæ reliqui Doctores omnes adſtipulantur. Unicus Alciatus *in libro de ponderibus & menſuris* loco Sextantarii mavult Dextantarii, putans aſſes tum temporis percuſos eſſe dextantario pondere, h. e. duabus unciis minus, credens, quod etiam ſextantarii ideo dici poſſint, quia ſextans illis deficeret; fulcit hanc opinionem ſuam Feſti verbis: *Privati non magno detrimento afficerentur*: maximum enim damnum id fuiſſet, ſi pro duodenis ſolæ binæ unciæ reſtituerentur. Erroris ergo hos omnes arguit, qui quinque partes, non quintam partem legunt. Si meam profiteri licet ſententiam, res eadem eſt: in ſequentibus enim videbimus, quod paulo poſt ad unciam unam redactus fuerit as, & ſic tota emendatio unum aut duos

Prima aſſis mutatio.

Ex uno aſſe ſex facti.

Feſti hallucinatio.

Alciati ſingularis opinio.

reſpiceret annos; niſi dicere velim, quod ſecunda periodus iminutionis magis miſerabilem Reipublicæ involverit ſtatum; ergo ipſi etiam major diminutio fuit conſentanea. Ut dixi, hæc monetæ reformatio non adeo diuturnæ erat longævitatis: accidit enim circa annum V. C. CCCC. LXXX, à quo tempore bellum Punicum primum celebre eſt; quo finito pacis reparatione non ultra quadriennium gaviſa Reſpublica, novo eoque atrociſſimo bello, nimirum Punico ſecundo, implicitam ſe ſenſit. Illud belli fulmen Hannibal ante portas erat, quo factum, ut eo urgente & vires & numi Romanis defecerint; ſic enim Plinius d. l. *Poſtea Hannibale urgente, Marc. Fabio Maximo Dictatore, aſſes unciales facti.* Verbum Marcus in aliis editionibus nequicquam quæritur, ſed reſtitutum eſt a Jo. Harduino C. S. J. *in tr. de veter. Rom. re monet.* qui adjectus eſt operi *de Urbium numiſmatibus*, & quidem ex Codice Reg. Gall. Sic quod antiquis temporibus uncia æris erat, nunc mutata forma, as factum eſt, nec permanſit argentum in ſuo valore; nam ita pergit Plinius: *Placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis.* Sed Romani mundi diviſores nec in hoc ſtatu monetam ſubſiſtere paſſi ſunt; nam per Legem Papiriam aſſem uncialem denuo dividebant, & ſemuncialem reddebant; dupondii igitur unciales facti. Aſſes leviores non ſunt redditi usque ad Plinii tempora. Quis vero Papirius iſte fuerit, qui Legem hanc tulit, ut Plebis Tribunus, incompertum: Pighius *in Annalibus ad annum V. C. D. LXXV.* illum referre videtur ad Papirium Turdum, qui Tribunatum geſſit anno V. C. D. LXXVI. Cæterum non quieſcit, quanquam omni ſcriptore deſtituta, curioſitas Savoti *c. I. p. III.* c. 20: nam obſervavit per experientiam, quod in quartam unciæ partem, quæ primi ſeu gravis aſſis quadrageſima octava pars eſt, as tandem declinaverit.

Bellum Punicum ſecundum.

Secundæ iminutioni anſam dedit.

Diviſio per L. Papiriam.

Quis Papirius.

Savoti obſervatio.

CAPUT VII.

Argentum pro quavis pecunia ſumitur. Romani ante ſuos argenteos, alienis utuntur. Aurum & Argentum Romæ diu cognitum. Flaviſſa quid ſit? Initium argenteæ monetæ. Chiffletius ante Plinii tempus definitum, cuſos fuiſſe argenteos, oſtendit. Argentum purum effoſſum. An Romani artem ſeparandi calluerint? Puritatis gradus in argento. Argentum ad ſummam puritatem deduci poteſt. Argentum Poſtulatum. Bonitas numorum argenteorum. Eorum fatales periodi. Series bella. Numi incoctiles.

§. I. TRanſeamus nunc ad argenteam ætatem, non à multitudine æris ſic dictam, ſed appetitu hominum, ac ejus ſcrutemur antiquitatem ac naturam: nam in noſtra etiam ſphæra

Horat. 2. ſerm. carm. 2.

Nullus argento color eſt,
niſi temperato
ſplendeat uſu.

Argentum pro quavis pecunia.

In jure ſumitur pro quavis pecunia, ut teſtatur *L. 23. C. ad L. Jul. de adult.* Heic loci metallum, *cujus color clarior eſt, diei ſimilis.* Romani ejus uſum creſcente ſuperbia numiſmatibus dicarunt, quo tempore id factum, nunc videamus. Sed deſcendamus nos oportet in variantium opinionum labyrinthum. Etſi primis temporibus Romani non argenteos numos vel aureos cuderint, hoc tamen aſſerto non excluſum eſt, quod, ſi non propriis, alienis tamen numis uſi ſint; hæc opinio arridet Cl. Chiffletio *in tract. de antiq. numis. c. IX,* quia hæc metalla apud illos in uſu fuiſſe, tot ſcriptorum teſtantur verba. Tarquinius Priſcus Filium aurea bulla donavit, qui in prætexta hoſtem occidit, cujus mentionem Plinius facit, *l. 33. c. 1.* Dionyſius *L. 4.* meminit, quod Regum Romanorum cultus ex auro fuerit, aurea videlicet corona, aureique ſtaminis veſtis. Livius *L. 1.* refert, quod virgo Tarpeja in ipſis Romæ urbis incunabulis auro correpta fuerit à Sabinis: quinimo luxus tandem Romanorum eo devenit in auro, ut jam XII. Tabb. Leges inhibere illum ſolicitæ fuerint, *vetant enim, ne aurum ſepulcris addatur, niſi cui auro dentes vincti erant.* Taceo ſupellectilem auream: nam adeſt locus, qui ipſos numos aureos docet cuſos, quanquam peregrinos, tamen Romæ frequentes. Varro

Romani ante proprios argenteos nummis alienis uſi ſunt.

auctor

auctor eſt, quem citat Lactantius *rerum divinarum L.* 1. *c.* 6. enarrans memorabilem Sibyllæ hiſtoriam, quæ Tarquinio Priſco ſapientia refertos libros venales obtulit; hæc ſunt verba: *Ea novem libros attulit ad Regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulavit. Rex aſpernatus pretii magnitudinem* &c. quibus deinde addit: *Denuo tribus aliis exuſtis, cum in eodem pretio perſeveraret, motus eſt Rex, & reſiduos trecentis aureis emit*; qui ſine dubio Philippei fuerunt, qui eo tempore ſatis vulgares erant. Dionyſius quidem & Gellius *L.* 3. hoc de Tarquinio Superbo intelligendum eſſe putant, cui Plinius *l. c.* hiſtoriam his verbis vindicat. *Inter omnes convenit Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attuliſſe*; ſed idem Plinius *l.* 34. *c.* 5. adſerit, Sibyllæ & Actii Nonii ſtatuas Tarquinii Priſci ætate poſitas fuiſſe; quo concludendum, prius verbum *Superbum* errore ſcribentium irrepſiſſe.

Aurei Philippi Romæ cogniti.

Noſtrum eſt exinde colligere; ſi Roma eo tempore aurea uſa ſit moneta, quod etiam multo magis argentea ibi fuerit obvia. A commerciis primum argumentum hauriendum; nam tempore annonæ ex Sicilia frumentum advehi curaverunt Romani, quod minime gentium expeditum erat ſine argenteo vel aureo numo, quo Siculi gaudebant. Hoc factitatum fuiſſe nondum exactis Regibus, Livius teſtis eſt plurimus. Idem Auctor deſcribens bellum cum Volſcis, rem clarius exponit: *Is primus*, ſcribit, *bellum Volſcis in ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos movit, Sveſſamus Pometiam ex his vi cepit; ubi cum divendita præda XL. talenta auri argentiq; recepiſſet, concepit animo &c.* Quem locum Dionyſ. Halicarnaſſeus declarat in deſcriptione hujus belli, alio ſtylo non ſenſu facta, dum dicit: quod auri & argenti tantus fuerit numerus, ut quivis gregariorum militum *quinas argenti minas* acceperit.

Si aurea moneta Romæ obvia fuit, multo magis argentea.

Aurea & argentea moneta in bello a Romanis capta.

In eodem etiam autore invenitur, drachmas noviſſe Romanos; nam duobus Laurentinis, qui patefecerunt conſpirationem a plebe in patritios intentatam, per S. C. præmium diſtribuerunt argenti denas millenas drachmas, agri vero publici jugera vicena. Tandem reconditorium numorum publicum eo tempore notum eſt, quod Romani Flaviſſas appellaverunt, ut Macellus memorat proferens hunc locum Valerii Sarani: *Quos Theſauros Græco nomine appellamus, priſcos Latinos Flaviſſas dixiſſe, quod in eas non rude æs argentumq;, ſed flata ſignataq; pecunia conderetur.* vid. Gell. *l.* 2. *c.* 20.

Drachmæ numi a Romanis uſitati.

Flaviſſa quid ſit?

§. II.

§. II. Contra hæc loca, nullus ſane demonſtrabit, Romanos numis ſignatis peregrinis uſos non fuiſſe: ſed quo tempore ipſi ceperint argentum ſignare, ex veteribus ſcriptoribus propter contradictionem perpetuam definire vix licet. Veteres Plinii aditiones *L. 33. c. 3.* ſic habent: *Argentum ſignatum eſt Anno Vrbis C. D. LXXXIV. Quinto Fabio Coſ. quinque annis ante primum bellum Punicum.* Huic obſtat Varro apud Charſium *L. 1.* E diametro *Servius* ait: *Tullius argentum conflaſſe primum dicitur.* Priorem Plinii locum corruptum eſſe dicunt, & Chiffletius & Harduinus. Sed non poſſum non admirari Harduini audaciam, qui publice profitetur, emendationem Plinii a ſe factam; cum tamen Chiffletium ex Johannis fratris lectionibus illum diu ante Jeſuitam ſuppleviſſe in aprico ſit, quem legiſſe negare non poteſt. Sed hujus naturæ eſt autor, qui ſe etiam clariſſ. Morellio ingratum ſatis præſtitit; ex hujus enim doctiſſimi Viri MStis ſatis edoctus, quæ auctor domi perluſtranda comunicaverat Harduino, poſtea in opere *de Num. Pap.* ſe nihil a Morellio, præter paucos & vulgares numos, vidiſſe aſſerit; cum tamen illis ſuum opus, ſine nominatione Autoris, multum locupletaverit. Ita igitur eſt legendum apud Plinium: Q. Ogulnio. C. Fabio Coſſ; nam absque errore unus conſul ſine altero nunquam in ullo reperitur ſcriptore. Sunt etiam quædam editiones, quæ legunt D. LXXXV. ſed etiam Chiffletii codex jam dudum emendat C D. LXXXV. & faſtos horum Coſſ. Onuphrius Panvinius demonſtrat; quid itaque refinxit Harduinus, niſi figmentum hocce publicatum? Patinus *in Vrſini Conſularibus numis p. 107.* in gente Fabia hujus C. Fabii numum profert, cum hac Epigraphe ex averſa parte EX. A. PV. h. e. *ex argento publico*; ex adverſa ſunt bigæ cum ciconia, quæ Fabiis teſſera gentilitia eſt, cui ſubſcriptum: C. FABI. C. F; ſed hic poſterioribus temporibus cuſus eſt, ut moris eſt inter conſulares.

Quo tempore Romani propriam argenteam monetam cuderint.

Plinii locus a Chiffletio emendat'.

Locus hiſtoriæ, ubi unius Conſulis mentio fit, omiſſo altero, mancus eſt.

§. III. Plinii itaque conſtitutum tempus primæ argenteæ monetæ, cum quo concordat Livius in Epitom. LXV. ita ſcribens: *Victis Tarentinis -- tunc primum populus Romanus argento uti cœpit*, hoc tempus, inquam, primis argenteis numis longe inferius credit Cl. Chiffletius non ſine ratione: *At vero,* inquit, *tanto tempore, quanto Plinius populum Romanum argento ſignato Roma caruiſſe, atque in tanta jam imperii mole urbisq; magnitudine tam*

Chiffletius ante Plinii definitum tempus numos argenteos cuſos eſſe contendit.

tamdiu argento peregrino belli pacisque commercia cum exteris nationibus exercuiſſe, vix mihi ſit veriſimile. Tandem profert omnium argumentorum firmiſſimum, nimirum numum argenteum T. Minutii Augurini Conſul. qui ex ea neceſſitate L. Poſthumii collega eſt, quia in omni hiſtoria nullum alium repertum ſcimus. His Coſſ. A. V. C. CD. XLVIII. faſces conſulares prælati ſunt, quod tempus triginta quatuor, & quod excurrit, annis conſulatum Q. Ogulnii & C. Fabii præcedit. Hujus numi ingenuitati ſe oppoſuit Harduinus Chiffletio non nominato; *Nego,* inquit, *ejus eſſe conſulis*, dictatoria quadam poteſtate. Sed ne rationem negationis ſuæ poſcas; concludit enim: *Cujus autem ſit ille, obſcurum eſt*; & in hac obſcuritate Harduinus ſine ratione negans, umbratilis eſt Magiſter.

Hoc per numum probat.

Quod ſine ratione in dubium vocat Harduinus.

§. IV. Accingamus nunc nos ad ipſam Romani argenti conditionem deſcribendam. Gaudebant Romani argento vel pure ex fodinis effoſſo, vel per ſeparationis artem purificato; illud quidem non reperitur apud Scriptores antiquos, ſed quia noſtro tempore quotidie ejus rei experientiam habemus, non dubito, quin etiam antiquis temporibus obtinuerit; quanquam in minore quantitate puriſſimum argentum hoc reperiatur. In fodinis noſtris argentum hoc vocatur lingua vernacula, Faden-Ertz/Glaß-Ertz/ vid. Erckeri *aulam ſubterraneam*; quod ultimum omni ſeparationis modo adhibito non niſi colorem perdit. Memini, quod tempore meo in Norwegia ſummus rei metallicæ præfectus, Vir generoſus à Schlambuſch Daniæ Regi, cum admiratione totius aulæ, ex Norwegia argenti puriſſimi congeriem centum & quinquaginta librarum, & quod excurrit, natura adhuc rudem obtulerit. Et cui ignoti ſunt theſauri illi ſubterranei Auguſto Electori Saxoniæ ex Miſniæ fodinis eruti. Tantæ magnitudinis moles fuit, ut in fodina ex illa menſam & ſellas paraverint, ſupra quam Electorem una cum aulicis laute epulatum eſſe perhibent: pars hujus argenti Dreſdæ in Gazophylacio Electorali ad videndum adhuc exhibetur; & ejus ſpeciei eſt, quod Kraus Silber vocatur, ſine omni ignobilioris metalli admixtione.

Argentum Romanum quale fuerit?

Argentum pure inventum Faden-Ertz/ Glaß-Ertz.

In Norvegia & Saxonia.

§. V. Si Romani, ut ego quidem nullus dubito, denarios ſuos ex tali argento confecerint, non opus illa erudita diſceptatione eſſet, an nimirum artem illam ſeparandi argentum ſeu aurum ab aliis metallis calluerint? ſeu, an in theſi poſſibile ſit metal-

An Romani artem ſeparandi calluerint.

metalla reddere pura. Sed vero tantæ multitudini monetarum non ſufficit argentum ita natura ſua purum & rarum; hinc ad ſeparationem recurramus, quæ ſi omnes alii autores deficerent, ex jure noſtro demonſtrari poſſet. Sane non immerito illud à magno Lipſio antiquitatis cuſtos vocatur. Nimirum circa acquirendum rerum dominium, etiam confuſio ſingularem meretur obſervationem: nam per illam vel nova ſpecies inducitur vel non inducitur; hoc ultimo caſu quivis rerum dominus per ſeparationem rem ſuam accipit: exemplum Ulpianus *l. 5. §. 1. ff. de rei vind.* proponit, quod hic uſum alio modo præſtet; verba Legis ſunt: *Sed ſi plumbum cum argento mixtum ſit, quia deduci poſſit, nec communicabitur, nec communi dividundo agetur, quia ſeparari poteſt*; quod etiam Plinius *L. 33. c. 6.* ſcriptum reliquit. Ex quo abunde patet, quod Romani hanc artem non ignoraverint; non ſolum enim argentum à plumbo, ſed etiam ab ære deducere valebant: hoc alia Lege conſtat, nimirum *L. Lacus. 12. §. 1. ff. de A. R. D. ſi ære meo,* dicit ibidem Calliſtratus JCtus, *& argento tuo conflato, aliqua ſpecies facta ſit, non erit ea noſtra communis, quia cum diverſæ materiæ æs argentum ſit ab artificibus ſeparari & in priſtinam materiam reduci ſolet.* Quomodo hoc factum ſit, docet Alciatus *6. Parergorum II.* Sed res cum auro & argento aliter ſe habebat; de quo alibi dicturi ſumus, nempe in Cap. XI. Ex his igitur textibus neceſſario fluit, quod argentum Romanum è fodinis rude vel purum effoſſum fuerit, vel à plumbo ſeu ære ſeparatum, quia in aliis textibus ab auro deductio plane negatur.

Separationis veſtigia ex Jure petenda.

Romani non ignorabant ſeparationē.

Argentum ab auro ſeparare non poterant.

§. VI. Verum enim vero, ad quam puritatem ſeparatio perduci poſſit? hoc opus hic labor. De arte artifices judicent; nos tantum hiſtorici fungamur munere. Budelius *L. 1. de re numaria* omni conſtantia aſſerit, quod argentum per artem ad ſummum perfectionis gradum pervenire poſſit; cui tamen obſtant Molin. *de mut. monet. q. 100.* Agricola *de re metall. L. 7:* ſed Covarruvius. *c. 3. de veter. num. Collat.* ex Budeo de aſſe hoc itidem aſſerit; quem ultimum autem ſequi, periculoſum eſt, qui a Budelio obſcuritatis, & a Molin. contrarietatis vitii arguitur. Savotus *part. II. c. X.* Gallum nominat Garolt, qui negat, quod aurum viginti quatuor denariorum, argentum autem ad duodecim perduci poſſit; auro enim remaneret impuritas ad octavam denarii, & argento nunquam ſex grana impuritatis abeſ-

Quis ſit puritatis gradus in argento? Budelius ſummam puritatem concedit; negat Molin. & Agricola.

abeſſent. Attamen Garolt. ſibi ipſi obſtat, dum dicit, quod argentum *cineris*, ut artifices loqui amant, puriſſimum ſit argentum atque optimum. Eundem committunt Hiſpani errorem, dum putant, quod hoc argentum, ab ipſis *Acendrado* dictum, omni alii prævaleat; cum tamen hunc gradum ſuperet argentum *capellæ* & *granalatum*, quod, ultimum in Imperio noſtro ſub ignis pœna à privatis conficere prohibitum eſt; *Rec. imp. An. 1548. §.* damit aber. 43. *Rec. 1551. §.* darzu daß. 47. *Rec. 1566. §.* was dann das 168. Ipſe tandem Savot. c. l. primo quidem negat Budelii diſtinctionem, in experimento ſuo prolatam; denique autem concludit, quod nihilominus argentum, ceu reliqua metalla, ad perfectiſſimum puritatis gradum redigi poſſit; aut quod ad minimum contrarium non poſſit doceri. Audiamus ipſum: *Je tiens toutes fois qu' encore que par diſcours & ratiocination on puiſſe inferer, ſoutenir & demonſtrer, que la ſeparation entiere & parfaite des metaux les uns d'avec les autres ne ſe peut faire; on ne peut toutes fois faire voir & cognoiſtre par une experience palpable la certitude de ce theoreme.* Argentum granalatũ optimum. Savot. poſt longam diſputationẽ ſummum gradum puritatis concedit.

§. VII. Purum hoc argentum appellabant Romani *Puſtulatum*, quod verbum ab eruditis multifarie exprimitur: *puſillatum* legitur apud Accurſium; Alciatus autem *6. parerg. 4.* legit *poſtulatum*, & inde dictum arbitratur, quod cum à Victoribus in circo daretur, à quovis poſtulatum fuiſſet; quapropter Martialis *L. 6:* Argentum Puſtulatũ. Quomodo legendum.

Nulla venit à me argenti tibi libra poſtulati.

Budæus mavult *paſtillatum*, i. e. in paſtillos formatum ſeu infectum; Haloander in ſua editione *poſtulatum* habet ad *L. 31. ff. locat.* cujus Legis Auctor Alfenus JCtus eſt, qui à Gellio citatur, dum L. 6. dicit: *quod Carthaginenſes Romanis purum argentum dare cogerentur.* Qua occaſione Cota in memorabilibus ſuis putavit, quod in hac Lege legendum ſit argentum purum. Recte monet Cujacius *L. 7. obſ. 39.* idem eſſe *puſtulatum*, *puſulatum*, *poſtulatum*, quia etiam diceretur puſtula, puſula & poſtula; de ultimo teſtis eſt Tibullus: Cujacii optima opinio.

Læderet ut teneras poſtula rupta manus.

Editio Florentina, quæ omnium optima, legit puſulatum, quæ tamen emendatio non emendat, ſiquidem unum idemque eſt. De hoc nomine plura exhibet Eruditiſſimus JCtus & Anteceſſor Hallenſis J. S. Stryck, in *diſſertatione de argento puſulato &*

Cur argentum ita dictum.

auro obryzo Wittembergæ habita. Argentum autem purum ex ea ratione hoc nomen nactum eſt, quia in præparatione ſolet in puſulas adſurgere. Galli appellant *Argent de grenaille*; quomodo præparetur vid. Savot. *p. II. c. X.* & Erkeri *Aulam ſubterraneam.* Ex hoc itaque argento forſan conflati erant primi Romanorum nummi, quod *Aulus Gellius Lib. 6. Noct. c. 5.* ita deſcriptum reliquit: *Omni alia materia carens, omnibusque ex eo vitiis detractis, emaculatum & candefactum.*

Omnes Conſulares numi puri.

Livius Druſus primo argentum adulteravit.

§. VIII. Propterea omnes conſulares, inter quos pauciſſimi ærei, ejusdem ſunt bonitatis, ſi eos demas, qui a Livio Druſo primam paſſi ſunt commixtionem; ita enim Plinius *L. 33.* ſcriptum reliquit: *Livius Druſus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miſcuit.* Factum hoc eſt A.V.C. DC. LXIII. L. Marcio Philippo & Sext. Jul. Coſſ. Hi numi dicebantur *mixto argento facti numi.* Vid. Gothofr. *in Cod. Theodoſ. L. IX. tit. XXII. de falſa moneta.* Tullius autem docet *L. II. de LL.* Acta Druſii uno SCto abrogata eſſe; inde reſtituta erat moneta. Zonaras refert, quod Romani, tempore Hieronis Siciliæ Regis, inceperint argenteam monetam ære adulterare.

Quæ ſit eorum bonitas?

Nolo litem meam facere, & bonitatem intrinſecam hujus pecuniæ determinare. Savot. *l. c. p. III. c. 12.* ita eam deſcribit: *La plus part des Metalles & monnoyes antiques Romaines ont été battues ſur le fin.* h. e. *Major pars numorum antiquorum ex puriſſimo metallo formata eſt.* Sed Jobertus *Inſtr. II. p. 19.* huic aſſerto contradicit. Hæc conciliare poſſem dicendo, quod Romani, non ſagaces in re metallica, haud attenta re, non ſemper, a principio etiam, ejusdem bonitatis argentum cuderint. An autem differentia ea ſit, quam docet Jobertus, nimirum quod marca argenti Conſularium vix octo unciales & tertiam partem valeat, cum tamen pretium marcæ puriſſimæ decem ſuperet thaleros, ii judicent, quibus ignis non eſt interdictus; qui noſtrum ſane negotium non conſtituit. Marci Antonii fraus inter Conſulares & Imperatorios intervallum quoddam ſtruit; hic enim a Plutarcho & Plinio *l. 32.* ob corruptæ pecuniæ cauſam ferula cenſoria notatus eſt.

M. Antonius corrumpit argentum.

Ad Septim. Severum argentei puri ſunt.

§. IX. Prima periodus fatalis numorum Impp. cum Septimio Severo adeſt; usque ad hunc enim Imperatorem omnes vocantur numi integræ bonitatis, ſepoſita tamen iſta ſcrupuloſæ bonitatis indagatione. Ex hac cauſa etiam horum

rum Imperatorum numi ab antiquariis eruditis vocantur *Series bella*; gallice *la belle ſuite.* Etiam vilioris mixturæ numi ibi cernuntur, utpote quidam Neronis & aliorum Impp: omnium tamen Impp. ex puro etiam argento reperiuntur numi. Non poſſum non hic loci notare, quod Jobertus horum vilium numorum mixturam Gallico nomine *Potin* exprimat; quod mihi ideo diſplicet, quia ex Gallica lingua notum eſt, quod iſtud *Potin* æs flavum ſit, derivans originem a *pot* ſive olla, quia ollæ æreæ in Gallia ex materia hac fabricantur; ſed vero hos numos non ex flavo, ſed fulvo ære & argento compoſitos eſſe cernimus: attamen æreos numos ex metallo hoc cuſos eſſe nullum eſt dubium, imprimis a tempore Alex. Severi. In hac opinione conſentientem habeo Savotum *p. 120.* Nominari merentur inter Imperatores primi Caracalla & Heliogabalus, qui deſtruxerunt puritatem monetæ inſigniter; Caracalla imprimis omnem exceſſit modum, ut docet Dio *l.* 77. Alexander Severus quaſi re bene geſta numos cudi juſſit ſuper viliſſimam materiam, ſuperbam gerentes inſcriptionem: *Reſtitutor monetæ*; cum tamen hi numi ex abjecta materia ſint conflati; nam Savot. *P. II. c. 12.* affirmat, quod ignis ſolutione, ab ipſius numis non niſi tertiam partem argenti ſeparaverit. Forſan titulus hic ob aliam cauſam ipſi attributus fuit, ut mox videbimus. Gallienus Imperator ſecundæ periodi initium eſt; nam ab Imperatore hoc usque ad Theodoſium pretii ſignati, non intrinſeci, inveniuntur numi; nam minima pars argenti æri admiſta cernitur; quam ſpeciem Galli *Billon* vocant, quod exprimant æream argento valde egentem maſſam; ſeu uti *L. 102. ff. d. ſolut.* concinnius loquitur: *Ærosos numos.* Mirum eſt, quod hujus mixturæ etiam metalliones reperiantur, ut *in cap. fin.* notaturi ſumus. Aſt in periodo hac variæ reprehenduntur viciſſitudines; a Poſthumi Imperatoris temporibus res mala peſſima reddita eſt; nam loco argenteæ monetæ numos notabis puros quidem, ſed æreos, & ſubtiliſſimo argentatos colore, quos Galli *Medailles ſaucées* vocant; Latini autem id exprimunt verbo incoctililis utendo. Inſignis eſt Plinii locus de hac re *L. 34. c. 17. Album incoquitur æreis corporibus Galliarum invento, ita ut mox diſcerni queat ab Argento, eaq; incoctilia vocant. Deinde & argentum incoquere ſimili modo cœpere equorum maxime ornamentis jumentorumq; jugis in Alexia oppido; reliqua*

Series bella.

Verbum *Potin* a Joberto male applicatum.

Caracalla & Heliogabalus deſtructores monetæ.

Alexander Severus *Reſtitutor monetæ.*

A Gallieno ad Theodoſium usque viliſſimi numi.

Numi æroſi.

A Poſthumi tempore numi omnium peſſimi.

Numi incoctiles.

liqua gloria Biturigum fuit. Cœpere deinde & eſſeda & vehicula & petorita exornare. Forſitan incoctiles ſunt iidem numi, qui in Lege Cornelia *tincti* dicuntur. Sed ſumma cadunt ſubito; rebus humanis apicem ſive boni ſive mali attingere licitum; ibi perſiſtere prohibitum eſt: Tacitus enim Imperator & ſtudiorum & artium amator, dirutam rem monetalem ex vero fideque reſtituere conatus eſt; hac de re Legem latam notat Vopiſcus his verbis: *Cavit Tacitus, ut, ſi quis argento publice privatimq; æs miſcuiſſet, ſi quis auro argentum, ſi quis æri plumbum, capitale eſſet cum bonorum proſcriptione.* Enim vero nec hæc reparatio longævitatis fuit: nam reliqua ad Heraclii usq; tempora eandem cum moribus pepererunt monetam, ita tamen, ut Imperatores gradu quaſi inter ſe differant: nam Juſtinianus noſter Legibus & moneta inſignis eſt. Ceterum hæc tempora merito vocantur corrupta, nimirum a potiori ſic appellata; quanquam plurimorum Imperatorum numos puros invenire liceat, qui tamen corruptis rariores ſunt.

Tacitus reſtitutor monetæ.

Reliqui numi ad Heraclium usque corruptiſſimi.

CAPUT VIII.

Species argenteorum numorum. Valor Denariorum. Bigati, Quadrigati, Serrati, Quinarii. Victoriati peregrini fuerunt. Seſtertii. Numus abſolute ſic dictus Seſtertium denotat & alias ſpecies. Modus numerandi Seſtertios. Latinorum in numerando elliptica locutio. Aliæ minores Denarii diviſiones. Quædam ſpecies numorum in jure repertæ. Signa valoris in numis argenteis. Scribendi modus Seſtertios.

Variæ argenteorum numorum ſpecies.

§. I. ERant numi argentei Romani ſpecie varii, qui interdum apud ſcriptores *argentei* ſimpliciter vocantur, quod autem tantum accidit Imperatorum temporibus. Spartianus in vita Imperatoris Probi mentionem facit mille argenteorum numorum Aureliani; Lampridius in Heliogabalo mille argenteos nominat; Spartianus in Bonoſo Imperatore argenteorum Antoninorum meminit, & idem in Aureliano argenteos minutos profert. Hoc factum eſt illo tempore, citra ullam confuſionem, cujus explicatio hodie difficilior reddita, imprimis quando nomine relicto ſimpliciter legimus argentei, ſi enim numi verbum additum, ſeſtertii ſub-

ſubintelliguntur, ut mox dicturi ſumus. A principio inde monetæ argenteæ, placuit Romanis certas diviſionis ſpecies formare, quas Plinius *L. 33. ſect. XIII.* refert: *Placuit denarium pro decem libris æris, quinarium pro quinq;, ſeſtertium pro dupondio ac ſemiſſe*; ita ut horum proportio inter ſe ſit ut 1 ½ ¼. Hic valor obtinuit tempore nondum diminuti æris, ſecundum cujus proportionem poſtea pretium denarii auctum eſt: nam tempore belli Punici II. *placuit denarium ſedecim aſſibus permutare,* pergit Plinius *l. c.* Aureus Denarius hujus loci non eſt; ergo in valorem argentei paulo inquiramus; circa ejus nomen Feſtus notat, quod etiam *Decuſſis* fuerit appellatus ex ratione, quam Plinius profert, quia decem aſſes valebat æreos, cujus Plutarchus *in Camillo* etiam facit mentionem. Georgius Agricola *de Pretio monetarum L. 2.* curioſe inquiſivit in denarium, & ejus triplex pondus nos docet: primus eſt ponderis drachmæ Atticæ cum ſemiſſe, ſeu uno verbo ſesquidrachmalis, quod probat ex Nicandri interprete, qui aſſerit, quod denarius habeat unam drachmam & dimidiam; hujus valor eſt quatuor groſſorum Miſnicorum, & numulorum quatuor cum ſemiſſe. Alter denarius, qui ab ipſo legitimus vocatur, ponderis eſt ſeptimæ partis unciæ Romanæ, cui accedit autoritas Plinii *l. 33. c. 9.* dicentis: *Miſcuit denario Triumvir Antonius ferrum, miſcuit æri, alii e pondere ſubtrahunt, cum ſit juſtum LXXXIV. e libris ſignari,* qui locus ſecundum Arithmeticam legitime examinatus priorem corroborat opinionem. Cujus opinionis etiam Cornelius Celſus *L. 5. c. 15.* eſſe invenitur. Valor ipſius æquat 3. groſſos Miſnicos & quatuor numulos. Tertius denarius, & quidem frequentiſſimus, ejusdem pretii eſt ac drachma Attica. Hoſtius & alii volunt, quod non reperiatur ante Claudii principatum, quibus calculum non addo; nam bigati jam drachmales fuerunt, ut mox ex Livio apparebit. Hoc bene ponderato, neſcio, an Rex Taprobanes Inſulæ, ut Solinus refert, *c. 66.* fundamento vero nixus ſit, quod Romanorum laudaret juſtitiam in cudendis monetis, quia pares pondere denarii in pecunia eſſent, quod cepit ex navi Romana. Vid. Plin. *L. 6. c. 22.* quia ibi tantum, non alibi, æquales fuerunt. Eruditi huic tertio denario non unum idemque tribuunt pretium. Birckheimerus, Budæus, Agricola diverſimode ſentiunt: nos amplectimur Melanchthonis

Denarius, Quinarius, Seſtertius.

Denarius Decuſſis dictus.

Denarii triplex pond'.

Seſquidrachmalis.

Alter denarius.

Ejus valor.

Denarius drachmalis ante Claudii principatum an inveniatur?

Ejus pretiū 3. groſſorū.

thonis ſententiam in Chronicis prolatam; qui groſſis tribus Miſnicis illud definit.

Bigati, quadrigati.

§. II. Antequam ad diviſionem denarii progrediar, Bigatorum Quadrigatorumq; examen eſt inſtituendum. Erat autem nota, qua primi argentei numi inſigniti fuerunt; vid. Harduin. *de re monet. pag. 553.* Biga quidem erat currus triumphalis bigis equis, a qua quadriga non niſi quatuor equis differt. Altera pars, imprimis in antiquioribus, capite galeato & alato Romam exprimente notata eſt. Bigatorum meminit Livius ſæpiuſcule, cumprimis *L. 6. dec. 4.* dicens: *Marcus Fabius Nobilior, ex ult. Hiſpania ovans urbem eſt ingreſſus, argenti tranſtulit duodecim millia pondo, bigati argenti centum triginta.* Cruſerius apud Plutarchum drachmas interpretatur bigatas: unde recte conjicitur, hos numos, & drachmæ Atticæ & denarii Romani, Romæ pondere percuſos eſſe; quod confirmat Galienus *L. 8. c. 3. de med. compoſ.* *Perſpicuum autem*, dicit, *eſt, quod drachmam nunc in hujusmodi omnibus dicimus, quod Romani denarium nominant.* Vid. etiam Hoſt. *de re num. vet. L. II. c. IX.* Hard. *c. l.* Quadrigati etiam a Plinio *cit. l.* nec non Livio multoties nominantur, inprimis *L. 2. dec. 3.* *Pacti ut arma & equites traderent in capita Romana trecenis numis quadrigatis, in ſocios ducenis, in ſervos centenis, & ut eo pretio ſoluto cum ſingulis abirent veſtimentis.* Domitiana eſſet quæſtio, de ipſorum pondere ſolicitum eſſe; oculi enim adhibita libra teſtantur, quod ejusdem cum bigatis ſint ponderis: hoc autem non privative dictum eſto; eandem enim figuram etiam quinariis & ſeſtertiis ſuperimpoſitam reperimus, quod Plinius verbis generalioribus innuit: *Nota argenti fuere Bigæ.* Nec Serratos hic tacere valeo, quanquam uberiorem deſcriptionem cum numis pelliculatis reſervemus. Tacitus *de mor. Germ.* hos refert inter antiquiſſimos: *Pecuniam*, ait, *probant veterem & diu notam Serratos & Bigatos.* Hoſtius, Vir aliàs eruditus, nullum forte unquam vidit, dum cit. loc. ita ſcriptum reliquit: *De pondere, unde valor conjiceretur, nihil prorſus, quod equidem ſciam, apud autores traditur.* Ipſi enim ſcrutati ſumus noſtros, quod cum denariis aliisque conveniant. A denario oritur loquendi modus, *ad denarium ſolvere*, h. e. moneta Romana ſolvere. Vocabulum denarii etiam Græcis uſitatum eſſe docet *l. 25. ff. de pign.* Δανεισάμενος παρὰ σοῦ δηνάρια πεντακόσια.

Bigati drachmales.

Biga & quadriga quinariis etiam & Seſtertiis impoſita.

Serrati antiquiſſimi numi.

Ejusdem ponderis ſunt ac alii.

§. III.

§. III. Non vocabatur dimidia denarii pars Semiſſis ut aſſes, ſed quinarius ſine dubio a quinis aſſibus, quibus valebat ex primo nimirum inſtituto; ſic & Vitruvius *L. III. c. 1.* habet: *Quinarius dimidium denarii, i. e. quinque aſſes, unde & ipſe vocatur;* item Varro confirmat *L. 4. d. LL. In argento,* inquit, *numi denarii, quod denos æris valebant, quinarii quod quinos.* Secundum ſuperius agnitam computationem, valet quinarius numulos Miſnicos octodecim, ſeu unum groſſum cum ſemiſſe, & reſpectu Græci ponderis drachmæ Atticæ eſt pars dimidia; cum Victoriato vero Romano convenit. *Victoriatus* verbum ambiguum eſt, quod pro pondere etiam apud Plinium uſurpatur, *L. 20. c. ult. L. 24. c. 2. L. 23. c. 5.* Videtur, quod, quum adhuc peregrinus eſſet, ejus forma ſalivam moverit Romanis, ut ipſi cudendo operam dederint; Plinius enim *L. 33. c. 3.* ita habet: *Antea hic numus ex Illyrico advectus mercis loco habebatur.* Rara enim erat Dalmaticæ tellurs felicitas, teſte Plin. *L. alleg.* Inde plures numi cum inſcriptione MET. DALM. Marcianus p. 877. illum ita explicat: *Victoriatus nunc tantundem valet, quantum quinarius olim: ac peregrinus numus loco mercis, ut nunc tetradrachmum & drachma habebatur.* Sed vero Plinius Romæ indigenam his verbis appellat: *Qui nunc victoriatus appellatur, Lege Clodia percuſus eſt.* Fuit Clodius is Pulcher, qui a Patriciis translatus ad plebejos, factus eſt Tribunus plebis, & Ciceronem exilio multavit A. C. V. DC. XCVI. Cicero *pro Font.* Victoriatorum etiam meminit: *Victoriati terni, Crodinii portorii nomine exacti.* Noſtræ monetæ eſt Victoriatus ſeſquigroſſus Miſnicus. Cur vero Victoriatus dicatur? Plinius docet: *Eſt autem ſignatus Victoria; inde nomen.* Signum Victoriæ nihil aliud eſt, quam figura muliebris alata, tenens altera palmam, altera interdum coronam lauream; deſcribitur a Varrone *L. 4. d. LL.* & Ant. Agoſt. *dialog. II.* Ectypum exhibet Patinus in numo M. Catonis Proprætoris Familiæ Porciæ. Frequenter in numis videtur, vel ſtans vel ſedens. Ne autem omittamus, quod etiam denarii reperiantur eadem Victoriæ nota.

Quinarius a quinis aſſibus.

Ejus valor.

Victoriati numi.

Lege Clodia percuſus.

Cur Victoriatus dicatur?

Denarii etiam cum Victoria.

§. IV. *Secunda denarii diviſio* eſt in quatuor *ſeſtertios*; hoc nomen explicat Varro c. l. *in argento numi dicti denarii, quod denos æris valebant; quinarii, quod quinos; ſeſtertius, quod ſemiſtertius; dupondium & ſemis antiquus ſeſtertius.* Et Vitruvius *L. 3. c. 1.*

Seſtertius unde dicatur?

ita

ita conſentit: *Etiam quartam denarii partem, quod efficiebatur ex duobus aſſibus & tertio ſemiſſe.* Seſtertium vocarunt etiam drachmam.

Ejus valor.

Quoad valorem tandem ſeſtertius præciſe valet novem numulos Miſnicos; & argenteus uncialis ſeu thalerus ſeſtertiis triginta duobus taxatur. Explicatio *Numi* hic ſubjicienda eſt, qui ubique obvius eſt in ſcriptoribus.

Numus abſolute dictus quid ſit?

Secundum vulgarem opinionem idem eſt numus Romanus, quod Seſtertius; id enim conſtat ex Cicerone *in V. Verrina*, dum inquit: *Cogit Scandilium Apronio H. S. quinq; millia mercedis loco ac præmii dare.*

Idem quod ſeſtertius.

Ex quo fluit, quod ſit unum idemque; deinde quod Varro *de Re ruſtica L. 3. c. 6: Sexagena millia numûm*, id Plinius *L. 10. c. 20. ſeſtertiûm ſexagena millia* dicit. Loquitur uterque de quæſtu & ſaginatu pavonum. Reperitur etiam multoties, quod ſcriptores hæc duo verba conjungant; ita Columella *L. 3. Percipere*, inquit, *debet in ſingulos annos mille DCCXL. Seſtertios numos*; idem *L. 1. c. 4: Areas diviſit, numoq; ſeſtertio ſingulis municipibus mancipio dedit.* Valerius Maximus *L. 5. c. 2.* ita habet: *Exequiarum apparatus ſeſtertio numo addicere.*

Seſtertio numo conjunctim utuntur.

Seſtertius ſeu numus comparatus cum Græca moneta τριημιωβολίῳ, hoc eſt ſeſquiobolo Attico, par eſt; ut patet ex Ariſtotele apud Pollucem *L. 9*; de quo plura Budæus *L. 4. de aſſe.* Plutarchus etiam verbum νοῦμμος 250. drachmas Atticas ſeu ſeſtertios valere, in Sylla ſcribit. Ex hac ratione autem hoc factum eſſe credo, quod numus καθ' ἐξοχὴν ſeſtertium ſignificet, quia frequentiſſima apud Romanos moneta fuit; ſed vero convictus ſum, ut credam, Romanos ſub nomine numi aliam etiam intellexiſſe monetæ ſpeciem.

Seſtertius frequentiſſima Romanorum moneta.

Non enim improbabili ratione Cujacius aſſerit, quod numus abſolute poſitus pro ſeſtertio non ſit habendus, niſi ex aliis circumſtantiis pateat, quod ſeſtertius ſit: nam numum etiam alias ſpecies denotare, in aprico eſſe. *Vid. Obſerv. L. 19. c. 31.* Hoc confirmat Plautus, qui in Trinummo ita habet: *Domina una deminui modo quinque numos, mihi detraxi partem herculanam.* Cum enim Grammatici Græci tradant, minam centum eſſe drachmarum, partem autem herculanam conſtet decimam fuiſſe, numus erat quinquageſima pars minæ, ut drachma centeſima; ſic numus conſtabat duabus drachmis ſeu denariis; & per conſequens numus in hoc ſenſu ſumtus, octuplo plus major illo, qui ſeſtertium valet. DN. WAGENSEILIUS *l. c.* auctoritate Plinii numum ſimpliciter poſi-

Sub numi verbo aliæ etiam ſpecies veniunt.

poſitum pro denario etiam accipi poſſe contendit : nam ille dicit *l. 8. c. 57. Caſilium obſidente Annibale veniſſe murem ducentis numis*, & apud Valerium legitur : *Venditum fuiſſe murem ducentis denariis.* Conſentit de denario etiam Frontinus *l. 4. Strateg.*

§. V. Quod reliquum eſt, numerandi modus ſeſtertios, & totum in lingua Latina negotium circa vocabulum hoc, difficillimum eſt. Agricola & Hotomannus putant, quod ſeſtertium & ſeſtertius idem ſignificet, nimirum numum; Budæus vero & Gronovius Neutrum, ſeſtertium, pro millibus ſeſtertiorum accipiunt. Multi quidem hanc rem perſpicuam reddere conati ſunt, ſed nemo, ut verum fatear, eò perduxit, quò incomparabilis Wagenseilius, qui quæcunque ſuſcipit admirationis ſunt argumenta. Fiat ejus cum pace, ut iſtud huc transſcribamus, cujus Autor eſt. *Primo* verbum Seſtertium in neutro genere genuinum eſt, & antiquitate nititur, ita ut quemadmodum ſub voce ſeſtertius verbum numus, ita ſub ſeſtertium verbum argentum ſubaudire oporteat. Argenti autem libra numis ſeſtertiis 400. ac proinde duæ & ſemilibra numis ſeſtertiis 1000. æſtimabantur, atque tantum valet ſeſtertium, mille nimirum ſeſtertios aut mille numos, qui ſecundum Paſcaſii Groſippi, ſive Gaſparis Scioppii, tabulas rei antiquæ numariæ Imperialis monetæ Scutatos XXV. efficiunt, ſeu ad noſtram computationem XXXI. unciales & ſex groſſos Miſnicos. A. Gellius *L. 5. c. 2.* Bucephalum Alexandri M. equum tredecim talentis emtum eſſe refert; quæ æris Romani ſeſtertia CCCXII. facerent. *Secundo* ſeſtertium in unitatis numero haud temere apud Scriptores Romanos occurrit, ſed ſolus pluralis numerus ab iis adhibetur. *Tertio* ſi nomen numerale convenit caſu, numero & genere cum ſeſtertio, tot præciſe indicat, quot efferuntur, ut decem ſeſtertii totidem ſignificant. *Quarto*, ſi nomen numerale alterius caſus jungatur cum genitivo plurali ſeſtertiûm, tot millia indicantur, ut decem ſeſtertiûm notat decem millia ſeſtertiorum. *Quinto* ſi adverbium numerale jungatur cum genitivo plurali ſeſtertiûm, deſignat totidem centena millia, ut decies ſeſtertiûm, valet decies centena millia ſeſtertiorum 1000000. *Sexto* adverbium numerale ipſum nude ac ſolitarie poſitum valet ſimiliter tot centena millia ſeſtertiorum, ut *decies, undecies, centies*

Modus numerandi ſeſtertios.

Dn. Wagenseilii regulæ de uſu vocab. ſeſtertii.

ties &c. valet tot centena ſeſtertiorum millia, ſive quod idem eſt, tot centena ſeſtertia, vid. dict. tract. DN. WAGENS. c. 9.

Sæpius per ellipſin in numerando Romani loquuntur.

Autoribus etenim per ellipſin loquendi frequens eſt formula. Cicero *L. 4. ad Atticum* ſcribit, quod villa Tuſculana æſtimata fuerit quingentis millibus. Svetonius *in Nerone c. 10.* idem habet dicens: *Quingena quibus damna annua Nero conſtituit a re familiari deſtitutis.* Nec non Poëtæ ita loqui amant, ut Martialis *L. 6:*

Pauca Jovem nuper cum millia forte rogarem.

& rurſus *L. 5:*

Quid promittebas mihi millia Gaure ducenta.
ſi dare non poteras millia, Gaure, decem.

In quibus locis omnibus ſemper millia ſeſtertiorum intelligenda, ſed in quibusdam locis millia deſiderantur; nam idem Martialis:

Septingenta Tito debet Lupus.

& alio loco:

Quadringenta tibi non ſunt, Chæreſtrate, ſurge!

Talis elliptica locutio occurrit in *l. 40. ff. de reb. credit.* ibi enim *L. Titius ſcripſit, me accepiſſe a Publico Mævio quindecim mutua numerata*; quod idem eſt ac quindecim millia. Uſi ſunt Romani hoc abbreviandi modo propter multitudinem numorum minutorum, longis aliàs orationibus pronunciandam.

Minores denarii diviſiones.

§. VI. Non ultima erat in ſeſtertios denarii diviſio; quanquam Contius in *diſp. Jur. c. 16.* ultra ſeſtertium nullam admittat minorem monetam; & alias diviſiones tantum cerebrinas vocet. Cornelius Celſus *l. 5. c. 17.* docet, quod denarius in ſex partes diviſus fuerit, quemadmodum drachma in ſex obolos, ita ut hæc ſextans idem faceret, quod obolus Atticus, nimirum 6. numulos Miſnicos. Hanc diviſionem ſequitur *Libella* diminutive dicta a Libra, quaſi puſilla Libra, ut Vol. Mæt. demonſtravit. Varro teſtatur, quod ſit numus argenteus, æris aſſem valens, ſeu Libram; hinc denarii decima pars eſt, Romani in loquendo pro minima argenti ſpecie utuntur, ita Plautus in Pſeudulo:

Sextans.

Libella.

Tibi libellam argenti nunquam crederem.

Libella ſeſtertii.

Sembella.

Alia autem eſt Libella denarii; alia Libella Seſtertii; illa denuo dividitur in Sembellas duas, quæ iterum, Varrone autore, denarii viceſima pars eſt; & quemadmodum Libella valet tribus

bus numulis Miſnicis cum tribus quintis, ita Sembella unum æquat numulum, cum quatuor quintis. De Libella Seſtertii ita Mætianus habet: *Eſt autem Libella Seſtertii decima pars*, adeoque valet novem decimis numuli Miſnici. Teruncius Teruncius. tandem hujus & alterius Libellæ partem facit; nam ita conjungit Mætianus in loco priori: *Eſt autem Libella ſeſtertii decima pars, teruncius quadrageſima; ita dictus eſt, quia Libella tres facit uncias.* Hic autem deficit noſtræ monetæ proportio.

§. VII. Jus Juſtinianeum adhuc aliarum monetarum mentionem injicit; nam *Nov. 105. c. 11. §. 1.* permittit Conſulibus Species numorum in jure repertorum. miſſilia ſpargere, *in his monetis, quæ vocantur miſſilia, thymelicis & caveis & in quadrangulis*; ita textus Latinus pronunciat, qui avtenticus vocatur; ſed Gothofredus erudite emendavit primo verbum miſſilia, quod in Græco textu legitur μιλιαρισίοις: μιλιαρίσιοι. nam Miliarenſes numorum genus erat, quod militibus erogabatur. Cedrenus putavit, quod ita dicantur quaſi militares, & Suda ipſi decimam ſolidi partem attribuit. Miliarenſium etiam mentio fit *in L. 7. C. de palat. Sacr. larg.* Secundo Gothofredus verbum Thymelicis correxit, quod ſua natura hi- Thymelici ſtrionum ludos denotat; ſed Græcum verbum in Novella, μήλοις numi. ſignificat rotundum, qui autem fuerint iſti numi nos latet: in ſignificatione enim lata omnes numi ſunt rotundi. *Cavei* a Cavei numi. forma ſine dubio dicuntur, quod cavi fuerint, & forſan fuit Siciliæ moneta propria. *Quadranguli* à forma etiam dicuntur, Quadranguli. & ipſe me eos vidiſſe memini; ſed erant aurei cum Græca Epigraphe.

§. VIII. Quot ſpecies horum numorum adhuc videre liceat, haud definiam; addam tamen ſigna eorum, qui frequenter nobis obvii ſunt. Denarii ſignum eſt litera X, ut Signa numorum. numi decem Librarum; hoc non ſolum teſtatur Soſipater & Priſcianus, ſed & ipſa experientia docet. Veteres Medici Latini ſigno hoc 7ff ⅌ denarium notarunt, ſed ſine dubio ad pondus eorum pertinet; vid. Hoſt. *Rei numar. L. II. c. VI.* Quia drachma cum denario convenit, opportune notabo nu- Numus drachmalis Neronis. mum Græcum Neronis drachmalem, in cujus altera, quæ tripode inſignita eſt, expreſſum verbum ΔΡΑΧΜΗ legitur. Interdum etiam reperitur denarius cum hoc ſigno XVI. Patinus Denarius cum XVI. in gente Titinia & Valeria aliquem profert, & hoc deſignat ſedecim aſſes, ex quo ſcil. Hannibale urgente Reipubl. inter-

erat aſſes unciales reddere, placuit etiam denarium ſedecim aſſibus permutari. Sæpius allegatus Agoſtini *Dial. 1. p. 9.* ectypos alios exhibet. Quinarius non uno gaudet ſigno; modo V, modo Q ipſis inſculptum eſſe reperies; Vid. Patin. *l. c.* Harduin. *de re monet. p. 555.* Porrigit etiam Agoſtin. d. l. numum cum ſigno hoc VIII. octo denotans aſſes, quod immutationis æris tempore factum; ſed hanc notam non ad ſeſtertios ſe extendiſſe putat; ſubjungit enim Autor: *Ma in ſeſtertio alcuno non ho grà veduto mai il numero IIII.* Hoc non obſtante, non eſt dubitandum, quod etiam ſeſtertii quatuor aſſes valuerint, ut Plinius docet, & *l. ult. C. de donat.*

Quinarius cum VIII.

Seſtertii ſignum.

§. IX. Reſtat nobis ſeſtertii ſignum, quod apud autores ita reperitur: IIS. LLS. H-S. HS. quorum una eademq; eſt ſignificatio; Duo II. vel LL. exprimunt Libras duas, quemadmodum in ſignis numorum æreorum notavimus; S. autem ſemiſſem indicat, non aliter ac in numis æreis: Seſtertius enim denarii quarta pars duas cum ſemiſſe valet Libras, quia denarius decem. Budæus de aſſe *L. 4.* ſe reprehendiſſe, ſcribit, in vetuſtiſſimis Codicibus ductam ſupra $\overline{HS}$ lineam, quæ millenarium numerum per compendium exprimit; nam quod eſt apud Plinium *L. 33. c. 10. C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento edixit, quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen relinquere innumerato HS DCM.* id in antiquiſſimo Codice ita ſcriptum eſſe dicit $\overline{HS}.\overline{DC}$. Quid pluribus opus? Probus Grammaticus docet, quod literæ $\overline{I}.\overline{V}.\overline{X}.\overline{L}.\overline{C}.\overline{D}.\overline{M}$. millies ſint multiplicatæ per lineolam. Genuinum itaque in ſeſtertiis numis ſignum eſt, IIS. HS. Sed unde in H medium ſecans linea orta, ambigua lis eſt. Non illis adſtipulari poſſum, qui dicunt, quod ob imperitiam ſcribentium factum ſit, ſive facilitatis cauſa; Romanos enim hoc conſulto feciſſe, aſteriſcus ille docet, qui in denariis ✳ reperitur, qui litera X cum linea eſt medium interſecante; quod ſine dubio ornamenti cauſa factum eſt. In Conſulari numo gentis Marciæ I cernitur etiam interſectum I, & Agoſt. *p. 7.* exhibet numum, in quo verbum Duumviri ſic II VIR. cernitur, ita ut media ſecans linea non intra duplex Jota ſe terminet, ſed illud ex unaquaque parte longe tranſiliat: Auguſtini hac de re re *d. l.* opinio hæc eſt: *Ma perche ci fu chi uſo interſecare i dui II. con una linea ſe ne venne ad oſcurar la ſcrittura*; quod cuiq; dijudicandum relinquimus.

Numerus millenarius per lineam exprimitur.

Media linea, duplex Jota conjungens, non ex errore adjecta eſt.

De

De pondere argenti ex propoſito nihil adferre animus eſt: nam omni difficultate obfuſcata res eſt; & quod Savotus præſtitit, omnibus erit ſufficiens.

CAPUT IX.

Numi Pelliculati, non poſſunt dici Bracteati aut Ferruminati. Eorum ætas. Affines ſunt Pelliculati & Serrati. Subærati ad Galienum usq; inveniuntur. Numi Perforati. Numi Subferrati argentei. Dantur aurei Subærati. Numi auro tincti. Numi ærei Subferrati. Ars eſt inimitabilis in Pelliculatis. Antiquorum differentia & hodiernorum.

§. I. PEdem nunc promoveamus ad dignoſcenda *Pelliculata* numiſmata falſa; nam ipſi alias mercari interdictum eſt, qui monetam ignorat. Adulterandi numos malitia cum numis quaſi ipſis orta eſt; quis autem calliditſſimi inſtituti, inveſtiendi æs vel ferrum argento, autor ſit, cum eruditis nos ignoramus. Didicerunt Romani artem cudendi a Græcis, forſan cum ipſa virtute vitium ſimul acquiſivere; hoc ideo credere fas eſt, quia etiam Græca inveniuntur pelliculata, ut teſtis eſt Patinus. Hinc merito cum DN. WAGENSEILIO eorum rejicimus opinionem, qui M. Antonio falſum hoc adſcribunt: nam Plinius quidem affirmat *L. 33. c. IX. quod ille ferrum denario miſcuerit*, ſed verbum miſcere plane his numis inconveniens eſt: nam ſciendum eſt, quod numus ſubæratus ſit æs, quod ſuperinductum eſt lamina argentea, ita ut argentum ab ære ſeparari commode poſſit, ſi modo in margine ſolutum. Inde non ſatis rem explicant, qui illos bracteatos appellant, ut Dn. Struv. *in Biblioth. numiſm:* nam bracteati numi natura ſua non niſi bracteæ ſunt ſubtiles, quæ antiquitatis Cimelia, Germaniæ noſtræ quaſi propria ſunt; erudite de illis ſcripſit Dn. Olearius; & nuperrime Dn. Sperlingius *in Epiſtola de numis bracteatis & cavis ad Dn. Mellen.* Nec convenit his numis, numorum ferruminatorum nomen: nam ferruminatio, ſecundum omnium JCtorum doctrinam, *eſt ejusdem generis materiarum ſolidatio*; ſed vero argentum & æs non ſunt ejusdem generis materiæ, uti videre eſt *in L. 23. §. 1. ff. de rei vindic.* juncta *L. 14. ff. de aur. & arg. leg.* Hic datur exem-

Numiſmata Pelliculata.

Numi Græci pelliculati.

Eorum deſcriptio.

Non poſſunt dici bracteati.

Nec numi ferruminati.

Quid ferruminatio?

exemplum ſtatuæ, ſi ipſi brachium ferruminando junctum ſit ejuſdem materiæ; & concludit JCtus Paulus: *Ferruminatio per eandem materiam facit confuſionem.* Sed vero in his numis primo ferrumen deficit: nam argentum nulla materia interveniente æri ſuperimpoſitum eſt; quanquam non inficior, quod etiam ferruminatio nulla interveniente alia materia fieri poſſit, h. e. ſine ferrumine; & ſecundo, manente ſpecie, argentum ab ære ſeparari poteſt, ut potius ex ſanis juris fundamentis, dato caſu: ſi ſcil. quis ex ſuo ære & alterius argento pelliculatos compoſuerit, actionem ad exhibendum cumulata rei vindicatione inſtitui poſſit, per *L. 5. ff. de rei vind. l. 12. d. A. R. D.* Ex his prædictis elegantius dicuntur *Pelliculati*, quaſi pelle impliciti ſeu *Incruſtati*, quod eadem vi Galli exprimunt *Les Medailles furrées*, quod etiam præſtare poſſumus in vernacula noſtra, gefüttert überzogene Müntzen. A quo tempore reperiantur? etiam cum auctore incertum eſt inter ſcriptores. Jobertus emunctiorum narium Antiquarius his verbis errat: *C' & une eſpece de fauſſe monnoye qui commença dés le triumvirat d'Auguſte.* h. e. *Horum numorum origo coincidit cum Auguſti Triumviratu.* Ortum forte hoc trahit a Plinii ſententia jam reprobata, quod Antonius Triumvir autor fuerit; ut enim taceam, me cuſtodire inter meos Conſulares ſubæratos Julii tempore cuſos; Æneas Vicus teſtis omni exceptione major eſt, qui in *Diſcorſo ſopra le Medaglie L. I. c. VI.* de illis ſic loquitur: *Ve dendone hoggi molte battute coſi in tempo de Conſoli come de gli Imperatori.* h. e. *Eorum multi hodie videntur tum Conſulum tum Imperatorum tempore cuſi.*

Elegantius dicuntur pelliculati.

Joberti ſententia de eorum ætate, & ejus error.

§. II. Numi tandem ſerrati firmiſſimum argumentum nectunt, quod ante Antonium & Auguſtum cuſi fuerint; hos ſerratos Tacitus *de Mor. Germ. c. 5. pecuniam veterem* nominat, *& diu notam.* A forma externa ſic dicti ſunt: nam extima ora in formam ſerræ eſt elaborata; hinc Galli eos vocant *dentelées.* Rhenanus, Willichius, Alexander ab Alex., Pierius, Valerianus & Althamerus exiſtimarunt, Numos ideo vocari Serratos, quia ſerræ imaginem ab alterutro latere impreſſam habeant; ſed vero his contradicit ipſa experientia. Accuratius rem ſcrutanti ſtatim occurret, quod exciſæ crenæ ingenuitatis teſtes ſint, ſcil. quod numus non ſit ſubæratus. Lipſio & Berneggero aliter placuit, nimirum crenarum officium eſſe, ut

Numi ſerrati propter pelliculatos inventi ſunt.

Serratorũ forma.

ut demonſtrent nihil in numo periiſſe ; ſed ſatis ſuperque a Dn. Wagenseilio ſunt compulſi. Fortaſſis Marius Gratidianus eorum auctor eſt : nam teſte Plinio *l. 33. 9.* & Cic. *3. de Off. Primus artem re, erit denarios probandi, quo multitudini tam charus fuit, ut omnibus vicis ſtatuas, & ad eas thus & cereas illi dicarent.* Ipſis tamen non deficit probabilitas, qui dicunt ornamenti ergo id factum eſſe, nituntur fundamento, quod Syriacorum Regum reperiantur numi, iique ænei, quorum oræ ſimiliter crenis ornatæ ſunt, quod tamen intactum a nobis manebit. De ſerratis tenendum eſt, quod ſint communes ad Auguſtum usque, poſt hunc Imp. nulli inveniuntur; ſed ſubærati reperiunntr per totum Imperium Altum. Cuſtodimus nos ſubæratum *Barbiæ Orbaniæ* uxoris Alexandri Severi, quod quidem ipſe miror : nam ejus tempora Numiſmata haud merentur tam pretioſum fucum. Imo Gallieni numum ſubæratum profert Dn. Morell. *in Specimin.* Liceat mihi ſerratis numis aliud numorum genus ſuperaddere, quod meo quidem judicio uſitatum fuit, ut de numi bonitate intrinſeca conſtaret, ſunt *perforati numi.* Videntur quidam, in quibus foramen vix perforat alteram numi partem; ut itaq; eorum excludatur opinio, qui dicunt, quod iſti numi fuerint, qui loco cimeliorum ap, endebantur : nam quosdam poſſideo Conſulares argenteos, qui præter Romæ caput nihil notabile exhibent, & nota gaudent, quod jam antiquitus ſint perforati; ærei tamen reperiuntur, quibus appendendi uſum non denego, vid Dn. Struv. *Biblioth. num. c. 11. p. 137.* Hanc ſententiam corroborat Smetius *in Antiquitat. Neomag. p. 154.* ubi numum gentis Corneliæ ſubæratum ſimulque ſerratum exhibet : nam quia impoſtores etiam crenas imitati ſunt, nihilominus manente numo ſubærato, haud aliter probare numum poterant, quam illum perforando in medio.

Opinio de eorum autore.

Ærei ſerrati.

Ad Gallienum usque reperiuntur.

§. III. Sed de pelliculatis numis nondum ſatis : interna ipſorum materia non ſolum ex ære conſiſtit, ſed etiam ferro : nam ita Savot. magnete expertus eſt. Non abſurdum eſt admirari, quonam marculo ferrum duriſſimum metallum ſit ſignatum. Enim vero non ſolum indurari poteſt ferrum, ſed etiam emolliri, ita ut minus reſiſtat ac ipſum æs. An etiam aurum fuerit unquam ſubæratum dubitatur a quibusdam inter quos familiam ducit Savotus, credens, quod fraus fuerit

minus

An aurei ſubærati? negatur a Savoto.

minus celata: nam ferrum ſeu æs duplo plus levius eſt auro. Sed hoc nondum vincit argumenta obſtantium: nam plumbum ab auri pondere adeo remotum non eſt, cujus ſceleris praxin hodierna malitia ſæpius docet. Alienus non eſt ab opinione noſtra Eruditiſſimus Chiffletius in tract. *de antiq. numiſm. c. 7:* nam putat, quod antiquitus laminis aureis & argenteis

Affirmatur ob multas rationes.

æs interponeretur; imo Poëta familiaris noſter Perſius *in Satyr. V.* ſi non rem decidit, eam tamen fulcit, ita canendo:

> -- -- *Tibi recto vivere talo*
> *ars dedit, & veri ſpeciem dignoſcere calles,*
> *ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro.*

Ad minimum hujus auctoritate non inficiandum, quod olim ære aurum ſubduxerint ad fraudandum & inducendum; præſumtio autem eſt, quod etiam numos deauratos in fraudis ſcenam produxerint, quia non ignari erant hujus præparationis; id quod docent argentei ſubærati. Vt aliis argumentis ſuperſedeam, unicus locus, quem Dio *l.* 77. ſcriptum reliquit, ſit inſtar omnium, niſi plane fas ſit, Hiſtoricorum negare auctoritatem:

Notabilis Dionis locus.

Τῷ οὖν Ἀντονίνῳ τά τε ἄλλα καὶ τὸ νόμισμα κίβδηλον ἦν τότε ἀργύρεον καὶ τὸ χρυσίον ὃ παρεῖχεν ἡμῖν, τὸ μὲν ἐκ μολίβδου καταργυρούμενον τὸ δὲ καὶ ἐκ χαλκοῦ καταχρυσούμενον ἐσκευάζετο. h. e. *Antoninus igitur aliis etiam numiſma ibus ſcoriam miſcebat, & argentum & aurum quod exhibebat nobis illud ex maſſa plumbea inargentatum erat, hoc vero ex ære inauratum parabatur.* Accedit etiam huic ſententiæ noſtræ Pollux, qui numum argenteum auro obductum ὑπάργυρον appellat, & numum argenteum ſubæratum ὑπόχαλκον. Quinimo Jus noſtrum illud ipſum affirmat: nam in *L. 8. ff. ad L. Cornel. de falſ.* hæc Vlpiani verba legimus: *Quicunque numos aureos partim raſerit, partim tinxerit vel finxerit, ſi quidem liberi ſunt, ad beſtias dari, ſi ſervi, ſummo ſupplicio affici debent.* Verbum *fingere* nihil aliud denotat, quam efformare numum aureum ad ſpeciem, & notanter diſtinguitur *fingere* a *tingere*: nam hoc tantum ſibi vult illinire colore, illud autem tectiorem fraudem deſignat. Tinctos tales aureos habuiſſe aſſerit Thomas Chiffletius *in diſſert. de Othon. ær. c. 6.* Trajani & Probi. Numos illos vocat, *cultus & honoris cauſa factos numos.* Vid. etiam Joh. Jac. Chiffletium *in anaſtaſi Childerici Regis L. 18.* Nos cuſtodimus

Pollux aureos & argenteos ſubær. diſtinguit.

Juris accedit deciſio.

Tincti aurei.

mus Caligulam primæ magnitudinis cum tribus ſororibus,qui auro tinctus eſt opera antiqua genuina.

§. IV. Omnis dolus turpis lucri faciendi cauſa a malis excogitatus; ſed ecce ſe nobis ſiſtit numus foris æreus, intus ferreus. Incomparabilis WAGENSEILIVS pro ſua, qua pollet, humanitate, ex ſuo Cimeliarchio ejus copiam nobis fecit. Extra dubitationis aleam poſitum eſt, quod ferreus ſit ære obductus. De externa ipſi teſtantur oculi, & de interna qualitate certiores nos reddidit magnes. Ad ſignum ejus quod attinet, antica refert caput Commodi, quod quidem omni deſtitutum eſt inſcriptione, ſed facies adhuc integra iis nomen ſupplet, qui in arte non ſunt peregrini; poſtica vero Lunæ quaſi maculas æmulatur: nam ferrugo in æream penetravit laminam, quam ita corroſit, ut præter literam S. a Senatus Conſulto ne Oedipus quidem aliquid colligere poſſit. Termini moti ibi reperiuntur: nam perdidit rotunditatem, ut mihi ille futurus ſit magnus Apollo, qui formam extimæ dicet oræ. Ex faciei magnitudine primam magnitudinem colligere licet; quia caput laureatum eſt, non ſine fundamento Victoriatum conjicimus. Cuſus eſt in juvenili Cæſaris ætate, quod barbæ penuria docet, quæ alias hunc Imperatorem ſatis exornat. Parum abeſt, quin credam eum eſſe numum, quem Erizzo exhibet *p. 360.* Antica hac gaudet Epigraphe: IMP. L. AVREL. COMMODVS AVG. GERM. SARM. cum laureato Imperatoris capite juvenili; alteram partem exornat tropheum cum captivis duobus ſedentibus Germanis; ſubſcriptio eſt DE GERM. Litera S ad dextram & C ad trophei ſiniſtram conſpicitur. Non adeo ignoti ſunt numi ærei ſubferrati; incidimus in locum Joh. Smet. *Antiquit. Neomag. p. 170.* ibi dicit: *Ærei aliqui etiam ſubferrati reperiuntur*; & paulo poſt: *Numi autem, qui intus ferrei, iſti foris lamina ærea erant obducti; cujus commodi cauſa id factum ſit, me latet; labor enim & impenſa longe pretium æris ſuperat.* Ita non conveniens res eſt, cum humana vel malitia vel luxuria; nec penetrare ſatis poſſum, cujus uſus fuerit. Sed in tanta obſcuritate mihi hariolari liceat. Sæpius accidit, quod ferrum ab ære non ſatis ſit ſeparatum, ita ut forte fortuna in crucibulo ferri vena inſeparata maneat; & non adeo impoſſibile eſt, quod tale fruſtulum fundendo ære obductum inſcio

Num. æreus ſubferratus ex cimeliarchio Wagenſeil.

Ejus deſcriptio.

Qualis ſit numus.

Plures ærei ſubferrati.

Noſtra opinio de his numis.

monetario marculo ſignatorio fuerit ſubjectum; reprehendimus etenim, quod non inſtar argenteorum ſubæratorum æris lamina ab una quaque parte eandem æqualitatem monſtraverit; potius ferrum internum temperato modo explevit orbem numiſmatis. Ita puto, ſalvo tamen rectius ſentientium judicio. Objectum aliquando mihi fuit a Viro eruditiſſimo, quod æs non patiatur ferrum; quod concedo, ſi jam liquefactum æs ferro admiſcere velis; ſed ferrum & æs inſimul commode ſolvuntur. Aliam opinionem fovet Dn. Struv. *in Biblioth. numiſm. c. 11. p. 135.* dum hujus generis numi ipſius admirationem occupant: *Inveniuntur*, inquit, *etiam, qui intus ferro, foris lamina ænea obducti, quorum labor & ſculptura æris pretium longe ſuperat. Ex quo facile colligendum, non omnia numiſmata monetarum nomine olim veniſſe, ſed antiquitatem æternæ heroum gloriæ multum dediſſe.* Ceterum ipſum numum Wagenſeil., ut eſt, corroſum, æri incidi curavi.

Pelliculati argentei rari ſunt.

§. V. Quod reliquum eſt, Pelliculati argentei inſignis ſunt raritatis, quia, ut Dn. Morellius refert, intellecta fraude, ſtatim rumpi juſſerunt Imperatores ſeu Conſules matrices; nec omni tempore illos parare commodum erat. Nam requirebat doli ars, ut certa craſſitie præditi eſſent numi, quæ in Imperio, quod vocatur, baſſo deſideratur. Diſcernendi notam Savot. deſcribit *Partie II. C. 12: Les pieces fourrees ſe recognoiſſent non ſeulement par le ſon, ſi elles n' excedent point la groſſeur de celles, qui ſont entierement de bon argent, mais auſſi par le tresbuchet*, *parceque le cuivre & le fer ſont moins peſans que l' argent, eſtant encore plus aiſées a recognoiſtre, ſi elles ſont furrees de fer, que ſi elles l' eſtoint de cuivre, d' autant que le fer eſt plus leger que le cuivre.* h. e. *Numi pelliculati ſono cognoſcuntur & pondere: nam æs & ferrum argento leviora ſunt metalla &c.* Admiremur autem artis arcanum in his numis, quod cum Pancirollo merito inter res deperditas numerandum eſt. Nam nullum hujus ævi ingenium cum ſucceſſu reſtituere illud valuit. Argentatos quidem & deauratos tota die profert Noriberga & Auguſta artium officinæ; ſed eheu! multis, quod ajunt, paraſangis ab antiquis diſtantes. Affabre etiam ſunt parati, & ad fraudem usque auro & argento inveſtiti, adeo, ut ſemper ſpacium æris relinquendum ſit, ne mali ipſis abutantur; ſed ad perfectionem antiquorum non accedunt. Nam primo extre-

Modus eos diſcernendi

Ars eſt inimitabilis, & hodierni argentati numi cum pelliculatis non ſunt æquiparandi.

extrema ipſorum circumferentia ab uno quoque latere acuta eſt, in antiquis rotunda; in noſtris juncturam laminarum argentearum accuratiori oculo dignoſcere licet, ſed antiqui argento perpetua arte ſuperinducti ſunt, & lynceis oculis juncturam fruſtra quæres. Placuit mihi perilluſtris Perſonæ judicium, quæ ita de parandi arte judicavit: quod nimirum ex principio Æn. Vici, antequam numus marculo ſubjectus, prius in modulo fuſus fuerit, ne marculus totam ſuſtineret vim; hunc fuſum æneum numum falſarii ſub liquefacto argento merſerunt, ut pelliculam argenteam indueret quaſi, quo facto formam, quam vellent, marculo impreſſerunt.

Differentia inter hodiernos & antiquos.

Quomodo antiqui parati fuerint.

CAPUT X.

Aurum à cuſtodiendo dictum. Aureorum numorum Autor. Unde Romani aurum acceperint. Aurum ramentitium. Numi Græci aurei. An Romani æs ab auro ſeparare potuerint? Aurum Obryzum, unde dictum. Aurum Balucæ. Auri indicatura. Quid κεράτιον, quid follis? Bonitas aureorum veterum.

§. I. GRadatim ad aſtra vehimur per æs & argentum, Solis, h. e. auri ordinem nunc tangimus, quod Romanis fuit ultimum metallum, quia ejus cura relictis aliis ſemper fuit ultima ac præcipua. Nam

Aurum nobiliſſimum metallum.

— Aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam.

Lucret. L. 5.

Non male opinantur illi, qui cum Feſto ſentiunt, quod hoc verbum à cuſtodiendo derivandum, quia aurum præcipue cuſtoditur, Græce enim ὠρεῖν cuſtodire dicitur. Plinius invehit in autorem numorum aureorum, dum *L. 33. c. 3.* dicit; *Proximum ſcelus fecit, qui primus ex auro denarium ſignavit.* Sed crimen ſit abutentium, non autoris, in tali Republica, in qua iſto carere, calamitoſum.

Derivatur à cuſtodiendo.

§. II. In præcedentibus demonſtravimus, quod Romani alienis numis aureis diu uſi ſint, antequam propria ſigna imprimerent; quod ob auri egeſtatem minime factum eſſe cenſeo. Nam ipſi Romani teſtantur, quod plus auri quam argenti fuerit; ſed aurum pro argento ad alios uſus impende-

Plus auri quã argenti olim fuit.

 bant,

bant, ut dicit Vopiſcus de Aureliano Imp. *Habuit in animo, ut aurum neq; in cameras, neq; in tunicas, neq; in pelles, neq; in argentum mitteretur, dicens, plus eſſe in rerum natura auri quam argenti, ſed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum*

Auri vocabulũ quomodo in jure ſumatur?

uſus perire, argentum vero in ſuo uſu manere. Ubique ſane cognitum hoc dilectiſſimum metallum quid mirum, quod in jure noſtro inveniatur? ut *l. 159. ff. de V. S. l. 23. C. ad L. Jul. de Adult.* & in Codic. Theodoſiano *l. 7. 8. de falſ. monet.* Ita enim late ſumitur in jure, ut etiam ſimpliciter poſitum annulos aureos & aurea emblemata contineat, ut Ulpianus docet

Plinii locus de autore aureorum numorum obſcurus.

l. cum aurum §. idem. ff. de aur. & arg. leg. Putant quidam, quod ante Plinii definitum tempus jam cuſi fuerint numi aurei, quod ex jam allegatis Plinii verbis torquere ſatagunt: nam indefinite ibi loquitur, & annectit, *quod & ipſum latet autore incerto;* cum tamen in ſubſequentibus tempus, ergo etiam autorem nominet; & fateor, quod obſcuritate laboret locus, niſi dicere velis, quod hic certa ſpecies ſubintelligatur: nam ſubſequens Plinii paragraphus de tempore ſignati auri, ſatis diſer-

Quo tempore percuſſi?

te loquitur l. c. *Aureus numus,* dicit, *poſt annum LXII. percuſſus eſt quam argenteus.* Accidit hoc per neceſſitatem computationis, anno Vrbis C. DXLVII. qui decimus tertius fuit belli Punici ſecundi, cum impenſas fieri maximas ei bello gerendo oporteret. Conſules tum fuerunt M. Livius Salimator ſe-

Neceſſitate urgente id factum.

cundo, & Cnejus Claudius Nero. Neceſſitas Romanos ad illud impulit, quod facile eorum luxuriæ adſcriberes, ac proinde non æris ſolius uſum, autore neceſſitate, didicimus, ut Iſidorus *l. 15. Orig. c. 19.* deſcribendo metallorum ſucceſſiones, putat. Ita loquitur: *Apud antiquos prius æris quam ferri cognitus uſus: ære quippe prius ſcindebant terram: ære certamina belli gerebant, eratq; in pretio magis æs: aurum vero & argentum propter inutilitatem rejiciebant. Nunc verſa vice jacet æs; aurum ſummo ceſſit honori. Sic volvenda ætas commutat tempora rerum, & quod fuit in pretio, fit deniq; in nullo honore.*

Auri puri copiam unde Romani acceperint?

§. III. Non immerito quæritur, unde tanta puri auri copia Romanis provenerit? Georgius Agricola rerum metallicarum graviſſimus ſcriptor *L. 7. de re metallica,* ita opinatur: *Certe quoties,* inquit, *animum refero ad veterum ſcripta, adducor, ut credam, plus puri auri ſemper eſſe repertum, quam confectum e terrarum vel lapidum generibus, cum quibus ſolet eſſe permixtum.*

Quod

Quod veritati ideò non obſtat, quia tot fluminum ſcaturigines puriſſimum aurum una cum arena evomebant, Ganges in India, Hebrus in Thracia, Tagus in Hiſpania auro divites erant. Imprimis autem Hiſpaniæ fodinæ reliquis omnibus palmam præripiebant. In illis enim reperiebantur ſæpius pondere multarum librarum portiones, quæ decem interdum excedebant. Vid Sav. *P. II. C. IX.* Idem accidiſſe in Græcia notatum legimus, quæ patria numiſmatum aureorum vocari meretur. Nam aurea Philippi & filii Alexandri Magni numiſmata omnem ferme paginam apud hiſtoricos occupant. Omnes antiquarii in eo conſentiunt, quod familiam ducant inter aureos, & eorum omnium antiquiſſima ſint. Obſtat quidem huic opinioni Herodotus *L. I. Clio. n. XCIV* ubi adſerit, aureum argenteumque numum Lydos primùm conflaſſe; ſed quia iſti ad unum quaſi omnes perierunt, jure Philippici primi ſunto; eos tamen excipio, qui vetuſtiores forſitan reperiuntur. Pondere ſunt inſignes, nec minor eorum numerus eſt, ut merito horum regum divitias admiremur. Thracia autem iſtorum patria eſt: nam Philippus ille auri fodinas in Thracia ſitas, cum hactenus exigui eſſent proventus, cura operisque adhibitis, adeo provexit, ut mille talenta ex illis quotannis perceperit. Vid. Pat. *Hiſt. Num. c.* 7. Puritas ipſorum ad ſummum gradum pervenit; continent enim viginti tres gradus, & ſedecim denarios, ita ut ad perfectionem vix dimidius gradus deſideretur. Hæc moneta Philippeorum adeo Romanis grata fuit, ut etiam Romanorum Imperatorum num Philippici dicti fuerint. Ita Valerianus Imperator in quadam ad Zoſimionem Procuratorem Syriæ epiſtola ait de Claudio, qui poſtea rexit Imperium: *Dabis Philippeos noſtri vultus annuos centum quinquaginta.* Vid. Treb. Pollio *in Claudio*, quod forte ob pondus & magnitudinem Philippeis Græcis ſimilem accidit.

Aurum è fluminibus prolatum.
Hiſpaniæ fodinæ.
Græciæ fodinæ.
Philippei primi aurei.
Thracia eorum patria eſt.
Rom. Imp. numi aurei Philippici dicti.

§. IV. Quod Romani non calluerint ſeparandi artem aurum ab argento, mox dicturi ſumus; ſed etiam æs ab auro deducere non valebant, (quanquam æs ab argento commode ſeparabant, ut jam diximus) ita enim docet *l.* 7. *ff. de acquir. R. D.* ubi Ulpianus his verbis utitur: *Sed ſi deduci non poſſit, ut puta ſi æs & aurum mixtum fuerit.* Hanc legem aliqui interpretantur, non ac ſi plane impoſſibile fuiſſet Ro-

An Romani æs ab auro ſeparare potuerint?

manis ſeparare aurum, ſed quod æs tantum in hac ſeparatione perierit, & ſic quoad intellectum juris quam maxime impoſſibilis fuiſſet ſeparatio, quod vult, ut quivis dominorum metallum ſuum recipiat: nam quod perditur, non ſeparatur. Huic ſententiæ accedit Molin. *de Mutat. monetarum artic.* 775. ubi iſtam ſeparationem impoſſibilem appellat, quæ non niſi interitu alicujus partis poſſibilis eſt. Valeat itaque diſtinctio inter ſeparationem Juridicam & Mechanicam.

Aurum Obryzũ quale ſit? §. V. Quod hæc Romanis non fuerit incognita, probatur per aurum, quod vocant *Obryzum*, quod ſecundum metallicorum Doctorum deſcriptionem, aurum erat, quod, poſtquam ab ignobili ſeparatum, colorem recepit pulcherrimum atque igneum. Quapropter Plinius *L. 33. c. 3.* dicit: *Auriq; experimento ignis eſt, ut ſimili colore rubeat quo ignis, atq; ipſum Obryzum vocant.* Et Imp. *in l. ult. C. Th. de ponder.* illud ipſum ſequenti modo deſcribit: *Diu multumq; flammæ edacis examine in ea obryza detinetur, quemadmodum pura videatur.* Verbum *Obryzum* autem Hermolaus Barbarus dici putat quaſi ἄβρυζον, quod ſcilicet purum, merum & puriſſime coctum ſit. Hieronymus in Hieremiam dici putat quaſi Ophiryſum: nam ex Ophir Inſula laudatiſſimum aurum advehebatur. Iſidorus vero *Lib. 16. Etymol. c. 17.* ab eo deducit, quod obradi & ſplendere eſt, quod ſcilicet coloris ſit optimi; ergo Obrizum ſcribi debere. Hoc verbo Jus noſtrum ſæpius utitur: nam ſolidos ex auro cocto & puro conflatos, obryzatos vocat, *l. ult. C. de Vet. Numiſm. poteſt. l. 2. C. ut nem. lic. incoemt.* Alio loco Obryziaci dicuntur in *leg. un. C. de obl. vot.* Exſtat etiam Juſtiniani edictum, ne monetarii quicquam Obryzæ nomine capiant. *Edict. V. c. 2.* Intactum præterire non poſſum, quod in quibusdam numis inveniatur OB. CON. Multi hactenus putaverunt intelligendum eſſe OBryzum CONſtantinopolitanum; ſed doctiſſimus du Freſne *in diſſert. de inferioris ævi Numiſm. ſect. 4. 5. fol. 35.* monuit, quod ſit legendum, *Conſtantinopoli obſignatum*; qua inſcriptione etiam Romani numi inſigniti fuerunt, ad mutuæ conſenſionis & concordiæ argumentum Occidentalis & Orientalis regni. Jus tandem noſtrum, ſilentibus omnibus aliis ſcriptoribus, *Ballucæ aurum* nobis deſcribit, eſſe nimirum illud ipſum ramentitium, quod

[Margin: Unde verbum Obryzum? — beside "in ea obryza detinetur"]
[Margin: Quid OB. CON. ſignificet? — beside "capiant. Edict. V. c. 2."]
[Margin: Aurum Ballucæ quid ſit? — beside "argumentum Occidentalis"]

quod flumina ſuppeditant, & non adeo purum a Romanis æſtimatum fuit, quam Obryzum. Nam *l. 5. C. de ſuſceptor.* huic auro libram adſcribit 12. unciarum, in *ſeptuaginta ſolidos libra feratur accepta.* Auro Ballucæ vero *L. 2. C. de Metall.* quatuordecim uncias pro quavis libra tribuit. Cur hoc ſtatutum ſit? Gothofredus addit rationem, nempe, quia multum diminui ſolet, ſcilicet donec reddatur elutum. An etiam iſtud puriſſimum aurum *Puſtulatum* vocetur, ex hac quidem ratione dubitare non valemus, quia Svetonius *in Nerone c. 44.* dicit: *Aurum puſtulatum exegit, h. e. purgatiſſimum.* Si fas eſſet verbum puſtulatum aurum a poſtulando deducere, Juvenalis inſignem ſuppeditaret locum, dum canit: An aurum purum puſtulatum vocetur?

Accipe Victoris populus quod poſtulat aurum.

Ut diximus, puriſſimum erat aurum Romanum a principio, quod plurima loca Romam mittebant, inter quæ Galliam imprimis laudat Plinius; quæ provincia ſuperba hac terra adeo erat beata, ut puriſſimum aurum ibi effoderetur; ſiquidem tantum ipſius trigeſima ſexta pars argenti fuit; ſed in Jure Civili temporibus ſequentibus contrarium invenitur. Nam in Nov. Majoriani Imp. ſic legitur: *Nullus ſolidum integræ ponderis calumnioſæ adprobationis obtentu recuſet exactor, excepto eo Gallico, cujus aurum minore æſtimatione taxatur.* Gallia puriſſimo quondam auro dives.

§. VI. Operæ pretium erit, ut etiam de auri Indicatura paulisper diſſeramus, quæ eſt bonitatis nota & gradus. Ampliſſime de hac materia ſæpius allegatus Erckerus ſcripſit in *Aula ſubterranea edit. ult.* quod accuratiſſimum rerum metallicarum ſcriptum eſt. Artifices *ceratio* in hoc negotio utuntur, voce a grano ſiliquæ arboris Italicæ deflexa. De his granis erudite ſcribit Savot: nam quod ad materiam & pondus numiſmatum attinet, nullus ſane accuratior ipſo. Sed formam numorum intactam reliquit. Ab hoc grano totam auri ponderis proportionem deducunt: XXIV. grana conſtituunt gradum unum, ſeu coratum a verbo Græco κεράτιον, quod etiam aurei numi genus eſt, ſex obolorum. Vid. *Nov. Juſt. Conſt. 59. Nov. Leon. 33. inf.* gradus XXIV. ſummam auri bonitatem efficiunt; ſed grana iterum in XXIV. minutiſſimas ſubdividunt; ſecundum hanc proportionem aurum judicandum eſt in ſua bonitate, ſc. maſſa XX. granorum quatuor grana alius metalli admixta habet, & viginti grana puri auri tantum numerantur. Auri Indicatura qualitatem reſpiciens. A Ceratio proficiſcitur. Κεράτιον numi aurei ſpecies. Auri bonitas quomodo ſit æſtimanda?

Bu-

Follis æſtimatio. Budæus *L. III. de Aſſe*, ſiliquam ſeu granum in 12. folles dividit, & aureum in 24. ſiliquas ſeu 288. folles. Ea propter *Nov. 106.* dicit: *Octava pars ſoldi tres ſiliquæ dicuntur*, quarum paſſim etiam in LL. mentio fit, *l. 26. §. 1. verſ. interdicta C. de Vſuris Auth. ſed hodie. C. de Epiſc.*

Pondus auri non qualitatem, ſed quantitatē reſpicit. §. VII. Ab hoc differt pondus, quod non qualitatem ſed quantitatem reſpicit. Pondus auri autem vocatur Marca, quæ eſt Bes octo unciarum. Pondus auri etiam veteres Latini Scrupulum appellant. Vid. *l. 1. & 5. C. de metal. Lib. l. 1. C. Thr. de Ponder. l. 12. de metalla. in eodem C.* Inde Plin. *L. 33. c. 3. ſeu ſect. XIII.* de auro ita loquitur: *Unde ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis.* Scrupulus autem æſtimabatur viginti granis cum quarta. Vid.

Bonitas aureorum veterum. Harduin. *l. c.* Neſcio an hactenus ullus alius, quam Bodinus ſolus fecerit mentionem experimenti de bonitate aureorum Romanorum; hunc ſolum ſane allegatum reperio, qui *L. 6. de Rep. c. 3.* teſtatur, ſuo ævo Pariſienſes aurifices bonitatis aureorum Veſpaſiani feciſſe periculum, & conſtitiſſe tantum, deeſſe iis partem auri ſeptingenteſimam octogeſimam octavam; quod non procul abeſt a Philippicorum bonitate, & Alexandri M. numiſmatum, qui 23. gradus & ſedecim grana puri auri continent, ut jam diximus.

Quamdiu conſervata fuerit? §. VIII. Conſentientes ſunt antiquarii, quod numi Romani aurei ad Alexandrum usque Severum bonitatem conſervaverint. Svetonius quidem de Cæſare ſcriptum reliquit, quod primo Conſulatu 3000. pondo auri furatus in Capitolio tantundem inaurati æris repoſuerit; verum hic locus de auri maſſa intelligendus eſt, non de numis ſignatis. Alexander Severus Imperator electreos quosdam cudi curavit. Titulum autem, *Reſtitutoris monetæ*, Patinus ex ea cauſa ipſi attributum fuiſſe cenſet, quia ab Elagabalo in nonnullis corruptam rem monetariam correxit: nam non omnes hujus Imperatoris numi ſunt electrei, *plurimos tamen aureos figuravit*, dicit Lam-

Numi electrei. pridius de eo, ita ut electrei novam quaſi ſpeciem conſtituant. Sequentes etiam Imperatores puritatem auri obſervaverunt, usque dum Gothica tempora, re cum publica etiam monetalem perverterent: excipies tamen Caracallam, qui teſte Dione *l. c.* etiam aurum adulteravit; cujus autem nulli unquam viſi ſunt, forſan Alexander Severus eos una cum Heliogabali numis ſuppreſſit.

CAPUT

CAPUT XI.

Species numorum aureorum: Aureus, Solidus, Denarius. Aureus pondere varius. Magni Aurei. Diviſoria moneta aurea ab Alexandro Severo. Aureorum proportio reſpectu noſtræ monetæ. Pondus aureorum imminutum. Aurei numi in jure. Valor Aureorum. Aureus mille ſeſtertiorum. Electrum quid ſit? Ejus uſus. Numi electrei.

§. I. AUrea moneta apud Romanos dicta fuit *Aureus, Solidus, Denarius*. *Aurei* denominatio antiquiſſima eſt; *Solidi* autem non niſi poſt Alexandri Severi tempora invaluit, & generale nomen fuit, cujus appellatione etiam ſextulæ interdum veniunt, vid. *l. 5. C. de ſuſcept:* nam ibi 72. ſolidi in libram computantur, quod tantum ſextulæ fuerunt; nam quinquaginta didrachmi libram ſupplent. Dicitur autem Solidus, quod nihil illi deeſſe videatur, & quod ſit totus & integer; quemadmodum videre eſt apud Iſid. *L. 16. c. 24. Etym.* Merito itaque illos taxat Bodinus *L. 6. de Rep. c. 3,* qui in *Gallia* eum a ſole deducunt. Voluſius Metianus de Solido ſcribit, quod proprie idem ſit, quod libra, quæ & as vocatur. Cum autem centenarius numerus fere in pecuniarum ratione As eſſet atque haberetur: ut in uſuris, quæ centeſimæ dicuntur, intelligitur; conſvetudo tulit, ut Aureus, qui centum continet valetque ſeſtertios, frequenter Solidus appelletur; quod autem unus idemque ſit, ex multis locis videre eſt, veluti ex *l. 5. §. prætor. ff. de his, qui effud. vel dejec. junct. §. item is, cui J. de obl. quæ quaſi ex del. l. 47. ff. de manum. teſtam. l. 8. & 9. ff. de in offic. teſt.* Quod *Denarius* appelletur, teſtis eſt Plinius *l. c.* & Petronius in *Satyr. p. 106: Pro calculis albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios*; & *p. 160: Non habemus ædilem trium caunearum: plus in die numorum accipit, quam alter patrimonium habet. Jam ſcio unde acceperit denarios mille aureos.*

Species numorum aureorum: Aureus, Solidus, Denarius.

Solidus unde dictus?

Aure' & ſolidus unus eſt idemq;

Denarius.

§. II. Aureus a pondere varius olim fuit, aut δραχμαῖος, h. e. drachmæ pondere percuſſus. Heſychio eſt δράχμη χρυσῆ; aut fuit aureus *Sextula* dictus, apud Iſidorum *Lib. Etym. 16. c. 24.* quod Vnciæ Romanæ ſexta pars ſit; & eſt quatuor ſcrupulorum, h. e. octo obolorum. Hoſce aureos legales aureos

Aure' pondere varius.

Aureus ſextula dictus legalis vocatur. dici volunt, quod horum in Legibus ſub verbo aurei mentio fiat; aut fuit aureus *didrachmus*, h. e. duarum drachmarum pondere, vel pondere duorum denariorum; aut fuit *tridrachmus* ſeu trium drachmarum, aut etiam plurium. Vid. Agricol. *L. 2. de monet. pet. Hoſt. Rei numariæ vet. Lib. 5. c. 11.*

Aureus libralis. Ælius Lampridius mentionem facit Aurei libralis, cum inquit: *Et Tiberius Conſtantinus Hilpericum Francorum Regem aureis libralibus miſſis, ex puro auro percuſſis, donavit.* Idem repetit Sabellicus *L. 5. Enneadis 8.* Certe videtur, quod Lampridius asſerat, ante Heliogabalum neminem varios formaſſe numos, dicit enim: *Heliogabalum omnium Imperatorum turpiſſimum, varias numorum aureorum formas inveniſſe, cauſſa largitionis binarias, nimirum quæ, quod Principes jam imminuerant pondus, quatuor drachmas pendebant; ternarias, quæ ſex, quaternarias, quæ octo, denarias, quæ viginti, bilibres, quæ centum nonaginta duas, centenarios, quæ ducentas ſive duas minas pendebant.* Sed hos numos Alexander Severus conflari juſſit, & legem tulit, ne quis iſtis uteretur.

Heliogabalus varias aureorum formas invenit.

Varii aurei jam Conſulum tempore. Attamen experientia nos docet, quod jam tempore Conſulum differentia & diviſio ponderis obſervata fuerit. Nam Harduinus *de re monetaria p. 555.* duos numos profert ex bibliotheca Regia, alterum pondere unius ſcrupuli cum Epigraphe, *Roma*, alterum vero trium ſcrupulorum, & ſic triplo majorem. Hoc tamen certum eſt, quod Alexander Severus, primus omnium, diviſoriam monetam aurei denarii introduxerit, ut nobis ſcriptum reliquit Lampridius: *Vectigalia*, inquit, *publica in id contraxit, ut, qui decem Aureos ſub Heliogabalo præſtiterant, tertiam partem auri præſtarent, h. e. triceſimam partem, tuncq; primo ſemiſſes aureorum formati ſunt. Tunc etiam, cum ad tertiam partem Aurei vectigal decidiſſet, Tremiſſes, dicente Alexandro, etiam Quartarios futuros, quod minus non poſſet, quod quidem jam formatos in moneta detinuit, expectans, ut ſi vectigal contrahere potuiſſet, & eosdem ederet. Sed cum non potuiſſet per publicas neceſſitates, conflari eos juſſit, & tremiſſes tantum ſolidosque formari.*

Alexander Severus diviſoriam monetam variam introduxit; ſemiſſes & tremiſſes.

§. III. Juſtum igitur aurei Romani priſci pondus initio fuit δίδραχμον, h. e. duarum drachmarum ſub Conſulibus & Cæſaribus aliquot. Budæus *L. 5. de Aſſe* teſtatur, ſe vidiſſe aureos didrachmos ab Auguſto usque ad Commodum. Plures Clariſſimi Viri Solidum Ducato aureo noſtro duplo majorem æſti-

Aurei proportio reſpectu noſtræ monetæ.

æſtimant; cui autem aſſerto ſe oppoſuit Gronovius *L. 3. c. 8. de ſeſter.* a Dn. Wagenseilio, Viro multis cum elogiis ſemper nominando, allegatus, qui dicto ponderi adhuc dimidium aurei addit. *Semiſſes* non egent explicatione: nam dimidiam æquant Solidi partem; eorum mentionem facit *L. 3. C. de veſt. milit.* & *L. 16. C. de erog. mil. annon.* Nec *tremiſſes* numi ſunt explicandi; nam tertiam partem valebant aurei; nominat eos *N. 29 c. 2. de imminutione aureorum.* Plinius *L. 33. c. 3.* meminit, *Quod jam ante tempus ſuum principes paulatim imminuerint pondus numorum, & Nero quidem minutiſſime.* Sed poſterioribus ſeculis res deterior reddita, ſiquidem Zonara de Imp. Phoca ſcribit, quod numos aureos pondere & valore imminuerit. Hinc difficillimum ſane eſt, quod aliquid certi de hac materia dici poſſit; quanquam plurimorum Impp. aurei eadem ferme lege cuſi eſſent, ut infra videbimus.

Pondus aureorum imminutum.

Impoſſibile eſt, aliquid certi de auri pondere ſtatuere.

§. IV. JCti hac ratione permoti, etſi multi hanc materiam explicare conati ſint, aliam elegerunt viam: nam hodie loco illorum veterum aureorum ſolidorum, pro ratione negotii, aureos uſitatos intelligunt, nimirum Ungaricos ſeu Ducatos, quamvis ſint levioris ponderis minorisque valoris; ſecuti fortaſſis & exemplum & autoritatem Juſtiniani, qui antiquæ Legi Papiæ derogans, centum millia HS. ad centum ſolidos reduxit, *§. 3. J. de ſucc. libert.* Sane præſtantior eſt firma poſitio, quanquam minus accurata, quavis erudita explicatione ambigua. De Ceratio jam antea diximus. Nova ſpecies aureorum exhibetur in *l. 2. & 3. C. Th. quor. appell. non recip.* & *l. 2. C. de præt. Lib. 12.* Vocatur autem numus *Follis*, in quo ſenſu accipitur apud C. Hermenopolum vel potius Juſtinianum in libr. περὶ νόμων γεωργικ. *tit. 2.* ἀφ' ἧς τὸ κλέμμα ἐγένετο καθεκάστην ἡμέραν φόλλας, ubi legendum φόλλεις: ait autem autor, ſingulos facere ſiliquæ partem 12. ſicque folles intelligendos cenſet, in *l. 3. C. Th. de ſicar.* vid. Briſſon. *verbo* φόλλεις. Eodem ſenſu uſus eſt Euſebius *L. 10. hiſt. Eccleſ.* Cujacius *ad l. 2. C. de præt. lib.* putat nihil intereſſe inter glebam ſenatoriam & follem. Gleba autem ſenatoria ſeu glebale aurum genus erat penſitationis, quod Senatores poſſeſſionum ſuarum cauſſa principi præſtabant, *l. 2. C. de Prætorib. & honorib. Prælat.* In alio ſenſu autem ſumitur follis in *l. 82. ff. de Condit. & Demonſtr. l. 1. C. Th. ſi quis pecun. conflar.* ubi pro crumena ſeu marſupio habetur.

JCtorum aurei.

Alia aureorum genera a jure ſuppeditata.

Follis aureus.

Gleba ſenatoria quid ſit?

Character aureorum numorum.

§. V. Character aureorum numorum pro diverſitate temporis diverſus erat: illi enim numi aurei, qui tempore Conſulum cuſi ſunt, cum argenteis eandem exhibent figuram; qui autem tempore Imperatorum conflati ſunt, effigie Principum ſunt inſigniti, ex altera parte interdum hiſtoriæ conducunt; interdum dico: nam æ nei & argentei longe majorem præſtant uſum. Notam valoris rariſſime exhibent. Invenit Harduinus duos, quos jam allegavimus, Conſulares in gaza Regia, unum geminata litera XX ſignatum, ſcrupuli pondere, quæ literæ vicenos ſeſtertios ſignificant; quod cum Plinii verbis concordat dicentis l. c. *ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis*; alter erat triplo major, cui inſculptæ erant XV, quod ſine dubio denarios quindecim denotat: nam ſexaginta ſeſtertii tot denarios efficiunt, quatuor nimirum valentes uno denario. Voluſius Metianus ſcrupulorum quatuor viginti numerat pro uncia Romana. Hinc aureus communis quinque fuit ſcrupulorum, centum ſeſtertiorum ſeu viginti quatuor denariorum drachmalium. Liquet hoc ex verbis Dionis *L. 55. Cum Auguſti domus in palatio conflagraſſet, multique multa illi conferrent, nihil accepit, niſi tantum a populis aureum; a privatis vero drachmam; aureum enim ego quoque numum, qui drachmas viginti quinque valet, more noſtro appello.* Adducit Hotomañus in Lexic. ad corroborandam hanc ſententiam Svetonii & Taciti loca ſe invicem illuſtrantia; ille in Othone dicit: *Quoties cœna principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dabat*; hic vero *L. 1. Hiſt: Cohorti excubias agenti viritim centenos numos dividebat.* Sed vero ad intellectum juris probe notanda eſt ea diſtinctio, quam Ant. Aug. *L. 2. Emend. c. 9.* inter aureos facit, dum aureum abſolute ſic dictum mille ſeſtertiis valentem profert. Hujus aurei meminit *l. junctis Gaji §. ult. D. de S. C. Silan.* Vid. etiam Paul. *Lib. 25. ſent.* Imprimis autem notabilis eſt *§. 3. J. de ſucceſſ. libert: Si libertus vel liberta minores centenariis ſint, id eſt, minus centum aureis habeant ſubſtantiam (ſic enim Legis Papiriæ ſummam interpretati ſumus, ut pro mille ſeſtertiis unus aureus computetur) nullum locum habeat Patronus in eorum ſucceſſione.* Hotomannus quidem ad hunc locum, pro mille, centum legendum eſſe contendit; ſed neſcio qua ratione: nam hoc certe ad formam juris pertinet, quam Imperator, quomodocunque libuerit, circumſcribere

Nota valoris.

Aureus communis valet 100. ſeſtertiis.

Aureus 1000. ſeſtertiorum.

Quod Hotomannus negat.

ſcribere potuit. Hoc pluribus etiam confirmat Cujac. *Obſerv. L. 19. c. 31.*

§. VI. Neſcio an etiam ad aurum numerandi modum pertineat auri maſſa, cujus *l. quotiescunque C. de ſuſcept.* meminit. *Quotiescunque*, ibi legitur, *auri maſſa transmittitur, in ſeptuaginta duos ſolidos, libra feratur accepta :* ita enim volunt quidam, quod auri maſſa quantitas ſit 72. ſolidorum; ſed vero textus docet, quod maſſa hic non ſit menſura auri, ſed quod proprie potius intelligendum ſit verbum pro indefinita auri nondum fabrefacti quantitate. Hoc tamen certum, quod Impp. in Codice per libras auri, nec non uncias numeraverint, de quibus *Diſſert. De numo unico* videatur. De proportione auri & argenti Plin. *L. 33. c. 3.* differit, ſatis tamen obſcurus eſt. Harduinus *l. c.* ſe inveniſſe jactitat horum verborum clavem, quod ante illum fecit Hoſtius eadem dexteritate, qui in *hiſtoria numaria* ſex proportiones aurum inter & argentum erudite explicat. Carolus Molinæus *de Mutat. monet.* probare conatur, quod una argenti libra centum *æris* libras valuerit, auri libra 14. libras argenti & fere ſemiſſem; quæ opinio non longe differt a Savoti hypotheſi, qui auri & argenti proportionem eſſe dicit, ut 1. & 14. *In l. un. C. de argent. pret. quod theſ. infert.* argenti libra quinque ſolidis æquiparatur. Reſpectu æris auri valorem docet. *l. un. C. de Collator. æris.* nimirum *pro viginti libris æris, unus auri ſolidus reddatur.* Auri maſſa moneta non eſt. Proportio argentum inter & aurum.

§. VII. Juſtum eſt, ut auri metallo etiam Electrum annectamus, utpote quod ſuum eſſe ac ſuam naturam auro debet. Cuſtodivit Jus noſtrum variis in locis hoc metallum, ut *in l. 7. §. voluntas. ff. de acquir. R. D. l. 4. ff. de leg. 1. §. 27. J. de rer. diviſione.* Diverſimode autem apud autores accipitur. Pauſanias *lib. Eliacῶν* duplicem ſenſum illi attribuit; Servius autem *in 8. Æneid: Tria ſunt*, inquit, *electri genera, unum ex arboribus, quod ſuccinum dicitur, aliud quod naturaliter invenitur; tertium, quod fit ex tribus partibus auri & una argenti.* Atque de hac ſpecie intelligenda ſunt Pandectarum loca allegata; vid. Iſidor. *l. 15. Etym. c. 23.* Fuit ergo Electrum ſic dictum naturâ tale, quod accidit ob imperitiam ſeparandi aurum ab argento: nam quanquam non inficiamur cum Molinæo, quod æs ab auro ſeparare potuerint, docent tamen textus, ſeparationem auri & argenti ipſis plane impoſſibilem fuiſſe: nam ita Electrum quid ſit? Naturale ex imperitia ſeparandi metalla ortum.

§. 27. J. de R. Div. expreſſe nos inſtruit, *Si diverſæ materiæ ſint, & ob id propria ſpecies facta, forte ex vino & melle mulſum, aut ex auro & argento Electrum.* Verbum nova ſpecies ſatis notat impoſſibilitatem. Sed vero *l. 5. D. de Rei vindic.* de ære & auro tantum utitur verbo, *ſed ſi deduci non poſſit*, quod, ut diximus, intelligendum eſt ſine unius interitu. Porro ſeparationem auri ab argento negat *l. 7. §. 8. ff. de A. R. D. Voluntas duorum dominorum miſcentium materias totum corpus efficit commune, veluti ſi alius aurum, alius argentum, quamvis electri novi corporis ſit ſpecies.* Plinius *L. 33. c. 4.* hiſtoriam Electri his verbis nobis reliquit, & ulteriori indagationi offert: *Ubicunque quinta argenti portio eſt, electrum vocatur. Scrobes eæ reperiuntur in Canalienſi. Fit & cura Electrum argento addito: quod ſi quintam portionem exceſſit, incudibus non reſiſtit.* Hæc proportio Plinii, Savoto, erudito illi Chemico riſum movet, qui clare demonſtrat, quod Plinius ſæpius ſine ulla adhibita experientia aniles fabulas pro veritate vendat; & certe eruditis opus eſt, qui ipſi interdum avias veteres de pulmone revellant. Affirmat enim dictus Savotus, quod electrum artificioſum non ſolum auro & argento, ſed etiam ære adhibito, nulla obſervata quantitate, incudibus ſatis reſiſtat. *Pline ſ' èt grandement trompé*, dit il, *encere opinion car l' alliage de l' argent avec l' or, en quelque proportion que ce puiſſe être, ny meſme avec le cuivre n' empeche pas que le metal ne ſe puiſſe forger non plus que ſi l' or, l' argent & le cuivre ſont allies en ſemble, ces trois metaux compatiſſent tellement en ſemble, en quelque portion que ce ſoit, quils ne laiſſent point de pouvoir ètre forges.*

Electri deſcriptio, & Plinii error.

Refutatus a Savoto.

§. VIII. Electrum hoc naturale magni ſemper à veteribus habitum fuit. Secundas poſt aurum ei tribuit Homerus *IV. Odyſſ.*, ubi Reginam Menelai laudantem introducit Telemachum a ſplendore primum auri, deinde electri;

Electrum pretioſum fuit.

Χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος.

Plinius tandem iſtud, quod nativum eſt, tanquam antidotum deprædicat: *Quod eſt nativum*, pergit, *& venena deprehendit: namque diſcurrunt in calicibus arcus cæleſtibus ſimiles, cum igneo ſtridore, & gemina ratione prædicunt.* Hinc etiam Poëta canit:

Veneno reſiſtit.

Produnt electri variantia pocula virus.

Nec ubivis ſemper obvium erat nativum, quod inſtar cimeliorum

liorum æſtimatum legimus, ita ut ipſum aurum quoad raritatem iſto inferius fuerit; quod colligendum eſt ex loco Lampridii, faſtum Elagabali, Imperii tyranni, totius humani generis depauperatoris, deſcribentis: *Scobe auri*, inquit, *porticum ſtravit & argenti, dolens, quod non poſſet & electri.* Sine dubio factitium electrum ſuperbiæ ſuæ longe inferius fuit, ex quo aurum profuſionis libidinem nondum expleverat, & doluit non de pretio electri, ſed raritate. *[Auro rarius eſt.]* Varium autem uſum praſtitit electrum, cumprimis vaſibus conficiendis, quibus contra veneni inſidias ſe munirent Romani. *[Electri uſus.]* Julius Capitolinus meminit, quod in auctione rerum Commodi Imp. hujus generis vaſa quædam fuerint; nam ibi recenſet: *Vaſa electro, auro, argento, ebore citroq; compoſita.* Tandem etiam Jus *l. Pediculis 32. §. Neratius ff. de Aur. & Arg. leg.* Vaſa electrea nominat. Paulus enim ibi docet, quod vaſa electrea ab aliis viſu diſcerni poſſint, *Vaſis electrinis legatis*, inquit, *multum* (ſic enim ex Piſana pro *nihil* emendatur) *intereſſe, quantum ea vaſa, de quibus quæritur, argenti aut electri habebant, ſed utrum argentum electro, an electrum argento cedat, ex aſpectu vaſorum facilius intelligi poſſe.* *[Electrum viſu diſcernitur.]* Ex Electro nativo non factitio ſuſpicor, numos Alexandri fuiſſe, de quo Lampridius ita: *Alexandri habitu numos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantos, ſed plurimos tamen aureos.* *[Alex. Severi numi ex electro nativo.]* Nam ſi mixti numi fuerint, forſan eorum numerus alteros excederet, ſed non ad corrumpendam id factum eſſe videtur monetam. Jucundum eſt heic loci referre obſervationem Viri eruditiſſimi ad hæc Lampridii verba: putat enim, quod aurei plerique Alexandri M. imagine inſigniti, non ipſius ævo cuſi ſint, ſed ab Alexandro Severo reſtituti ob nominis forſitan ſimilitudinem; nam ita Lampridii verba ſingularia ſunt: *Alexandri habitu numos plurimos figuravit.* Hactenus Aurum, Argentum, Æs explicavimus, quæ aliis excluſis metallis, ordinariam materiam numorum, ſive pure ſive mixtim conſtituunt. Nam alia metalla vel ob impuritatem tempori non reſiſtunt, aut miſceri non patiuntur. *[Cur præter aurum, argentũ, æs, alia metalla in uſum numorum non fuerint adhibita?]* Audiamus Savot. *part. II. c. 9: Les medailles antiques n' ont été ordinairement, que d' or, d' argent & de cuivre, purs ou alliés par enſemble d' autant que ſi elles euſſent été meſlées avec quelque autre metal, que l'un des trois ſusdités elles n' euſſent peu ſupporter le marteau, ni la preſſe ſans ſe caſſer.*

CAPUT

CAPUT XII.

Ad quem pertineat monetam cudendi poteſtas. Triplex ſtatus Romanus. In hoc jure ſummus honor. Hiſtoria numi Indici. Hodie hæc poteſtas proprio jure ad Imperatorem ſpectat. Londinenſium jus ſingulare. Jus imaginum. Romæ Magiſtatus Jus monetæ exercebat, poſtea per Triumviros. Curatores Denariorum. IV. Viri monetales. Triumviri R. P. C. III. Viri monetales Impp. tempore, Prætores; Præfecti, Procuratores monetæ. Coloniarum jus monetandi. Germanorum jus ſingulare in Gallia.

Ad quem pertineat poteſtas cudendi monetam.

§. I. PEnes quem rerum ſumma eſt, penes ipſum & monetæ cudendæ poteſtas. Incumbit etenim Principi, ut curam gerat Reipublicæ; ſed commodum publicum verſatur circa monetas, quæ nervum conſtituunt rerum gerendarum. Merito autem Magnates hoc gaudent jure. Non loquor de regnis, non de Ariſtocratia, ſed de Democratia & ſtatu plebejo, ubi quivis eandem exercet poteſtatem; ſed nullum invenies, in quo cuivis civi metalla ſignare licitum eſt: nam tale monſtrum degeneraret in peſtem, & anima, quæ pecunia eſt, ubivis diſtracta & laceſſita, tandem relinqueret corpus. Recte itaque Bodinus *de Republica L. 6*. concludit, quod LL. ferre, & pecuniam cudere, unum ſit idemque, & nullo alio inſtrumento, quam ſceptro æra ſignentur. Status magnitudinis Romanæ latius ſeſe interdum extendens, quam quod legibus circumſcribi poſſet, hoc tamen jus ſemper rerum Præſidibus, in quovis ſtatus genere conſervavit. A principio Romani Reges habuere, qui omnem exercebant poteſtatem, *l. 2. §. 1. & 14. ff. de Origine Juris.* Omni poteſtati autem, tanquam virtus primaria inhærent monetarum ſacra. Hinc legimus Saturno, Jano, Servio, Tullio Regibus hanc adſcriptam potentiam a Plinio, Macrobio, Varrone ſcriptoribus. Exactis Regibus penes populum vel Senatum poteſtas remanſit, qui omnia peragebat, quæ reipublicæ utilitatem reſpiciebant, *l. 2. §. 9. ff. de O. J.* Firmiſſimum habemus argumentum in præpotentibus illis duabus literis S. C, quæ quatuor illis S. P. Q. R. longe valentiores erant. Vid. Spanh. *de præſtant. & uſ. num.* Roſ. *in Icon. Antiq. Rom.* Poſtea tandem per legem regiam omni poteſtate a populo in Principem

Jus monetæ apud Romanos. Primo Regibus. Poſtea Senatui. Tandem Impp. fuit.

pem translata *§. 6. I. de I. N. G. & C. & l1 ff. de Conſt. Princ.* jus monetæ cœpit eſſe proprium ſummi Principis, *L. 2. 3. C. de falſ. monet.* ubi Conſtantinus Imp. ait: *In monetis tantummodo noſtris cudendæ pecuniæ ſtudium frequentari volumus.* Quadrat huc textus *l. 1. pr. C. de vet. num. pot.* verb. *ſolidos veterum principum veneratione formatos.* Idem arguit textus Biblicus *Matth. 22*, ex quo apparet, quod jus cudendi numos Imperatori competierit, etiam eo tempore, quo Salvator noſter Judæos exhibentes ſibi numiſma effigiem Tiberii referens, juſſit cenſum præbere ei, cujus autoritate ille numus eſſet conflatus.

§. II. Et hoc ſummum jus ſummum tribuebat honorem; nam locus ſummo Principi ſacer, haud alius perſonæ vulgaris erat. Hadrianus dilectum ſuum Antinoum, quem etiam inter Deos referri jubebat, majori honore haud mactare poterat, quam ut in numis perpetuam ejus redderet memoriam; beneficium ipſam ſuperans Apotheoſin; nam inter Deos jam diu ærugini ſuccubuit, reliquus autem adhuc eſt in numis. Me temperare non poſſum, quin iſtam natatu dignam referam hiſtoriam, quam celebris Tavernierius in Itinerario ſuo Indico recenſet. Indiarum Regis, quem magnum Mogol vocant, nomine Gehan-Guie Patcha, uxor primaria, Nur-Mahal, tam enormiter a marito amabatur, ut blanditiis ipſum gubernaret Regem & regnum. Petiit aliquando altera Semiramis a captivo amoris ſui Rege, ut tantum per viginti quatuor horas ipſi coronatam concederet poteſtatem: Rex, cui non niſi obtemperandi gloria relicta erat, irrefragabili amoris ſententiæ ſe ſubjecit; quo impetrato, Regina, non Regis mortem appetit, ſed jam antea in omnibus monetalibus regni officinis, clanculum marculos ſignatorios paratos, nunc exhibet, & immenſum, ex collecto auro argentoque, numerum numorum cudi curat, ex una parte nomen ipſius & Regis gerentium; ex altera duodecim ſigna cœleſtia, unum ſignum tantum uno cedens numo. Factum legi Mahometicæ religionis contrarium, quæ omnem figuram interdicit; ſed ſuperba femina haud aptiori modo memoriam reddere immortalem putavit, & cum duodecim ſignis tot numis impreſſis intendebat, ne curioſitas humana una ſuarum monetarum contenta eſſet. Ipſos vidi numos

Hoc jus ſummum tribuit honorem.

Uxor magni Mogol jus numorum appetit.

Numi Indici rariſſimi.

rudi Minerva quidem elaboratos; ſed calliditatem feminæ & ſuperbiam publice non poſſum non mirari. Ectypum horum numorum exhibet allegatus Baro a Tavernier in *voyage d' Indie*.

In Imperio hoc jus primario ad Imperatorem ſpectat.

§. III. Noſtro in imperio merito Imperatoris ſacratiſſimum caput veneramur in numis, cui ſoli, proprio jure, jus monetæ competit. Sicque legitur im Kayſerl. Land-und Lehen-Rechte *l. 10. c. 12*: Wir ſprechen/ daß alle Münzen/ die im Römiſchen Reich ſind/ die ſind eines Römiſchen Königes/ und wer das nicht enthut/ der frevelt an dem Römiſchen Reich. vid. Goldaſt. *Catholic. rei monet. lit. 6.* Electoribus hoc jus firmavit Aurea Bulla *tit. 10.* aliisque Principibus Imperii, variæ Conſtitutiones Imperiales, vid. Rumelin. *ad A. B. tit. 10. part. 1. Diſſert. 8. th. 32.* Cumprimis videatur de hac materia *Repræſentatio Majeſtatis imperialis Part. II. c. 12.* quod eruditiſſimum opus inſtar omnium ſit, cujus conſummatiſſimus autor Perilluſtris Vir MULTZ ſupremi Imperii Dicaſterii Aulici Adſeſſor, & ad circulum Franconicum Orator Imperatoris excellentiſſimus, in tantum laudandus, in quantum virtus heroica cognoſci ac æſtimari poteſt, qui meritis ſuis graviſſimis Imperio neceſſarius eſt, Imperatori Auguſtiſſimo gratus, cujus ſublimes virtutes bonos quosque in admirationem rapiunt; invidiæ autem, virtutis comitis, lævum judicium, ut ſol nebulas, ſupprimit.

Electoribus hoc jus per A. B. confirmatum, & ſtatibus aliis.

Privatis hoc jus interdictum.

§. IV. Privatis cudendi monetas, non ſolum antiquum jus Romanum interdicit, *l. ult. C. de falſ. monet. l. 102. in pr. ff. de ſolut.* ſed etiam jus hodiernum *Rec. Imp. 1551. §.* So haben wir uns *46. de anno 1570.* alsdenn auch *132.* P. H. O. *Art. III. in fin*: quod omnia regna obſervant. Londini Angliæ tantum mos obtinet obſervatione dignus; ibi enim privatis civibus, in certa regione ſive platea urbis viventibus, licitum eſt minutula forma numos, æneos autem, cudere; ita tamen, ut quocunque tempore ab iisdem redimantur, vel qui ſunt ex eadem platea. Vid. Baltzers *diſſert. de Numiſmatibus §. 28.* In iis, quos hujus generis nos poſſidemus, reperimus, quod materia ſit aurichalcum ſeu æs flavum. Impreſſa figura autem pro lubitu cudentis varia eſt, ejusque nomen refert privatum, e. g. *IEAMES SMITH. in Caſtill. HOLD. NEW PORT.*

Londinenſium jus ſingulare.

§. V.

§. V. Sed Romanorum iterum aggrediamur monetam. Eorum privatis non niſi imaginum jus competebat, relicta moneta ſuperioribus: erant autem imagines nobilitatis τεκμήρια, non ſecus ac hodie inſignia gentilitia. Inde non cuivis Romanorum hoc jus erat familiare; ſed privilegii inſtar erat, ut Plinius teſtis eſt: *Effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem merentium.* Quod tamen temporis ſucceſſu, ut omnia privilegia, extenſionem nimiam paſſum eſt. Nam Caſſiodorus memoriæ tradidit, tot ibi ſtatuas fuiſſe, ut poſteritas parem populum cum arte dederit, quam natura procreaverit: quivis enim de ſua memoria in longitudinem conſulebat, ac proinde ſimulacra magni habebant, *per quæ neſciunt obitum vel ſepulti: nam in æternitatem migrat per has artes imago mortalium & anguſtam humanæ naturæ legem vincit induſtria.* Ennodii verbis utor. Colligendum eſt ex Ciceronis *L. 3. de LL.* quod ab initio in Republica Romana cudendi monetas poteſtas penes magiſtratum fuerit; nam hanc legem profert: *Minores magiſtratus æs, argentum, aurumve publice ſignanto.* Succeſſu tamen temporis rerum facies immutata eſt; inde certos monetæ inſpectores conſtituebant, qui a ternario numero Triumviri monetales dicti: horum meminit *l. 2. §. 16. de Orig. Iur. Eodem tempore & Quatuorviri, qui curam viarum gererent, & Triumviri monetales, æris, argenti, auri flatores.* Ad intellectum hujus legis ſciendum eſt, quod Romæ quotannis XXVI. Viri populi ſuffragiis crearentur, ex iis conſtituebantur Decemviri litibus judicandis; Triumviri capitales, Quatuorviri, curatores viarum intra urbem; Duumviri, curatores viarum extra urbem; Quatuor Præfecti, qui in Campaniam mittebantur, & denique Triumviri monetales. De his vid. Liv. *L. I.* Roſin. *antiquit. Rom.* Wagenſeil. *d. l. c. XII.*

Jus imaginum.

Multitudo ſtatuarum apud Romanos.

Magiſtrat' ipſe Romæ exercebat jus monetæ.

Poſtea per Triumviros monetales.

§. VI. Hi Triumviri monetales etiam Treviri dicti ſunt; ita enim Cicero ad Trebatium de Treviris Gallis jocans ſcribit: *Treviros viles cenſeo, audio capitales eſſe, mallem auro, ære, argento eſſent.* De illis enim Galliæ populis loquitur, qui cum capitales bellicoſique eſſent, ludit tum in *Trevirorum* tum in *Capitalium* verbo; idem enim eſt ac ſi diceret: Mallem hos Treviros pecunioſos eſſe, quam bellicoſos, ut Cæſare eos vincente tamen diteſceres. Eorum ſignum frequens in numis

Triumviri Treviri dicti.

 cujus-

Signum Triumvirorum. cujuscunque æris: III. VIR. A. A. A. F. F. hoc eſt; *Triumviri Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.* Attamen non tantum IIIViri monetæ præerant, ſed etiam Curatores: nam invenitur numus in Familia Alliena, cui inſcriptum *Curator Denariorum Flandorum.* Curatores denariorū. De ætate introductionis non eſt, ut certi aliquid hic definiam; in Conſularibus numis diu ante Ciceronem hoc ſignum reperitur. Hoc autem curioſitate non indignum eſt, quod tempore Dictaturæ Cæſaris perpetuæ, IV. Viri monetales. Quatuorviri rerum monetalium curam geſſerint, non Triumviri; ſed Cæſare extincto, priſtina trium monetalium denuo invaluit conſvetudo. In numis ſignum IIII Virorum exhibet Auguſtin. *Dial. I. p.* 7. Superſedeo monetas hic referre magnorum Triumvirorum R. P. C. Lepidi, Antonii & Auguſti: Triumviri magni R. P. C. nam nemo, niſi plane in rerum geſtarum notitia peregrinus, ignorabit, tricephalam hanc imperii gubernationem. Exſtat liber Gallicus elegantiſſimus, cui titulus: *Hiſtoire des Triumphirats*, qui hujus rei omne fert punctum. Inveniuntur etiam numi, in quibus II. VIR legitur, qui coloniarum & municipiorum ſunt extra Romam; Duumviri Coloniarū. non monetalium denotant numerum, ſed præfectorum, qui hoc anno regimento præeſſent in colonia, quorum numerus tantum erat dualis; hoc ſæpius occurrit in moneta Hiſpaniæ; vid. infra *in cap. de inſcript.*

Monetales Imperatorum tempore. §. VII. Triumviri monetales non ſolum ſub Conſulibus monetæ præerant, ſed etiam diu ab Imperatoribus creati ſunt; ut videre eſt in antiquis marmoribus & numis. Poſt illos, Prætores hanc curam gerere Imperatores voluerunt, donec tandem ad Præfectos ærarii res rediit, qui & ultimorum Imperatorum ætate noti ſunt, ut ex Marcellino & Symmachi epiſtolis conſtat. In *Notitia utriusq; Imperii*, eorum loco, Præpoſitos theſaurorum invenimus, qui una cum procuratoribus monetæ, ſub diſpoſitione erant Comitis ſacrarum largitionum. Procuratores Orientis ſex. In dicta Notitia Occidentis Imperii Procuratores ſunt omiſſi; Orientis autem numerantur ſex: Procurator monetæ Siſcianæ, Procurator monetæ Aquileenſis, Procurator monetæ Urbis Romæ, Procurator monetæ Lugdunenſis, Procurator monetæ Arelatenſis, Procurator monetæ Trevirorum. Quot Procuratores Occidentale Imperium continuerit, non liquet; ipſis tamen non penitus caruit, quia Ammianus Mar-

Marcellinus docet, quod Alexandriæ monetam cudere conſve- tum fuerit. Tempore ſtatus Conſularis, numerus officinarum monetalium minor erat; legimus tamen penes Plutarchum, quod Lucullus in Peloponeſo metalla procuderit. Cicero Apolloniam nominat, Strabo Lugdunum. vid. Æn. Vico in *diſcorſi ſopra le medaglie de gli antichi L. I. c. XIII.*

Tempore ſtatus Conſularis minor numerus.

§. VIII. Coloniæ & Civitates fere omnes jus habebant cudendi numos æneos; pauciſſimis tantùm privilegium argenteæ monetæ conceſſum erat, nullis fere aureæ; quod ne quidem Perſarum Regibus impertirent: declinante tamen Imperio non adeo rigeroſi erant Romani. Procopius de *Bello Goth. l. 3.* memorat, quod jus aureorum numorum Germanis Juſtinianus tribuerit. *Ut Gallias*, inquit, *Germani haberent, Juſtinianus permiſit, ex quo tempore Principes Germanorum Maſſiliam & cætera, circa id mare loca tenuerunt, unde & Areletæ reſident. Aureum numum nativo e Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri ſolent, imagine, ſed ſua impreſſa.* Quod mirandum eſt: nam Romani nulli alii hoc permiſerunt. Zonaras refert: Leontium, Imp. Juſtiniani Præfectum exercituum, fœdera pacis cum Arabibus rupiſſe eo tantum, quod tributum moneta alia, quam quæ Imperatoris effigie ſignata, penderent. Attamen coloniæ Italicæ nunquam Principis effigiem monetæ impreſſerunt. Excipiunt vero quidam Beneventi numum Impp. caput geſtans; ſed nemo illum vidiſſe aſſerit. Exiſtimant eruditi, quod Imperatores his civitatibus negaverint hunc honorem imprimendi auguſta capita. Interdum hoc jus monetæ coloniis iterum ademtum fuit. Poſt Caligulam, nulli Hiſpanicarum coloniarum inveniuntur numi. Aſſerunt eruditi, quod Caligula illas hoc privilegio privaverit, quia in honorem ipſius Avi Agrippæ monetam ſignaverint, quem ex ſuperbia recuſabat pro parente agnoſcere. A Gallieni tempore nulli numi vel Græcarum civitatum vel coloniarum, referentes Imperatoris effigiem, reperiuntur. Fortaſſis in turbulento ſtatu Imperii neſcientes, quem Imperatorem agnoſcerent, ſponte abſtinerunt. Aut etiam hoc jus a Gallieno vel Claudio Gothico vel Aureliano ipſis interdictum fuit.

Coloniæ fere omnes monetam æneam cudebant, raro argenteam.

Germani in Gallia conſidentes exercent auream monetam, propria facie impreſſa.

Coloniæ Italicæ non imprimebant caput Cæſaris.

Hiſpanicarum coloniarũ numi poſt Caligulam deficiunt.

CAPUT XIII.

Romæ Officina monetalis Templum Junonis. Monetarii qui ſint? Inſignes falſarii, eorum multitudo & ſeditio. Modus parandi numos. Savoti modus reſtringitur. Numi ex percuſſione biantes ſunt æſtimandi. Numi incuſi ſeu umbini. An Romani ad unumquemq; numum parandum, novo iconio uſi fuerint? Numi ejusdem marculi, plures inveniuntur. Ærarium ſeu fiſcus. Athenienſes ſub ædibus Minervæ, Romani ſub ædibus Saturni ærarium habebant. Duplex ærarium Conſulum & Impp. tempore. Modus ſuſcipiendi Pecuniam Imperatoriam. Imperatores adorati in numis. Modus adorandi

Officina monetalis Romæ Templum Junonis.

§. I. OFficinam monetalem Romæ præbuit Templum Junonis. Cur hoc factum ſit, Svidas docet: *Cum enim Romani in bello, quod contra Pyrrhum & Tarentinos gerebant, pecunia indigerent, Junonis opem implorarunt: quæ cum reſpondiſſet, non defuturam pecuniam, ſi armis juſte uterentur; Romani quoq; proſpere uſi eſſent fortuna, Junonem Monetam venerari, & in ejus templo monetam cudere decreverunt.* vid. Auguſtin. *Dial. II. p. 72.* Sive ex hac ratione, ſive ex alia cauſa moneta ibi cuſa fuerit, aptiori loco eam ſignare non poſſibile erat: nam diſcimus ex Natali Comite, quod Juno divitiarum Dea erat; hinc Romani ſub ejus tutela metalla ſignarunt, ut hujus Deæ auxilio, nunquam Cappadocum Regis anguſtiis premerentur. In aliis vero locis non ſemper Junonis fanum in hunc deſtinabatur uſum.

Monetarii quales ſint?

§. II. Vocati ſunt, qui operarentur in his officinis, Monetarii; quod nos docent leges, *l. 6. §. ff. ad L. Jul. de vecul. l. 2. C. quibus ex cauſ. ſerv. pro præm. lib. l. 6. C. de dignitat. lib.* Svidas μονιτάριοι, ait, οἱ περὶ τὸ νόμισμα τεχνεῖται. Secundum varias, quas præſtiterunt operas varie appellabantur; quod ſatis demonſtrat vetus apud Gruterum Inſcriptio, in qua legimus *Scholam officinatorum monetæ e Primiceriis, Secundiceriis, Ducenariis, Tertioceriis, Quartoceriis, Centenariis, Aurificibus ſpecierum, Aurificibus ſolidorum & cæteris Aurificibus conflatam.* Eorum æſtimatio viliſſima fuit, ita ut dignitatibus prohiberentur, neque conditionem facile mutare poſſent. vid. *l. 1. 7. & 13. C. de Murileg. l. 6. C. de dignit.* Hinc merito Cl. Chiffletius Egnatium reprehen-

Varii a variis operibus.

Viliſſimæ conditionis erant.

prehendit, quod ſub nomine Monetariorum Gynæciarios & Baphiarios etiam comprehendi voluerit. Erant autem hi monetarii inſignes falſarii: nam nonſolum vendebant numos contra verum uſum, ut perhibet anonymus ſcriptor jam citatus *Notitiæ Imperii adjectus*: ait enim, *Ementis eundem ſolidum fraudulenta calliditas, & vendentis damnoſa neceſſitas, difficultatem quandam ipſis contractibus intulerunt, ne rebus poſſit intereſſe ſimplicitas.* Sed etiam exercebant monetam adulterinam clandeſtinis ſceleribus, ut lex loquitur *l. C. de falſ. mon.* quorum accuſatoribus onus ſubſcriptionis remiſit eadem lex. Tanta ipſorum fuit multitudo, ut ſub Aureliano intramuranum excitarent bellum. Ecce ipſa Imperatoris epiſtola ad Ulpium Crinitium exarata ex Vopiſco: *Seditio intramurana bellum mihi graviſſimum peperit. Monetarii, autore Feliciſſimo, ultimo ſervorum, cui procurationem fiſci mandaveram, rebelles ſpiritus extulerunt. Hi compreſſi ſunt, ſeptem millibus Hibernorum & Ripanienſium & Caſtrianorum & Paciſcorum interemtis.* Res etiam impoſterum metuenda fuit. Inde prædictus Autor anonymus inſtanti malo tali remedio occurrendum eſſe exiſtimat; ſcilicet, *Ut opifices monetæ redacti undique in unam inſulam congregentur numariis & ſolidorum uſibus profuturi, a ſocietate videlicet contiguæ terræ prohibiti, ne commixtionis licentia fraudibus opportuna integritatem publicæ utilitatis obfuſcet.* Sequentibus temporibus autem hoc remedio non opus fuit, ſine tumultu vixerunt, territi forſan crudelibus pœnis, quibus Imperator hujus rebellionis complices affici juſſit. vid. Vopiſcum. Enim vero in *Hiſtor. Tripartit. c.* 17. de Juliano refertur, *Quod publicos artifices opificesque monetæ, cum uxoribus atque liberis Cizicum habitare juſſerit.*

Inſignes falſarii.

Eorū multitudo & ſeditio.

Remedium contra illam adhibendum.

§. III. Incidit numus, quem Agoſtin. *Dialog. I.* exhibet; adverſa pagina, caput ſiſtit muliebriter ornatum, verbo addito, MONETA; averſa inſtrumenta monetalia monſtrat lauro incluſa. Incus medium occupat, ſupra quam vas conflatorium lauro coronatum inverſum cernitur, a dextra forceps, a ſiniſtra malleus poſitus eſt, addita epigraphe, T. CARISIVS: pertinet enim ad Cariſiam gentem. Non ſolum iſtud duplex F. F. ſed etiam hæc inſtrumenta ſatis nos reddunt certiores, quod Romani flando feriundo paraverint ſuos numos. Sæpius mentionem injecimus iſtius modi, quo uſi

Modus parandi numos.

ſunt

ſunt Romani in conficiendis numis; ne quid deſideretur, ex Savoto illum hic repetere mihi liceat, quem deſcribit *Part. I. C. 6*, mutuo autem accepit ipſe a du Pois in *Diſcours ſur les Medalles: Les Anciens tenoient cette façon en la fabrication de leurs monoyes; ils les jettoient premierement en moule ce que l' on preuve: par les moules meſmes qui ſe ſont trouves, tant a Rome, qu'a Lyon, ou les Romains ont eu antres fois un hoſtel de monoy. Cette raiſon a eſté trouvée ſi bonne d' elle meſme par tous les meilleurs Maitres, qu' ils liennent, que les Anciens ne pouvoient autrement donner le haut relief que nous voyons a preſent dans leurs monoyes: Mais ils n' en demeuroient pas la, car ils tiennent comme il & fort vaay ſemblable, que par apres ils n' eſtoit pas beſoin d' une ſi grande force, pour leur donner l' emprainte parfaite du coing les amolliſſant, & adouciſſant ſi fort, par le moyen d' une bien grande charleur, que les medalles d' or d' argent, & de franc cuivre pouvient endurer ſans ſe rompre, crever ny beaucoup etoiller ſous les coings, en ſorte qu' on leur pouvoit fort facilement donner l' emprainte entiere des coings.*

A Savoto docetur.

Primo, modulo ab argilla efformato, liquefactum metallum infundebatur, in quo rudem numi delineationem atque eminentiam adeptum eſt; quo facto, fuſum numum denuo ad mollitiem usque candentem reddebant, & tantum non fluidum marculo ſubjiciebant ſignatorio, qui non niſi leviter percutiebatur. Quod quidem a vero non abſimile, ſed qualecunque etiam fuerit compendium, noſtris tamen numis plane adverſatur. Nam craſſitie Romanis numis longe ſunt inferiores, quemadmodum illis triplo plus majores; hinc inventum, quo nos utimur, per rotulas magis conducibile eſt, & minores requirit impenſas.

Modulo liquefactum æs infundebatur, quod poſtea cudebatur.

Noſtrum inventum per rotulas præſtantius eſt.

§. IV. Non autem ex aſſe huic modo a Savoto & Baronio *in ſuis Annalibus Eccleſiaſtiais* propoſito ſubſcribo: nam hoc cumprimis fidem meam excedit, quod fuſum æs denuo calefecerint. Licuit mihi rebus monetalibus intereſſe & obſervare, quod marculus a ſculptore perfectus adeo mollis ſit, ut ſine interitu figuræ haud moderatam perferre poſſet incuſſionem; ut itaque præveniatur malo, marculus adhibita arte in igne obduratur, & hanc virtutem tam diu retinet, quo ab igne remotior; ſed mediocris calor ad priſtinam mollitiem illum redigere poteſt, ita ut acies ipſi adimeretur, unum feriundo numum. Si itaque reſpicere velimus ad propoſitum

Savoti modus propoſit' reſtringitur.

con-

conflandi modum, reliqua accipio; iſtud autem tollendum eſt, quod fuſus numus ſecunda vice igne emolliatur, antequam ſignum ipſi imprimitur, quia marculus per vim percuſſionis penetrato igne corrumperetur actutum, quod iis non erit abſurdum, quibus natura harum rerum haud incomperta eſt. Nam ſi hæc ita ſe haberent, neceſſum eſſet, ut cuilibet numo novus adhiberetur marculus. Præſidium aſſertionis meæ præbent numi in percuſſione fracti; qui interdum multis rimis hiant; Galli eos appellant *Medailles eclatées*: nam prorſus impoſſibile eſſet, quod metallum candens ſeu calefactum ejusmodi ſciſſuram pati poſſet, quod experimentis ipſis firmatur; hinc neceſſario ſequitur, numum modulo emiſſum ſine calore figuræ ſuſtinuiſſe elaborationem; quod etiam difficultate non laboravit, poſtquam in fuſione prima lineamenta erant parata; & perſvaſus ſum, argillarem modulum ex ipſo marculo efformatum fuiſſe: nam ſi numum plumbeum primo cuderunt, cujus mollis metalli percuſſione nullum marculo immineret periculum, per hunc numum plumbeum poſtea argilla ſubducta modulus erat conſtructus, & ea quidem accuratione, ut lineæ moduli & marculi in flando & feriundo conſpirarent quaſi concordantes.

Fuſus numus denuo non calefactus eſt.

Numi in percuſſione rupti.

§. V. Ne obliviſcar memoratos numos ſciſſos debita laude proſequi; nam haud ultimum elegantiæ locum inter antiquos occupant, adeo ut pretium magis augeant, quam minuant, modo figura nullum inde vitium capiat. Nam nulla hominum calliditas, nullum fraude imbutum ingenium eos facinore celato imitari poteſt, & non niſi ſcientiæ penitus ignari falſis illis ſeducuntur. Obſervantur etiam numi Romani, qui ſatis confuſe efformati ſunt; nam in quibusdam eadem inſcriptio duplicata cernitur, in quibusdam caput geminatum eſt idem. Quod autem cudentis negligentiæ ſignum, ſi nimirum repetita percuſſione marculum non eadem firmitate poſuerit; nam eo modo quavis alia poſitione novus formatur typus. Hoc in ſenſus incurrit, quod vitium ſit numi, non ornamentum; frequentes ſunt tempore Claudii Gothici & tyrannorum. Nova autem ſpecies ſe præbet, quæ etiam curioſorum ingenia vexare poſſet, & opportuno hic proponenda eſt loco, quia nondum ex officina monetali egreſſi ſumus; nimirum obſervamus numos ex una parte caput refe-

Numi ſciſſi æſtimandi ſunt.

Numi duplicata inſcriptione.

Numi incuſi ſeu umbini.

rentes, qua decet eminens; ex altera parte idem caput quaſi inciſum, incuſum & excavatum cernitur. Gallice hi numi vocantur *Medailles incuſes*; Cicero *in Orat. pro Fontejo* eos Umbinos numos vocat, quia ſcuti forma gaudent. Qui de proceſſu monetali non ad amuſſim edoctus eſt, hic facile in admirationis labyrinthum incidet, nullo demonſtrationis filo gaudens. Sed ſciendum eſt, quod ad unum formandum numum duo requirantur typi, qui uno ictu ex una alteraq; numi parte figuram ſimul imprimant; inferior incudi firmatus eſt, altera autem imponitur: inferior typus addito utitur circulo, quo minus numi ab illo declinare poſſint. Si itaq; accidat, ut malleator numum jam percuſum non ejiciat, & alium formandum inſuper imponat, eminens inferius numi caput ſe in oppoſitum imprimit, ita ut ipſi ab altera parte caput ſit eminens, ab altera inciſum in formam moduli; acies tamen ſemper deficit, quia ejusdem mollitiei metalla ſibi invicem cedunt: quod autem caput ſemper conſpiciatur, & non etiam averſa pars, inde fluit, quia marculus ſignatorius ſuperior ſemper hanc partem ſignat, de quo, præter conſvetudinem, haud reddi poteſt ratio. Hujus vitii Conſulares quidam inveniuntur, nec rari ſunt tempore Ottonum & Henrici Aucupis.

Quo caſu parentur.

Obvii ſunt in Conſularibus, & Ottonum tempore.

§. VI. Sane non poſſum non illius etiam figmenti heic loci mentionem injicere, quod formatur ab eis, qui magnitudinem Romanam chimærica quadam amplificatione deſcribunt. Aſſerunt enim, quod Romani uno numo percuſſo ſtatim iconium ejus fruſtatim conciderint, & quovis numo novum marculum paraverint. Dii boni! *Si foret in terris, rideret Democritus!* Ne ſomnio quidem hoc abſonum inſtitutum meditati ſunt Romani. Non ignoro quidem, quod Nero profuderit opes immenſas in ſpectacula; Elagabalus, ut jam audivimus, porticum erexit ſtobe auri ſtratam. Romanæ tamen opes ſuperbiæ huic ſufficerent; ſed vero nec orbis quidem univerſi divitiæ his ſumtibus pares ſunt. Nam hodie iconium uncialis mediocriter elaboratum haud duodecim uncialibus comparatur, ut taceam exſtantes Romanorum figuras, quæ mercedem & operas multiplicant; ergo hæ impenſæ unius marculi quadruplo plus ſuperant ipſius auri materiam cudendam, ita Romani, ut habuiſſent numum unius denarii,

An Romani ad unumquemque numum efformandū novo iconio uſi ſint?

denarii, impendiſſent decem alios denarios. Totus opera- riorum exercitus haud exſequi potuiſſet hunc laborem, etſi omnes habitu infuſo a Junone donati fuiſſent, imo nec tem- pus capere potuiſſet, niſi omnes homines Imperii Romani Monetarios dicere velis. Regis Daniæ metallionum ſcul- ptor præſtantiſſimus Vir Meibuſchius marculos mihi videndi copiam fecit cujusdam numi, referentis ab una parte Creatio- nem, ab altera Nuptias Canæ celebratas; ad quem conficien- dum viginti duos conſumſit annos, lectis tamen horis tan- tum impenſis; nec, cum ego viderem, ultima manus admo- ta erat: ſtupendum quidem opus erat, ſed magni moduli numi Romani nullo plane hodierno ſunt inferiores; quan- quam Schmelzing in Hollandia, Pfalz Berolini & Carlſtin Holmiæ, viri ſint inter ſe certantes de palma, quam aliis omni- bus præripuerunt. Gaſſendus in vita Peireſcii memorat, quod Cobergerus inſignis artifex judicaverit, formam ſeu iconium numi Romani intra duos menſes elaborari non poſſe, nec plures ducentis eodem typo percuti. Ita ſi cui- libet numo novum adſcribere velimus iconium, non imme- rito quæro, quanquam in re minima; Quis Imperatorum

Abſona hujus rei ſequela.

Meibuſchii numus inſignis cælaturæ.

Quis tot ſuſtinuit, quis tanta negotia ſolus? *Horat.*

Fabulæ nunc finis eſto; cum dicunt, non dari ejusdem mar- culi ſignatorii duos numos: reperi ipſe æquales numos non una vice; ſed non inficior, quod rariores ſint, nullam aliam ob cauſam, quam quia in imperio tam late diffuſo plures officinæ unum numum diverſo exhibebant marculo, & tandem tem- porum confuſio etiam eos ſeparavit, ut rariſſime magno numero una vice inveniantur. Aliter quidem animatum fuiſſe Patinum teſtatur Dn. Wagenseilius: nam contendit, quod pro infallibili ſigno capiendum, ſi duo ad amuſſim ſi- miles reperiantur, alterum illorum eſſe ſuppoſititium; ſed a laudato Wagenseilio ſatis refutatus eſt. Æneas Vicus in *Diſcorſi ſopra le Medaglie de gli Antichi L. I. c. XIII.* idem du- bium his verbis repreſſit: *L'openione è falſiſſima di queſti che con- traſtano, che d'un cognio fatta non piu d'una medaglia, per mag- gior ſuperbia & lor grandezza rompeſſero la ſtampa; la quale ope- nione, tanto è del vero lontana, quanto, che con alcuna autorità, di ſcrittore degno, non la poſſono provare; Conciofia, che la dili- genza del noſtro Eccellente Deciano, ammiratore mirabile delle*

Numi ejusdem marculi plures inveniuntur.

Patini opinio refutatur.

Vici ſententia.

coſe antiche, ha dimonſtrato il contrario, havendone egli aſſortite molte di rame di varie effigie di piu Imperadori: due d' alcuni, d' atteri tre, equatro ancora, tutte d' un ſolo, e d' uno iſteſſo cognio, come chiaramente veder ſi può. Decianus nimirum rerum antiquarum heluo inſatiabilis, numos ad amuſſim ſibi ſimiles collegit, ut interdum ab uno Imperatore duos, ab altero tres oſtendere valuerit. Invenit etiam laudatus DN. WAGENSEILIUS modum cognoſcendi numorum ſimilitudinem, qui Circini ſcrutatione accuratior eſt. vid. ejus *Diſſert. de re monetali c. XIII.*

Ærarium quod & fiſcus in jure.

§. VII. Officinam monetalem merito excipit *Ærarium*, quod nihil aliud eſt, quam Reipublicæ ſeu Principis fiſcus, qualem etiam in Jure noſtro denotat, ut ex verbis Marciani JCti conjicere licet *in l. 1. §. ex illa. D. de L. Corn. de falſ. & l. edicto. ff. de jure fiſc.* Neſcio, an ærarium etiam *Flaviſſam* dicam, quia hoc verbum iſtud Græcum *Theſaurum* exprimit. In Plut. Publicola ita deſcriptum ærarium reperimus: *Ærarium locus erat, ubi poplicæ id eſt publicæ reponebantur pecuniæ.* Romani, qui totam rem monetalem Græcis debebant, etiam ab iis reponendi didicerunt modum: nam apud Athenienſes ærarium cella erat ſub ædibus Minervæ, & ob id ὀπισθόδομος dictum, ut apud Demoſthenem περὶ συντάξεως. Romani autem pecuniam ſub Junonis auſpicio cuſam, Saturno moroſo Deo cuſtodiendam tradebant; nam Feſtus teſtis eſt, Saturni templum ærarium fuiſſe, quod infra eam partem Capitolii, quæ Rupes Tarpeja dicta erat, ſitum fuit, ubi hodie Septimi Severi arcus conſpicitur. Populari ſtatu adhuc vigente, illud ipſum duplex fuit, unum quod quotidianis expenſis dicatum erat; alterum vero, quod ſanctioris erat reſervationis. Cicero amborum meminit, minoris in *L. de LL.* his verbis: *Minores Magiſtratus domi pecuniam publicam cuſtodiunto.* Sine dubio erat pecunia, quod è majori ærario ipſorum fidei credita fuit; de qua impenſa rationes reddere erant coacti. Majus ærarium *ſanctius* etiam vocatum fuit, quia inde pecuniam promi non liceret, & quod Conſulibus tantum aperire permiſſum erat: ita enim Cicero *L. 7. ad Atticum, Epiſt. 19: Attulit mandata ad Conſules, ut Romam venirent, & pecuniam de ſanctiore ærario proferrent.* Livius *L. 37.* mutatis verbis idem affirmat: *Cætera, ait, expedientibus, quæ ad bellum opus erant Coſſ.*

Græci ſub ædibus Minervæ.

Romani ſub ædibus Saturni illud habebant.

Quotuplex fuerit ſtatu populari?

Ærarium ſanctius.

aurum

aurum viceſimarium, quod in ſanctiori ærario ad ultimos caſus ſervaretur, promi placuit. Tempore Imperatorum res non fuit immutata, nomen tamen & adminiſtratio; nam etiam duo erant æraria, ut liquet ex *l. un. de quæſt. & mag. off. & Nov. Valent. de 30. ann. præſcript. l. un. §. eandem*; quorum alterum vocabatur *publicum*, alterum *privatum*. Publico præerat Comes ſacrarum largitionum; privato vero Comes rei privatæ, qui in *l. 14. C. de Palat. ſacrar. largit.* Palatinus vocatur; ibique privati ærarii Præpoſito eadem jura tribuuntur, quibus ſacrarum largitionum Comes fruitur. In his ærariis recondita fuit pecunia, quæ poſtea & luxuriæ & Reipubl. cauſa vel impendebatur vel dilapidabatur.

Ærarium Impp. tempore duplex.

Comes ſacrarum largitionum.

Comes rei privati.

§. VIII. Mirum ſane eſt, quod ſanctam rem interdum ſatis vulgari modo profunderent, quam quodam religionis cultu adorari jubebant: nam mos invaluit, cumprimis priorum Imperatorum temporibus, ne quis ſuſciperet oblatam pecuniam Imperatoriam, priusquam ſatis religioſe illam veneratus eſſet. Hujus rei mentionem injicit Eumenius *in Orat. de Schol. inſt. urand.* quæ inter alios panegyricos exſtat: *Hoc ego ſalarium*, inquit, *quantum ad honorem pertinet, adoratum accipio, & in accepti ratione perſcribo, ſed expenſum referre patriæ cupio.* Alii quidem *adæratum* pro *adoratum* legunt, ſed vindicat priorem ſenſum pro ſua eruditione Cl. Chiffletius *de Antiq. Num. c. XV.* Huc etiam facit ille locus, quem ſuperius ex Svetonio de Tiberii adorata pecunia adduximus. Invaluit autem hic mos propter imaginem Cæſaris pecuniæ impreſſam, quam ubique adorabant. De inſignibus militaribus teſtis eſt Vegetius *L. 2. c. 6: Hæc imagines Imperatorum*, ait de prima legionis cohorte, quæ milliaria dicebatur, *hoc eſt divina & præſentia ſigna veneratur*; quod fuſius Tertullianus in *Apologetico* ita refert: *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, omnibus Diis præponit, omnes illi imaginum ſuggeſtus inſignes monilia crucium ſunt, ſuppara illa vexillorum & labarorum, ſtolæ crucium ſunt.* D. Ambroſius ſtatuarum adorationem refert *Hexaem. 6. c. 6: Sola ære fuſa capita & ducti vultus de ære vel marmore ab hominibus adorantur.*

Modus ſuſcipiendi pecuniam publicam.

Imperatores adorati in effigie.

§. IX. Quo tempore Imperatores adorandi adulatio invaluerit, ambiguum eſt. Auguſto ſuperſtiti adhuc aras conſecra-

ſecrarunt, templa dicarunt, & nomen Dei tribuerunt. Sic enim canit Hor. *L. II. ep. I:*

Præſenti Tibi maturos largimur honores,
jurandasq; tuum per nomen ponimus aras.

Auguſtus hoc reſpuit. Hæc tamen obſequia modeſtus Imperator vix perferre potuit; ut Philo Judæus teſtatur in *Lib. de legatione ad Cajum fol. 1014: Ipſum vero*, ait, *Auguſtum, nunquam inflatum talibus obſequiis, certo colligitur, quod nunquam ſuſtinuit ſe appellari DEUM vel DOMINUM, averſatus hanc adulationem, nec diſſimulans, probari ſibi Judæos, qui abominarentur talia.* Quapropter ab eruditis recte conjicitur, quod ejus demum poſt obitum cuſos oporteat eſſe numos, qui DEI & DIVI appellationem ei tribuunt, vid. Dn. Morelli *ſpecim. Rei Numariæ antiquæ p. 76.* Enim vero ſequentes Imperatores faſtu tumentes ab hac inſania non alieni fuerunt.

Domitian' vero accepit. Domitianus *Dominum* & *Deum* ſe appellari primus juſſit, (teſtes ſunt Eutropius *L. VII. c. 23.* & Svetonius *Domit. c. XIII.*) & inſtituit, ne ſcripto aut ſermone cujusquam aliter appellaretur; unde Martialis *L. V. Epigr. VIII:*

Edictum Domini Deiq; noſtri.

Nec non Caligula. Caligulæ autem conſvetum erat, ſe *Latialem Jovem* ſalutari, quemadmodum Svetonius *c. XXII.* ſcriptum reliquit; quæ fere ſtultitia etiam Alexandro M. communis fuit, ſi Curtio fides ſit habenda.

Alex. Severus prohibuit. Alexander Severus hos inconſvetos titulos prohibuit. Reperiuntur tamen numi, in quibus Caro, Aureliano, aliisque Dei appellatio tribuitur.

Imperatores ipſi abjecte adulantur. Attamen Imperatores ipſi Senatum & populum indecenter interdum venerabantur. De Pertinace ita Capitolinus habet: *Fuit in curia honorificentiſſimus, ita ut Senatum faventem adoraret.* Et Tacitus de Othone *L. 17.* paria refert: *Nec deerat*, inquit, *Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula & omnia ſerviliter pro dominatione.* Modus adorationis a Svetonio recenſetur

Modus adorationis. in Vitellio *c. 2: Primus*, nimirum Vitellius, *C. Cæſarem adorare ut Deum inſtituit; cum reverſus ex Syria, non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertensq; ſe, deinde procumbens.*

CAPUT

CAPUT XIV.

DE VETERIS NUMISMATIS POTESTATE,

Titulus Codicis. Ejus prima lex. Principum æternales vultus. Partes numi eſſentiales. An moneta ſit, ſi impreſſa facies deleta. Valor numorum extrinſecus & intrinſecus. Liga numorum. Lex ſecunda. A mutatione auri reliquæ pecuniæ mutatio. Lex tertia & tituli ultima. Aureorum immutatio. Numi Obryzati. A quovis Imperatore puros & adulteratos habemus numos. Zygaſtatis officium. Veteris numiſmatis potentia non perpetua fuit. Caracallæ facinus. Caligulæ numi deleti. Hodierna numorum veterum potentia in juris negotio. Vendi & emi poſſunt. Uſusfructus in numis. Sub auro & argento legato non veniunt numi.

§. I. RIdentur cæcitate errantes Romani a Chriſtianis, quibus æterna Lux revelavit, quod Principes quidem veneratione ſubmiſſa proſequendi, ſolus autem DEVS Rex Regum ſit adorandus. Inde numis etiam veteri rubigine radiantibus detrectamus cultum idololatricum; illos tamen magni habendos ratio ipſa dictitat; quod etiam Chriſtiani Imperatores Romani, ut juſtitiæ conveniens, judicaverunt. Nam Imperatores Valentinianus, Valens, Gratianus & Theodoſius legibus publicis conſtituerunt, ut veteri numo magna ſit poteſtas. Ea propter in Codice repetitæ prælectionis Lib. XI. titulum invenimus DE VETERIS NUMISMATIS POTESTATE; cujus tribus legibus tot ſunt privilegia veteribus numis conceſſa.

Solus DEVS adorandus.

Veteres numi magni ſunt habendi.

Titulus Codicis de veteris numiſmatis poteſtate.

§. II. *Prima Lex* ab Impp. Valentiniano & Valente Germano PP. data hæc continet: *Solidos veterum Principum veneratione formatos, ita tradi ac ſuſcipi ab ementibus & diſtrahentibus jubemus, ut nihil omnino refragationis oriatur, modo, ut debiti ponderis ſint & ſpeciei probæ: ſciturit univerſis, qui aliter fecerint, haud leviter in ſe vindicandum.* Huic ſimilis conſtitutio reperitur *in C. Th. l. ſi quis ſoli circ. exter.* Regula eſt Politicorum: Princeps non patiatur aliorum lædi Majeſtatem, ne ſcil. propria Majeſtas vileſcat; ex hac ratione Imperatores *veneratione formatos numos* appellant: nam aſpectus Principis venerabilis eſt, nec contra religionem noſtram, ſi principum vultus vocamus æternales, ut in *l. 3. h. t.* legimus, & *l. 6. C. Th. de Jud.*

Ejus prima Lex.

Principum æternales vultus.

Jud. cr. aut etiam ſacrum os & vultus divinos, ut apud Paulum *L. 5. ſent. 25.* Inde per Legem Corneliam plectebantur, qui monetam vultu Principum ſignatam, præter adulterinam, reprobaſſet aut etiam conflaſſet. *Arriar. 8. ad Ep. litt. Edict. II. Juſt. c. 3.* Seneca pariter & Tacitus aſſerunt, quod tempore Tiberii, ille criminis læſæ Majeſtatis reus judicatus ſit, ſi quis monetam Imperatoris in lupanar intuliſſet, ut jam dictum eſt. Et Philoſtratus in vita Appollonii obſervat, dominum quendam ſupplicii capitalis reum fuiſſe judicatum, quod ſervum monetam talem manu tenentem percuſſerit; quæ pro more gentili accipienda ſunt. Eodem utebantur jure ſtatuæ Principum, *l. 4. & 6. §. 1. ad L. Jul. Maj.* Sanctæ etenim ſunt eorum perſonæ, quemadmodum parentum *l. 9. ff. de obſeq. parentum & Patron.* excellentia quidem majori, quia ſunt Patres Patriæ, nec etiam verbum *divinus* Scripturæ repugnat ſacræ; nam ſimiles eſſe Principes angelis DEI, docet nos *c. XIV. II. Samuel.* Ex hac lege etiam apparet, quod eo, nimirum Valentiniani tempore, idem fuerit pondus in moneta aurea, quod antiquitus fuit receptum; nam verba, *modo ut debiti ponderis ſint*, hoc ſatis innuunt.

Jus numorum & ſtatuarum.

§. III. Quæcunque autem partes ad numum pertinent, hic reperiuntur, nimirum debitum pondus & proba ſpecies, ſive, quod idem eſt, *materia*, *forma* & *pondus*; vid. Gloſſa in *c. quanto X. de jurej.* Forma enim requiritur, quoad autoritatem; pondus & materia quoad valorem, ut Boërius ait *quæſt. 327. num. 6.* Nam ſi unum deficit, moneta non eſt, nec eo nomine digna. Pluris tamen eſt in forma, quam in materia ipſa: nam ſi Principi licitum, etiam plumbeam monetam introducere, non certe a materia dependet vis ac poteſtas numorum, ſed potius a publica autoritate, impreſſo ſigno: hoc ſolum obſtat, quod commercium cum exteris interrumpatur, cui malo præveniunt hodierni Status per duplicem monetam, nimirum per provincialem & univerſalem; hac etiam exteræ conſvetudini accommodata, illius bonitatis ſuæ regula voluntas Principis eſt, & adſtringuntur ſubditi, ut in reverentiam ſuorum ſuperiorum illam accipiant, niſi in caſibus privilegiatis, nimirum in ſolutione cambiali, ubi pro conſvetudine cujusq; provinciæ quarta pars tantum admittitur; vide Leipziger Wechſel-Ordnung; aut etiam minor. Tanta, inquam, vis

Partes eſſentiales numi.

Forma plus facit quam materia,

Moneta provincialis & univerſalis.

vis ineſt divinæ principis faciei! Non immerito hic quærunt JCti, an moneta ſit, ſi impreſſum ſignum adeo corroſum & deletum, ut legi vel diſcerni non poſſit? Sine dubio principis voluntas etiam in hac parte, tanquam legislatoris, perpetua eſt, *arg. l. 6. pr. C. de ſecundis nupt. aut. habita C. ne fil. pro pat.* Diſtinguendum autem eſſe puto, an moneta valeat ex nuda principis voluntate, ita, ut interna bonitas non concurrat, an etiam valeat ob materiæ qualitatem? Hoc in caſu cenſeo accipiendos quidem eſſe numos, ita tamen, ut, quod pondere deficit, reſtituatur, quod quidem natura ipſa dictitat: ſed illo caſu nego, quod alicui obtrudi poſſit *arg. c. inter dilectos X. de fide Inſtrum. l. 1. ff. de contrah. emt. vend.* Decianus *tr. de criminibus l. 7. c. 23. num. 7.* & hoc quidem ob reverentiam principis ſeu ſuperiorum; nam ſi ipſorum vultus, ignobiliori metallo majus pretium conſtituit, tam diu iſtud fixum eſt, quam diu facies ſeu ſignum expreſſum; ſin vero deletum, recuſare impune quis poteſt, ob deficientem cauſſam efficientem: averſa enim facie principis & in abſentia ejus, hoc caſu non peccatur. Hoc itaque eſt, quod DD. quidam valorem appellant externum, & quidem recte; nam externe accedit, inde etiam externus vocari meretur valor, vid. Gothofr. *in differt. pecul. ad Tit. C. de vet. numiſm. pot.* Probatur hæc diſtinctio inter Valorem Internum & Externum ab Accurſio ad *l. 3. verb. bonitate ff. de R. C.* eamque tribus retro ſeculis invaluiſſe ac receptam fuiſſe, teſtatur Molin. *de Contract. uſur. quæſt. 92. n. 696.* Idem Molinus in eo diſplicet, quod uſum ac conſtitutum a principe numiſmatis pretium, ad intrinſecum pertinere valorem aſſerat; nam cuique in ſenſus incurrit, quæ opinio præſtantior ſit. Decidentem audiamus in hac re Lampadium *in diſcurſ. de natura numi circa pr: Inſignia quidem faciunt*, inquit, *ut numus ſit numus, non habita ratione materiæ. Nam plumbeus numus æque eſt numus ac aureus aut argenteus, ſed nequaquam eadem eſt ratio pretii ſeu valoris. Cupreus, plumbeus, argenteus æqualiter de ratione numi participare poſſunt, eadem forma cudi, iisdem inſignium imaginibus, ſed ratio & quantitas pretii hinc nequaquam ſumitur, quæ ſimpliciter ex jure gentium dependet, & non ad effigiem cuique impreſſum pluris eſt vel minoris, ſed prout plus minusve de auro ſeu argento participat: argentum igitur & aurum numis valorem imputant, non quidem ſimpli-*

An moneta ſit, ſi impreſſum ſignum deletum?

Valor numorum externus & internus.

Molini error.

Lampadii deciſio.

citer & indefinite, ſed quatenus per pondus determinatur. Cui ſententiæ ſubſcribo, quatenus eos numos reſpicit, quos univerſales vocavimus. Ad bonitatem intrinſecam quod attinet ſeu valorem internum, illa nihil aliud eſt, quam materiæ qualitas, quam monetarii technice *Ligam* nominant, Germanice, Gehalt und Gewichte/ Schrot und Korn; vid. *Receſſ. Imp. An. 1570.* Quemadmodum autem Principis regale eſt non ultimum, numos cudere; ita ad hanc poteſtatem, mutandi numos facultas etiam pertinet: nam cujus eſt dare leges, illius etiam eſt interpretari per reſtrictionem ſeu extenſionem *l. 9. C. de LL.*

Bonitas numorum intrinſeca; ſeu Liga.

§. IV. Veteres ſolidi in noſtro titulo *Lege ſecunda*, hanc habent prærogativam, quod in mutatione monetæ tota proportio reliquarum ſpecierum ab illis ſumenda ſit: ita enim reſcribunt prædicti Impp. ad Julianum PP. *Pro imminutione, quæ in æſtimatione ſolidi forte tractatur, omnium quoque pretia ſpecierum decreſcere oportet.* Incipit hic Imp. monetæ imminutionem ab auro, tanquam metallo præſtantiori, quod meliori ordine placet ac prima Romanæ monetæ imminutio, quæ ab ære inchoata eſt, ut ex Plinio jam ante demonſtravimus. *Hiſt. Nat. L. 33. c. 3.* Per verbum *rerum pretia* intelligunt quidam pretium rerum venalium; nos autem cum Hotomanno *c. 15. illuſtrium quæſt.* contra Gothofredum ſentimus; per hæc verba non res ipſas intelligi, ſed ſpecies alias monetæ, ut una cum aureo gradatim omnes reliquæ monetæ pro ratione cujusque proportionis decreſcant; nam ſi aurum immutatur, per conſequens neceſſario reliqua pecunia eandem patitur mutationem. Hoc fit publica lege, ad Principis demonſtrandam potentiam; nam privatis non licet monetam publicam majori vel minori pretio dare & accipere, Molin. *tract. de Uſur. q. 100. n. 814.* Et ſi tale pactum intervenerit, neglecto pacto ſecundum æſtimationem publicam, recipienda eſt; nam ut diximus, moneta juris publici eſt, *l. 1. ff. de contrah. emt. vend.* quod pactionibus privatorum mutari non poteſt, *l. 38. ff. de pact.* adeo, ut aurum ſeu argentum ſignatum, pro maſſa auri & argenti in diſpoſitionem aliam deduci nequeat citra principum læſionem, quam ſatis ſevere ulciſcuntur. Et tot Conſtitutionibus ſeveris cautum, ne conflentur numi publice ſignati.

Lex ſecunda hujus tituli.

Mutato aureo, reliqua etiam mutatur pecunia.

Privati, publicam monetam majori vel minori pretio neq; dare, neque accipere poſſunt.

§. V.

§. V. Ita monet *Lex tertia* hujus tituli ultima, quam Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Arintheo PP. reſcripſerunt: *Univerſos autoritas tua*, ſunt legis verba, *propoſito edicto commoneat, obryzatorum omnium, ſolidorum uniforme pretium poſtulare: capitali ſcilicet ſupplicio puniendo, qui vel juſſa noſtræ Majeſtatis, avaritiæ cæcitate contemſerit, vel æternales vultus, dum fraudibus ſtudet, duxerit violare.* Etiam hæc lex certo certius mihi perſvadet, quod omnium veterum aureorum numorum una eademque fuerit pretii ratio, modo non paſſi ſint corruptionem, ita tamen ut drachmales, ſextulas & didrachmales ſeu minores & majores numos ſua conſideremus proportione & qualitate. Non nobis quidem ignotum eſt, imo ejus mentionem jam injecimus, quod diverſi Imperatores monetam auream minorem reddiderint. Quis primus fuerit, cum ſcriptoribus omnibus ignoramus; Plinius tamen autor eſt, quod jam ante Neronis tempora a quibusdam Principibus id factum ſit; nam ita dicit *L. 33. c. 3. in fin. Paulatimque principes imminuère pondus*, quorum verborum hic non ſuſcipio explicationem. Sequentia autem Plinii verba Neronem nominant, *minutiſſime Nero*, dicit; qualis autem hæc etiam proportio fuerit, ita incertum eſt, ut ne quidem ex numis ipſius Neronis diſcere liceat. Elagabalus non imminuit quidem aurum: nam numos cudi curavit aureos omnem modum excedentes, ut Lampridius narrat; ſed idem Hiſtoricus hoc deſcribendo antecedentium principum imminutionem demonſtrat, quanquam indefinite: *Inveniſſe*, dicit, *cauſſa largitionis binarias, nimirum quæ, quod principes jam imminuerant pondus, quatuor drachmas pendebant.* An iidem hi principes hic ſint intelligendi, qui in Plinii loco, quæritur? imo iidem hic indicantur; uterq; enim locus obſcurus. Caracalla tamen hunc numerum reddidit majorem; nam hic adulteravit numos materia, quis dubitet pondere? Videtur autem, quod Alexander Severus aureæ cumprimis monetæ reſtitutor, cum Elagabali enormibus, etiam minutos aliorum Imperatorum reduxerit. Quod ferme ex Lampridio colligere fas eſt; & putat Patinus, quod poſt hujus Imperatoris deceſſum hæ ſuæ de re monetali ſancitæ leges ſatis diu fuerint obſervatæ. Demas tamen eam periodum, quæ corruptiſſima Gothorum tempora introducit. Sic etiam Focas imminuti auri reus accuſa-

Lex tertia.

Aureorum certo reſpectu unum eſt pretium.

Aureus jam ante Neronem imminutus.

Elagabalus magnos numos cudi curavit.

Caracalla auri adulterator.

Alexander Sev. vero reſtitutor.

cuſatur, ſed tempore poſterior eſt legiſlatoribus hujus legis. Reor itaque, quod pondus aureorum numorum & pretium æquale fuerit, ut ipſa lex teſtis eſt; eorum autem proportio quantitatis tam varia & indeciſa, ut alium definitum aureum merito elegerint JCti. Obryzatorum autem mentio non fruſtra injecta eſt; vel diſtingvunt Electreos Alexandri, aut etiam aliorum Imperatorum adulteratæ Ligæ numos; nam aureorum res ſe habet ut argenteorum numorum: a quovis ferme Imperatore & puros numos invenimus ſimul ac adulteratos ignobilibus metallis. Horum adulteratorum ſolidorum obſervatores *Zygoſtates* in jure appellantur, de quibus *l. 2. C. de ponder. & aur. illat.* his verbis diſponit: *Quoties de qualitate ſolidorum orta fuerit dubitatio, placet quem ſermo Græcus Zygoſtatem appellat, per ſingulas civitates conſtitutum, qui pro ſua fide atque induſtria neque fallat neque fallatur, contentionem dirimere.* Et ita inveniuntur numi aurei antiqui, quorum aurum impurum eſt, contra quod viſum eſt Patino. Vid. Jobert. *ſcience de medaille Inſtr. X. p. 204.*

[Margin: Numi obryzati. A quovis Imperatore puros & adulteratos habemus numos. Zygoſtates monetæ obſervatores.]

§. VI. Hanc tamen veteris numiſmatis potentiam non perpetuo in jure ſtabilitam invenimus; nam *Nov. Leon. 25.* nos docet, quod principes ſequentes, his jam memoratis legibus derogaverint, non reſpicientes bonum publicum, ex nulla alia cauſſa, quam ut eorum imagines cultu afficerentur. *Recte profecto*, ait Novella, *fecerunt veteres, dum omne genus numiſmatis, etſi ad veteres & priſcos principes referretur, ſimiliter valere voluerunt. Verum egregium hoc inſtitutum haud ſcio, qua de cauſſa poſteriores principes in eadem forma conſiſtere non permiſerint, ac tanquam ſubditorum opulentiæ inviderent, quia numiſmata ſuperiorum principum effigiem ferrent, iis publico uſu interdixerint: ſua vero ſola in communi commercio eſſe voluerint.* Sine dubio hæc Novella laudat eas leges, quas jam ex titulo Codicis *de Vet. Numiſm. pot.* adduximus; qui autem invidi illi fuerint Imperatores ſuorum anteceſſorum gloriæ? nec in hac Novella exprimitur, nec alibi reperitur. Commune principum vitium eſt invidia, quorum ambitio haud ferre poteſt parem. Hinc mortuorum tollere ſatagunt memoriam inſidiantem ſuæ famæ. Talia exempla in numiſmatum hiſtoria ubivis obvia ſunt; mihi tantum liceat Caracallæ facinus haud intactum relinquere. Hoc horrendum monſtrum fratrem Getam interfi-

[Margin: Veteris numiſmatis potentia non perpetua fuit. Imperatores anteceſſorum gloriæ invidi. Caracalla Getam vita privavit, ejusq; numos ſuppreſſit.]

terficere curaverat, Virum probum ac meliorem, cujus Imperatoris facies ſæpius cum Caracallæ conjuncta reperitur in numis; ſed perpetrato delicto Caracalla numos hoſce non tantum ſuppreſſit, verum etiam typos monetales corrigi juſſit. Quod ipſum hujus erroris cauſſa fuit, quem doctiſſimus Morell. *in ſuo ſpecimine p. 185.* notavit: *Odium ſane Caracallæ in Getam fratrem numi teſtantur plurimi: inter quos duos obſervavi maximi moduli, habentes nomina Caracallæ & Getæ expreſſa, ſolum tamen caput Caracallæ inſculptum; Getæ capiti ſufficienti relicto ſpatio, cujus tamen nullum adeſt veſtigium. Cujus rei hanc arbitror rationem, quod metu vel juſſu Caracallæ poſt occiſum fratrem, caput ejus eraſum, atque in matricibus (ut vocant) numorum deletum fuerit*; forſan per errorem relicto nomine fratris, cujus memoria Caracallæ haud minus tædium moverat. Judicat enim Vaillant *Hiſt. Imp. Tom. II. p. 253*, quod Caracalla etiam fratris nomen ex fornice ejicere curaverit, qui Septimio Severo patri triumphanti de Parthis, Adiabenis & Arabibus S.P.Q.R. dicaverat, in quo etiam Caracallæ & Getæ principum juventutis nomina erant conſpicua. Reſtant enim tantum Severi & Caracallæ nomina, & obſervavit Hadrianus Auzaut Gallus, quod loco verborum *Publio Septimio Getæ Cæſari*, quorum veſtigia adhuc reprehendit, verba *Optimis Fortiſſimisq; Principibus* ſubſtituta fuerint. Interdum etiam prohibitio numiſmatum Cæſaris cujusdam, juſtitia dictitante, facta eſt; ſic Dio refert, SCto cautum fuiſſe, ut omnia Caligulæ numiſmata in deteſtationem immanis tyrannidis colliquarentur; cauſſamq; hanc eſſe dicunt antiquarii, ob quam illius Imperatoris numi inter rariores numerandi. Novella vero noſtra denuo ſtabilivit veterum numiſmatum pretium, quod ex re fore totius Imperii arbitratus eſt Leo Imperator. *Certe mercatorum vulgus*, pergit, *quiq; alioqui manibus victum quæritant, & demum univerſa ruſticorum natio, dum antiquata ea, qua hactenus uſi ſunt, pecunia, alio modo res neceſſarias ſibi parare non poſſunt, in perquam auguſtas adiguntur anguſtias. Ea propter nos novo recentiorum placito non acquieſcentes, veterum autem providentiam ſequentes ſancimus, ut ſecundum benignum, reiq; publicæ commodiſſimum judicium numiſmatis omne genus, quod quidem formam materiamq; non adulteratam & plenum pondus habeat, ſive vetuſtioris cujuspiam principis ſive recentioris ſit, æqualiter & æſtimetur & in republica tractetur.*

Et nomen ejus in fornice delevit.

Caligulæ numi per SCtum colliquefacti.

Leo Imp. denuo vet. numiſmatum pretiū ſtabilivit.

Qualem hodie habeant potentiam.

§. VII. Qualem autem hodie potentiam habeant in communi vita numi veteres, quæri non erit ſupervacaneum: nam pecuniæ uſum amplius non præſtant, quod ipſa conſvetudo ſatis demonſtrat, & ex ea ratione etiam impoſſibile eſſet, quia de antiquo valore & pondere vix conſtat; ergo in negotio emtionis venditionis nullum habent locum: nam in hoc contractu merx & pretium neceſſario requiruntur *L. 1. §. ff. de contrah. emt. vend. §. item pretium l. J. de emt. vend.* Pretium autem debet eſſe pecunia numerata *§. 2. J. l. 1. pr. de rer. permut.* & cum pretium ſemper ſit certum, *l. 35. ff. de contrah. emt. vendit.* excluduntur noſtra numiſmata tanquam certum pretium non conſtituentia. Enim vero quemadmodum pecunia reprobata alium conſtituit contractum innominatum, ſcilicet permutationis], *l. 24. §. 1. de pign. act.* ita hi numi, ut merx conſiderati, ſeu, ut Lampridius mavult, ut materia a negotio communi non excluduntur, quod quidem antiquitus non procedebat, ſiquidem tale negotium, ut falſum, lege Cornelia notatum fuit. Hæc autem permutatio per numos ex una parte facta Romanis non incognita fuit; videbimus iſtud, ſi locum ex Plinio jam adductum repetamus: *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt; antea enim hic numus ex Illyrico adductus mercis loco habebatur.* Poſtquam autem victoriati etiam a Romanis cuſi erant, tranſierunt in pecuniam. Tandem ex his Voluſii Mætiani verbis: *At peregrinus numus*, ſcilicet victoriatus, *loco mercis, ut nunc tetradrachmum & drachma habebatur*, colligimus, quod etiam Græci numi, drachma & tetradrachmum, tanquam peregrini eadem qualitate accepti fuerint. Imo numi Romani veteres & rariores jam eo tempore dicti, novam rerum ſpeciem nacti ſunt ex hominum libidine, de quibus loquitur *l. numiſmatum ff. de uſufructu: Numiſmatum aureorum*; ibi ſunt Pomponii JCti verba, *vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti ſolent, uſusfructus legari poteſt.* Mirum quantum enim Romani delectabantur his rebus, ut ſuperius monuimus. Ita Auguſtus Imperator amicis ſuis numos etiam veteres diſtribuit, ut Svetonius in vita ejus habet: *Saturnalibus & ſi quando alias libuiſſet modo munera dividebat, veſtem & aurum & argentum: modo numos omnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos.* Ex his diſcimus, quod ſatis conſvetum fuerit Romæ, talia cimelia non ſolum colligere, verum etiam per legata,

Vendi & emi poſſunt, ut merx.

Jam olim id obtinuit.

Uſusfructus in numis conſtituitur.

legata, non ob numorum qualitatem, ſed propter eum, quem præſtant, uſum ac delectationem, in alium transferre. Verus autem uſusfructus numorum eſt, utpote qui uſu non conſumuntur, & longe differt ab uſufructu pecuniæ, qui quidem etiam concedi poteſt, ſed ad quaſi uſumfructum tantum pertinet, quia non niſi in genere reſtituitur *§. 2. J. de Uſufr. L. 5. §. 1. & 2. l. 7. ff. de Uſufr. ear. rer. quæ uſu conſ.* Non extra oleas vagabor, ſi quæſtiones Juris heic loci etiam propoſuero, quæ a DD. circa numos veteres formantur. Nimirum quæritur; auro & argento ſimpliciter legato, an etiam numiſmata legata ſint? Ita quidam putant, inter quos etiam Cl. Chiffletius: nam dicunt, aurei numi ſub auro veniunt; quod tamen mihi non videtur. Ex priori ſiquidem lege demonſtratum eſt, quod hi numi antiqui pro gemmis habeantur: quapropter ſub generali auri appellatione non intelliguntur, quia aliud nomen in jure ipſis attributum; ſed ſi teſtator dixerit *pretioſa do, lego*, maxime ſub hoc verbo comprehenduntur. *l. 19. pr. ff. de aur. arg. leg. l. 27.* Alia tamen res eſſet, ſi omne ſignatum argentum legatum fuiſſet ſeu aurum. Nam formæ ac ſigni cauſſa hi numi in pretio ſunt, ergo quam maxime propter vocabulum *ſignatum* debentur; ita enim loquitur Ulpianus in allegata lege *27. §. 4. §. 1. eod. in fin:* *Si autem aurum vel argentum ſignatum legatum eſt, id paterfamilias videtur teſtamento legaſſe, quod ejus aliqua forma eſt expreſſum, veluti quæ Philippi ſunt, itemque numiſmata & ſimilia.* Ab argento ſignato bene diſtinguendum eſt generalius iſtud nomen argentum factum; nam hoc non comprehendit numos, ut puta, quod tali modo *in §. ult. h. legis* definitum reperimus: *Argentum factum recte quis ita definierit, quod neque in maſſa neque in lamina, neque in ſignato, neque in ſuppellectili, neque in mundo, neque in ornamentis inſit.*

Auro & argento ſimpliciter legato, numiſmata non ſunt legata.

Si ſignatum argentum legatum debentur numi.

Quid ſit argentum factum?

CA-

CAPUT XV.

Numiſmatum veterum uſus in Republica literaria, imprimis in hiſtoria. Chiffletii judicium de hoc ſtudio. Germanorum merita circa illud. Numi hodierni per artem ſculptoriam vulgantur. Exempla variorum regnorum. Romani jam ſuo tempore erudite utebantur numis. Numi hiſtoriam cuſtodiunt neglectam ab hiſtoricis. Numis falſa inſculpta. Numi ab eruditis non intellecti. Numi ſuppoſititii pro genuinis habiti. Alterum antiquariorum extremum diffidentia.

Numiſmatum uſus magnus in Republica literaria. §. I. QVali autem & quanta numi antiqui in communi vita & cumprimis in Republica literaria poteſtate gaudeant, non una pagina capiet, non unus deſcribet ſtylus; & omnes hoc opus ſuſcepturi ſoli facem præferunt, ex quo illuſtris Vir Spanhemius hoc illuſtre argumentum erudite explicavit, imo exhauſit in libro *de Præſtantia & Uſu numiſmatum*; in quo ſtupendæ eruditionis opere, commendationem cumprimis tractat a dignitate, a voluptate, ab utilitate in Grammaticis, in Morali & Civili ſcientia, in Naturali ſcientia, in Hiſtoria, in Chronologia, in Geographia. Cui licebit aliquid addere præter laudem debitam & admirationem? quod nimirum tantus Vir, negotiis publicis iisdemque graviſſimis diſtractus, ad ſummum uſque faſtigium perduxerit materiam, quam ne quidem meditabundus Chryſippus impenſo omni tempore crudos ungves abrodendo efformare potuiſſet. Unicam ſi hiſtoriam contemplamur, iſtud rei literariæ condimentum, nullum firmius rei geſtæ argumentum, nullum apertius peractorum documentum unquam habebis. Nam iſtud ipſum profertur teſtimonium, quod tanquam avtographum, ad noſtra uſque tempora conſervatum eſt, a momento rei peractæ. Sit hic admirationi locus, quam Caſſiodorus docet *L. 6. c. 7.* his verbis: *Ut figura vultus noſtri metallis uſualibus imprimatur; monetamq; facis de noſtris temporibus futura ſecula commonere. O magna inventa prudentum! o laudabilia inſtituta majorum, ut & imago Principum ſubjectos videre, paſcere per commercium, quorum conſilia invigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum.* Non equidem omnem hiſtoriam illuſtratam invenies, ſed nobiliſſimam partem & maxime neceſſariam; nimirum Romana hiſtoria hic vivit

Illuſt. Spanhemii op⁹.

Numorum uſus in hiſtoria.

Cumprimis in Romana.

vivit ac nunquam intermoritura eſt, ſine qua nec divinarum nec humanarum rerum notitia juſta eſt & explicata; hic recurrit profana hiſtoria; hic eccleſiaſtica, & quævis hoc ſuo fundamento nititur.

§. II. Non intemperato erga hoc ſtudium amore flagro; miror autem, quod ſint, qui Vatiniano quaſi odio illud proſequantur; quos tamen ars non pateretur oſores, niſi obcœcati eſſent ignorantia. Contrahamus vela ſtudio debitæ laudis, & Cl. Chiffletium loqui patiamur, cujus excellentiſſimi JCti autoritas penes quosque eruditos magna eſt. *In quo Hiſtoricorum*, inquit, *diligentia commendatur, nobis magna ex parte præſtat veterum numiſmatum contemplatio, in quibus expreſſos vultus eorum, qui illuſtres in republica ſua fuerunt, animadvertimus. Nam qui Rom. Reipubl. ſtudio tenentur, qua nulla unquam in terris major, nulla pluribus virtutum vitiorumque documentis fœcundior; & forte fortuna in ſcrinium deducatur præſtantis alicujus viri, hoc numorum genere inſtructiſſimi, Dii boni! quas ſuavitates, quos fructus ex hac contemplatione percipiet? dum hinc Conſulares numos, Triumphales, Dictatorios, inde Triumvirales, Imperatorios, Conſecratorios & peregrinos digeſtos, ac in ſeriem lineamque diſpoſitos aſpiciet? dum vultum ex vultu comparabit: dum mores ex oris cujusq; delineamentis colliget, & bonos a melioribus, optimos a nequiſſimis & poſtremiſſimis ſegregabit & diſtinguet.* Hanc utilitatem ſine dubio perſpectam habuit M. Varro, de quo referunt, quod non ſolum illuſtrium virorum imagines in bibliotheca diſpoſitas habuerit, ſed etiam unicuique ſuum ſubjectum elogium, atque ea de re poſtea libros imaginum conſcripſiſſe: quem Philoſtratus apud Græcos aliquot poſt ſecula eſt æmulatus. vide Gellium *L. 3. c. II.* Illis vero temporibus ſtudium hoc non adeo erat commune, ſed principibus vel opulentioribus tantum quaſi ſacratum. Symmachus ſuo tempore ſe ſolum hujus ſtudii conſervatorem nominat. Nam ita in epiſt. ſcribit: *Spectatorum veteris monetæ ſolus ſuperſum.* Noſtris autem temporibus plurimi ſunt horum ſtudiorum amatores, cumprimis Germania de hoc ſtudio bene merita eſt: nam Lazius, Hülſius, Occo, Freherus, Spanhemius, omnibus aliis Italis & Gallis ſunt opponendi. Maxime autem Morellius patriæ ſuæ decus, Conſiliarius Illuſtriſſimi Comitis Swarzburgenſis

Chiffletii judicium de ſtudio numiſm.

Varronis delectatio in numis.

Germanorum de hoc ſtudio merita.

burgenſis multis nominibus venerandus, inchoatum opus, ut Vir ſummc eruditus abſolvat benedicente DEO, totius Reipublicæ literariæ eſt votum dicatum.

Ars ſculptoria.

§. III. Eſt hujus ſeculi felicitas, quod eruditis inventionibus Romanos longe ſuperet. Fruimur arte ſculptoria, cujus beneficio eundem in ectypis ac ipſis in numis colligimus uſum, quo plurimos carere oporteret, ſi tantùm ex numis ipſis ſcientia eſſet haurienda. Per hanc artem etiam rei numariæ ſuccurritur hodiernæ, quæ aliàs Romana longe inferior eſt. Nam pecunia noſtra tantum Principis refert imaginem, & ex altera parte ſigna gentilitia; ex quibus inſignibus tamen curioſiores, prætenſiones illuſtres, ſucceſſiones, provinciarum cohærentiam & acquiſitiones demonſtrare poſſunt: Romana vero moneta ſingula illuſtria facta poſteris ſervat, & quidem tanta monetarum multitudine, ut plurimas inſtructas numorum collectiones numerare nunc liceat. At noſtro tempore non pecuniæ, ſed metallionibus auri & argenti pondere gravantibus, hæc ornamenta imprimuntur, quæ privatos eruditos fugiunt, & tantum magnorum principum gazas ornant: verùm ſupplet hunc defectum laudata ars ſculptoria, cujus ope eruditi rariſſimos numos memoriales communes reddunt ac æternos, ita ut ex eorum raritate eruditio nullum detrimentum vereatur. Jo. Jac. Luckius in Germania hujus inſtituti autor eſt in opere, cui titulus: *Sylloge numiſm. eleg. præter. ſecul.* huic nunc ſuccedit Dn. Mellenius Lubeccenſium Paſtor, Vir eruditus, qui hiſtoriam uncialium ſummo labore contexit. In Saxonia ex cimeliarchio Illuſtriſſimi Herois ab HAVGVIZ, primi ſtatus miniſtri, nunc Conſiliarii Brandenburgici intimi, moliuntur hiſtoriam Domus Saxoniæ. Penes alias nationes idem obtinet, Meneſtrierius, Ludovici XIV. G. R. vitam depinxit deſcribendo metalliones ſuo tempore cuſos; Typotius totam Gallicam hiſtoriam eo modo tractavit. Wilhelmi III. M. B. Regis Vita itidem numis illuſtrata prodiit; P. du Molinet Paparum ſeriem delineavit. Bizot hiſtoriam Hollandicæ Reipubl. continuo numorum ordine probavit; & fert fama, quod idem Abbas eruditus cæterorum Europæ regnorum hiſtorias numis illuſtrare ſtudeat; multiplicamus vota, ut feliciter ſuccedat!

Succurrit hodiernis numis.

Numi Romani plus conducunt ac hodierni.

Luckii inſtitutum ac Dn. Mellen.

Hiſtoria Saxoniæ numiſm.

Gallica, Anglica, Papalis, Hollandica.

§. IV. Eundem fructum haurimus ex his numis promul-

mulgatis, quem Romani ex ſuis collegerunt jam ſuo tempore. Cum olim inter eruditos dubium ortum eſſet, utrum *Firmius*, qui ſub Aureliano tyrannidem invaſerat, Princeps & Auguſtus fuerit nominatus nec ne, non aliunde certius petit Vopiſcus in *Firmio* teſtimonium, quam quod percuſſa moneta, Auguſtus fuerit vocitatus: poſtea numos ejus Severus Archontius protulit. Etiam de *Tetrico* dubitarunt, an ipſi Auguſti titulus attributus fuerit nec ne; ſed adſunt ejus numi, qui controverſiam affirmative decidunt; quia dum in Gallia Præſidis munus gereret, imperii ornamenta ſumſerat. Si Capitolinus *in Maximo & Balbino*, Vopiſci ſecutus exemplum, accuratiori oculo numos inſpexiſſet, non dubiam reliquiſſet hiſtoriam ſuam in decidenda illa *Græcorum* auctorum & Latinorum controverſia, Maximus an Papienus vocatus fuerit ille, qui cum Balbino adverſus Maximinum tyrannum Imperator a Senatu fuit appellatus. Aſt Onuphrius Panvinius hunc locum in Faſtis ſuis ſupplevit; nam numum profert, in quo utroque nomine gaudet, & vocatur *Papienus Maximus*. Alius eſt error Sexti Aurelii craſſior, & a Chiffletio notatus, quem eruditus Vir ex numis emendari poſſe demonſtrat; dicit enim Victor de Aurelio: *Iſte primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmis & aurata omni veſte, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, uſus eſt.* Nam, ut taceam, quod ſibi ipſi contradicat de Caligula ſcribens: *Primus diademate impoſito Dominum ſe juſſit appellari*: certe Philippus, aliiq; Imperatores priores vittati diadematique videntur in numis; qui Victorem vitii arguunt argumento firmiſſimo. Sæpius numi hiſtoriam ſupplent, etſi omnes alii ſcriptores coætanei de iſta re ſileant. Vix decem anni præterlapſi ſunt, cum celebris Gallus Raiſſant forte fortuna numum nactus eſſet, cui inſcriptum erat FL. IVL. PACATIANVS P. F. AVG: quem in gazam regiam tranſtulit, ſed ipſius enodatio ex nullo ſcriptorum peti poteſt; arbitrantur tamen ex ſculptura, quod ad Conſtantinorum tempora pertineat; & cum tempore explicatio ejus ſperanda eſt. Cl. JCti Fæſchi numus plumbeus ſolus obtinet, quod Nero Cæſar ex Poppæa gnatam habuerit, Claudiam dictam, cujus nullus ſcriptorum meminit. An vero omnia etiam pro evangelica veritate accipienda ſint, quæ in numis antiquis inveniuntur, haud dicere auſim; multa enim

Romani jam ſuo tempore erudite utebantur numis.

Capitolini error ex numis emendatus.

Sexti Aurelii error.

Numi hiſtoriam cuſtodiunt, quam omnes hiſtorici ignorant.

Numis etiam falſa inſculpta ſunt.

enim in illis videre licet, quæ adulationis non veritatis argumenta nectunt; e. g. in Commodi numis ſæpius inſcriptio obſervatur: *Marcus Commodus Antonius Pius, Felix, Auguſtus Britannicus*, cum tamen ex hiſtoricis ejus ævi conſtet, quod Britanni cum Germanis & Dacis eum Imperatorem recuſaverint. Notum eſt, quam crudelis fuerit tyrannus idem Commodus, ita ut ſub ejus imperio crudeliſſimo profligatiſſimoque Romani ſatis deſudarent; & tamen vidimus numum, a cujus altera parte hæc verba perſpicua ſunt: ΚΟΜΟΔΟΥ, ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC, Ο ΚΟCΜΟC, ΕΥΤΥΧΕΙ, ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Commodo Imperatore Mundus felix eſt Nicæenſium.* Plures numi exſtant ejusdem ſcelerati Imperatoris, quibus *Felicitas perpetua Aug.* inſcriptum eſt; in aliis *Felicitas temporum* legitur; & alii *Felicia tempora* oſtendunt, vid. Vaillant *Tom. I. p. 101. & II. p. 192. Impp. num.*

Numi ab eruditis non bene intellecti. Accidit etiam circa numorum cognitionem, quod eruditi ipſi, ſine numorum culpa, iſtos non accurate intuentes hallucinentur; qui tamen ingenii lapſus ab aliis vel æmulatione vel oſtentatione reſtituuntur.

Bulengeri error. Jul. Cæſ. Bulengerus S. J. in lib. *de Impp. Rom.* numum, cujus poſtica hac inſcriptione utitur: *Fiſci Judaici Calumnia ſublata*, Domitiani eſſe contendit, quem Patinus aliique antiquarii Nervæ adſcribunt, Domitiani ſucceſſori. Idem Bulengerus geminatum errorem committit in duobus aliis ejusdem Nervæ numis: primus hæc verba inſculpta habet: *Vehiculatione Italiæ Remiſſa*, & falſo Trajano ab ipſo adſcribitur; quem tamen Hülſius ſuo autori vindicat, qui ſimul obſervat, de hac Vehiculationis Remiſſione penes omnes ſcriptores altum eſſe ſilentium: Alter his verbis conſpicuus: *Plebei Urbanæ Frumento Conſtitutio*, qui itidem Nervæ, non Trajano adſcribendus eſt. Nec a ſagaciſſimis quidem imbecillitas humani ingenii ſemper aliena.

Onuphrius a Chiffletio emendat'. Onuphrius Panvinius eruditione nulli ſecundus ſcriptor, veterem numum oculo fugitivo examinans, conſtituit in Faſtorum Romanorum opere Cæſarem Auguſtum Divi Filium, Patrem Patriæ ex SCto appellatum fuiſſe, Non. Febr. an. V. C. DCCLVIII. Valerio Meſſala & Corn. Cinna Coſſ. Tiberio jam adoptato. Numo utitur trito Auguſti caput exhibente, cum epigraphe: *Cæſar Auguſtus Divi F. Pater Patriæ*; averſa monſtrat Cajum & Lucium cum haſtis & ſacerdot. inſignibus, inſcriptio eſt: *C. L. Cæſaris Aug. F. Coſſ. deſign. Princ. Juvent.* accurate monet

Cl.

Cl. Chiffletius, quod in hoc numo Auguſtus Pater Patriæ appellatus fuerit, ſuperſtitibus filiis adoptivis jam ante tempus a Panvinio definitum: nam anno DCCLVIII. Tiberius demum per adoptationem jus ſuccedendi nactus eſt, ex quo illi Liviæ calliditate jam interemti erant. Plures emendationes easq; doctiſſimas Conſummatiſſimus Vir Morellius non ſolum in ſpecimine patefecit, ſed in majori opere præſtiturus eſt.

§. V. Interdum in eo eruditi vacillant, ſi partus ſuppoſititios pro genuinis antiquitatis liberis agnoſcunt, quod ſæpius emunctæ naris viros ſeduxit; nam fraus impoſtorum ad ſummum pervenit, ita ut exercitatiſſimi vix eam evitare valeant. Marquardus Freherus in doctiſſima quadam diſſertatione multo conatu probare ſtudet, quod quidam Conſtantini Paleologi numus genuinus ſit & antiquus; ſed vero Joſ. Scaliger luculenter & invincibilibus argumentis demonſtrat, quam craſſe impegerit Vir aliàs eruditiſſimus. Eundem erravit errorem Cuſpinianus, accuratiſſimus hiſtoricus, & Germaniæ ornamentum, in opere *de Impp. Romanis*, qui ejusmodi numiſmata multo numero congeſſit: inter alios enim numos, qui ſubleſtæ fidei ſunt, etiam notum illum Heraclii numum in medium profert, & hoc elogio dignum judicat, *Numiſma pulcherrimum & antiquiſſimum*; familiam autem hic numus inter adulterinos ducit, & ab antiquariis omnibus pro falſo ſatis decantatus. Ectypum vide apud Patin. *Hiſt. Num. p. m. 150.* Cum itaque vel exempla vel errores proprii eruditos antiquarios reddiderit ſagaciores, in alterum diffidentiæ extremum dilabuntur, a quo Patinus exercitatiſſimus Vir non purgatus fuit; exſtirpavit enim ex gente Cornelia a Golzio notatum numum in Faſtis; ab una parte galeatum caput apparet, ex altera inſidet genius capro dextra palmam gerens, ſubſcriptio eſt: CEHEGVS; ſed Morellius invenit hunc numum probæ notæ ac indubiæ antiquitatis, quem ſuo ſpecimini inſeruit. Multa alia numiſmata Golzii in dubium vocaverunt Patinus aliique, quæ poſtea genuina reperta ſunt, vid. de Dairval, *Utilite de Voyage Part. II, p. 695.*

Numi ſuppoſititii pro genuinis habiti.

Cuſpini hallucinatio.

Alterum antiquariorum extremum, diffidentia.

CAPUT XVI.

Cognitio numorum mechanica. Modus conficiendi & cognoſcendi falſos numos ex ærugine. Falſi excavati. Novum fraudis genus. Numi ad imitationem veterum cuſi. Falſarii celebriores, Joh. Cavinus, Laurentius Parmeſanus, Grateronius, Valerius Bellus. Numi fuſi adulterini. Numi fuſi antiqui. Fundendi modus. Vernriginis compoſitio hodiernæ. Vernigo naturalis varii coloris. Numus aſper & curtus. Numi Romanorum inſignioris cælaturæ. Ars in numis una cum ſtatuaria defecit.

Cognitio numorum mechanica neceſſaria eſt.

§. I. Nihil erudito magis neceſſarium eſſe poteſt, quam cognitio numorum naturalis, ſcilicet ut genuinum iſte a falſo, verum a ficto diſcernere queat; nam antequam ad hiſtoricam interpretationem progrediatur, ſcire illum oportet, explicationem mereatur numus, an penitus rejiciend⁹ ſit? Jam ſuo tempore conqueſtus eſt Baronius, quod impoſtores rem antiquariam per ſuppoſititios numos deſtruerent. Ejus verba hæc ſunt *Tom. III. Annal. Eccleſiaſt. Anno Conſtant. M. Imperii XIX. §. 12: Prodierunt hoc noſtro ſeculo dixerimne impoſtores, qui obductum craſſa rubigine cum numum æneum nanciſcantur, formas & literas ſolerti effingunt induſtria, turpis lucri gratia, non ſine magno rei antiquariæ præjudicio.* Hoc falſum Savot. *part. IV. c. III.* Italis proprium eſſe ſcribit; modum conficiendi & illud

Mod' conficiendi & cognoſcendi falſos numos.

cognoſcendi ita explicat: *Les Italiens ſe ſerves de cette façon de contrefaire les medailles antiques quand elles ſont effacées & rongées en tout ou en partie, ce qui ne ſe peut bien pratiquer que ſur le cuivre, en attachant un ciment, qui tient & adhere ferme au cuivre aus endroits ou la Medalle êt effacée & rongée le quel ciment ils retaillent parapres: Ce qui leur êt beaucoup plus aiſé que de re tailler & cizeler le cuivre: Pour cacher la tromperie ils verniſſent toutte la medalle de couler brune ou noire. C' ette tromperie êt aiſée a recognoiſtre en egratignant avec la pointe d' un ferrement la medalle: Car ſi c' eſt ciment elle y mordra fort aiſement, ce qu' elle ne pourroit faire qu' avec grande force & reſiſtence, ſi c' étoit cuivre & non pas ciment.*

Numi falſi, quorũ effigies & lite-

Ut Baronius dixit, ex craſſa rubigine vel jam inhærenti numo vel arte ſuperinducta, tum literas tum etiam figuram novam efformant, quam poſtea viridi coloris vernice illinunt;

illinunt; ſed ſi moderate tantum numum ſcrutantur ferreo quodam inſtrumento, ſeparari facile poteſt materia obducta. Hoc fraudis genus non niſi in æneis numis inſtitui poteſt, quia reliqui numi ſufficienti carent rubigine; quibus itidem fraudis ſuæ maculam libenter adſpergerent impoſtores: nam ſubtiliſſimis inſtrumentis literas jam pene deletas, nec non figuram interdum reſtaurant, ut vix a numo recens cuſo diſcerni queat. Haud quidem ſufficientem dabo regulam, qua adhibita dignoſci poſſint: hoc tamen conſilium nemo ſpernat, ut ſæpius accuratiori oculo intueatur genuinos numos veteres, & diſcat, qui literarum ductus ſint, qualem vivacitatem præ ſe ferant & eminentiam figuræ; nam ſic eveniet, ut oculi veræ antiquitati aſſveti, propria virtute falſum diſcernant.

rae ex vernice formatæ, ærei tantū ſunt.

Argentei renovati.

§. II. Sed aliud adeſt impoſturæ genus, quod etiam hanc ſagacitatem excludit, nimirum ſi poſticam radunt, & altero numo rarioris exiſtimationis adverſam partem ferruminando huic capiti injungunt. Uti vero hoc in detrimentum veritatis hiſtoricæ vergit; ita quivis bene obſervabit, ne alicui Imperatorum alterius res geſtas adſcribat. Admittitur hic dolus frequentiſſime, dum duorum antiquorum numorum facies ſimul committunt, ut ex duabus antiquis faciebus exſurgat numus novus: nam quia capita cum vulgari quadam poſtica ubivis obvia ſunt, exſequuntur falſum citra omnes impenſas, & talia conjuncta capita rariſſimum efficiunt numum turpe lucrum captantem. Hoc modo ſæpius Philippi Imp. & Otaciliæ Severæ conjugis conjunctæ videntur facies, utpote, qui numi adhuc diviſi, magnitudine, pondere, literis, capitum eminentia, imo per omnia ſibi invicem ſimiles ſunt, & quia aliis numis hoc rariſſime accidit, abſtineant oportet fraudulentæ manus, aut facile detegitur impoſtura, quæ ex prædictis notis colligitur. Hoc modo corrupti obſervantur Titi numi & Veſpaſiani. Jobertus ſe poſſidere affirmat Helv. Pert. adjuncto Millone Croton. bovem ex humero portante. Omnes autem commonefacio, quod in margine numi ſemper vera pariter ac infallibilis antiquitatis nota reſideat, quam nulla ingenii alacritas imitari valet, quod ipſum propria experientia edoctus, hic teſtor: in veteribus enim numis extima ora nunquam plana eſt & acuta, ſed ſemper rugoſa & inæqualis,

Numi ferruminati.

In margine numi certiſſima antiquitatis ſedes.

ſervata

ſervata tamen numi rotunditate; quod ex modo feriundi veterum ſic ſe habet, ea propter in conſervatiſſimis & integerrimis melius conſpicitur, quam qui longo uſu raſi ſunt. Exprimi penna vix poteſt; igitur curioſus rei indagator conſulat numos utriusque ordinis, antiquos nimirum, & fraude conflatos, & differentiam inveniet. Sed & huic notæ malitia hominum ſcite prævenire ſtudet; nam margine intacto excavant per artem tornandi numi partem vel anticam vel poſticam, cui vacuo poſtea ſubtiliſſime alterum numum fraudi accommodatum inſerunt. Ipſe Doctiſſimus Morellius non uno intuitu hanc fraudem comperit, ita enim ſcribit Vir ingenuus in *ſpec. p. 77: In priori ſpecimine mentionem injeci argentei cujusdam Gallieni ab adverſa Trajanum exhibentis, cum hac inſcriptione : DIVO TRAIANO ; ſed attentius cum inſpexiſſem eundem, deprehendi novo fraudis genere adulteratum. Excavaverat enim impoſtor averſam cujusdam numi Gallieni partem, ejusq; in concavitatem ferruminando, tanto artificio inſeruerat caput Trajani, ut vix fraus appareat.*

Numi falſi excavati vix multa ſolertia dignoſcuntur.

§. III. Nec tacere poſſum quoddam fraudis genus, quod ipſe ego expertus ſum, ut lectorem aliena pericula cautum faciant. Hamburgi degenti mihi uncialem thalerum offerebant eximiæ raritatis; emtus erat pretio quinquaginta thalerorum, adeoque non niſi inſigne lucrum captando, alii cedere conſtituebant. Tam gravis pecuniæ ſumma effecit, ut iterata vice lynceis oculis minutiſſima quævis perpenderem; papæ! qualem infucatam perſpexi malitiam: nam etiam poſtica raſa erat, verum non alterius thaleri pars ferruminata, ſed alia lamina rudis malleo bene cuſa; (nam iſtud, quod fuſum eſt, metallum diſcernitur poroſitate & mollitie incidendo inſtrumento acuto) huic laminæ ſcalpro inciſa erat figura tanta cælaturæ dexteritate, ut difficile eſſet illum a cuſo numo diſcernere; & extimæ oræ nota in noſtris numis deficit, quia ſemper polita eſt & acuta: hinc ferruminationis junctura nullum veſtigium reliquerat. Sed mihi notum erat, quanto artificio Cavaillerius, Gallicus quidam celeberrimus artifex, hominum facies, auro, argento aut ebori inciderit, & hoc perpendendo fraus mihi ſuboluit: ſpatia ſiquidem inter literas exſtantes inæquales reperi, & hinc inde ſcalpri veſtigia; numiſma ſatis pretii manebat non ingenuitatis cauſſa,

Numus ferruminatus poſtea inciſus.

ſed

ſed operoſæ fraudis. Uſus ſum hactenus verbo *ferrumina-tionis*, quod etiam in allegato Morellii loco obſervatur; ſed iſto hic carere non poſſumus; nam ejusdem generis metalla ferrumine nectuntur, quod ferruminationis naturam exhaurit. Ferrumminationis verbum in quo ſenſu hic accipiendū?

§. IV. Inveniuntur etiam numi, qui quidem cuſi ſunt, ſed noſtro tempore efformato iconio ſecundum antiquitatis proportionem & regulas. Vocantur hi numi communi nomine *Paduani*, a Joh. Cavino, qui ſuperiori ſeculo hanc artem Patavii Italorum exercuit. Fuit alius Italus Alexander Bassianus, Cavini ſocius, cujus nomen magnum eſt inter impoſtores numarios; & ne eorum memoria periret, hi ejusdem criminis correi in uno numo expreſſi cernuntur. Semper hic numus primum inter antiquos occupet locum, ſcilicet, ut curioſi, fraudis memores, ſibi ab impoſtura caveant. Laurentius Parmesanus, itidem Italus, eadem fraude ſuperiori ſeculo ſe celebrem reddidit. Crateron ejusdem farinæ homo Belga fuit, aut ad minimum in Hollandia falſum peregit; præcipua ejus opera in auro reperiuntur. Hi quatuorviri monetales non autoritate publica, ſed privata nequitia conſtituti, rempubl. monetalem impleverunt ſuis ſuppoſititiis; qui quidem magni habentur propter artem ingenioſiſſimam adhibitam, qua æmulati ſunt inimitabilem veterum ſcientiam; & ſi quidam haberi poſſunt, eodem pretio comparantur ac genuini vulgares; cumprimis ſi cuſi ſint ex metallo cujuſdam antiqui numi ejus ætatis: nam noſtrum æs antiquo non eſt æquiparandum, quod ſtatim falſum notat. Artem illorum Patinus *Hiſt. num. c. 20.* nimis detrudit; quam controverſiam illis relinquo decidendam, qui ſaporis ſunt non præoccupati: *Hæc omnia*, inquit, *ſi cum antiquis expendas, flocci facio, nec majoris, quam ſimiam, ſi cum homine; aut cryſtallum, ſi cum adamante comparaveris.* Interea juvat eorum noſſe differentiam, quam Jobertus his verbis proponit *Inſtr. X. p. 198: Le Padouan a plus de force, le Parme plus de douceur.* Omnes Cavini typos monetales nunc poſſidet cimeliarchium S. Genovefæ, quo eos P. Molinet tranſtulit, qui etiam eorum catalogum contexuit in *la Deſcription du Cabinet de Ste Genevievé;* hunc catalogum omnes curioſi habeant neceſſum, ut ſciant, quales ab illo ſint cuſi. Valerius Bellus Vicentinus numos pariter veterum Græco-

Paduani a Joh. Cavino.

Alex. Baſſianus.

Laur. Parmeſanus.

Crateron aureorum falſarius.

Horum numi magni habentur.

Cavinianorum & Parmeſanorū differentia.

Val. Bellus falſarius.

rum & Romanorum cum averſis partibus affabre incidit ſuperiori ſeculo; cujus rei notitiam debemus Patino *l. c. p. 145:* ſed hujus numi non adeo frequentes ſunt. Ab his itaque proficiſcuntur numi, qui ad rarioris antiqui numi ſimilitudinem efformati ſunt, vel qui inventione novi antiquo modo expreſſi; quales ſunt, Priamum, Æneam, Ciceronem, Virgilium, Græciæ Sapientes, Artemiſiam cum Mauſoleo exhibentes; vel etiam, qui conſveto capiti antiquo novam averſam figuram affingunt, e. g. Julius Cæſar his verbis in altera inciſis, *Veni, Vidi, Vici*, aut etiam *Marti Victori;* Numus Auguſti, in cujus altera Delphinus anchoræ intortus, additis verbis: *Feſtina lente;* ſed hic numus a Vico pro genuino habetur *l. c. L. 1. c. 18.* Plura exhibet DN. WAGENSEILIVS in ſæpe citato tractatu *de Re monet. vet. p. 98.* Dolendum eſt, quod eruditus Vir Patinus propoſito ſuo deſtiterit, quod animo conceperat, typis vulgare omnes ſuppoſititios numos, qui quidem ipſius ſubierunt manus, ut promtius fuiſſet ſecuriusque, verum a falſo diſtingvere: inſtitutum fuiſſet bono publico profuturum. Forſan autem doctiſſimus Vir Morellius in opere magno, quod inſtar Oceani omnes continebit ſcientiæ antiquariæ fontes, ex quibus hauriri poſſunt bonæ regulæ, hunc quoque defectum ſuppleturus eſt; quod etiam atque etiam optamus.

Numi hoc modo parati.

§. V. Supereſt, ut explanemus modum adulterinorum numorum, qui tanquam magis triti omnium maxime ſunt nocivi: ſunt vero numi fuſi ad exemplar antiquorum. Neſcio, qualem calculum adjiciam huic opinioni, quam ſtabilire ſatagunt quidam antiquarii, quod & antiqui genuini numi reperiantur fuſi tantum, vid. Baudelot de Dairval. *P. II. p. 657.* Reor autem, quod forſan ſint illi numi, qui ſecundum Savoti opinionem in modulo fuſi ſunt, & quos monetarius marculo percudere oblitus eſt, vel etiam ab antiquariis falſo pro fuſis habentur. Falſi hodierni ita formantur: E pulvere oſſium combuſtorum vel gypſo ſupra numum antiquum, formato modulo, infunditur liquefactum metallum, quod poſtea ad amuſſim refert numum antiquum. Certe uſque adeo habiles ſunt falſarii in hoc parando falſo, ut ad eos bene diſcernendos non accedas ſomnolentis oculis; cuſtodio quoſdam, qui

Numi fuſi adulterini.

An etiam antiqui reperiantur fuſi?

Modus fundendi.

qui emunctioris naris viros ſeduxerunt. Nam ſi æs infunditur modulo ex minutiſſimo pulvere compacto, & in ea quidem temperantia; ut plus juſto non ſit calidum, non iſta minuta foramina cerni poſſunt, quæ alias certiſſimum fuſionis indicium faciunt. Ad velandum porro facinus admovent vernicem, & numum in morem antiquæ æruginis illinunt; ſi enim aliqua ſupereſſent foramina, hac obducuntur. Illi, qui artem intelligunt, impoſtores veteres raſos & tritos fundunt numos ejusdem ævi, ne æris impuritas ætatem indicet: obſtat etiam, quod numus tantum conflatus cuſo multo ſit lævior & tenuior. Ad evitandam hanc proditionem hoc utuntur artificio, ſcilicet, unam partem moduli efformatam aëri exponunt, ut indureſcat, quo facto chartam imponunt modulo, mollem quidem, ne aciem moduli corrumpat, ſed pro circumſtantia rerum duplicatam vel triplicatam; huic chartæ numum imponunt, & tandem alteram moduli partem præparant, ita numus craſſior evadit, debitum pondus ſupplens. In his numis adhibenda eſt ſolertia cognoſcendi extimam oram, quæ quidem ſatis æqualis funditur, ſed iſtas rugas, quas ſuperius deſcripſi, fruſtraneo auſu imitari ſtudent. Hos numos interdum ex ſtanno tantum formant, & vernicis colore tegunt, quod Baudelot indicat *P. II. p. 692: On en fabrique*, inquit, *encore de plomb on d'etain que l'on couvre d'un maſtic fin. Telles, que j'en ai quelques unes, ou j'ai eté trompé comme beaucoup d'autres.*

Numus fuſus cuſo multo lævior.

In his numis extima ora veterũ deficit.

§. VI. Vernix, quæ inſuper imponitur, ex ſale armoniaco & aceto paratur; communiter autem tantum combuſta utuntur charta, qua vero vernix nimis mollis eſt, ut levi unguis tactui cedat: nam genuina antiqua, natura ipſa procreata, & polita inſtar gemmæ, quam Itali *Patina* appellant, non immerito a Cl. Morellio virginitas numiſmatum vocatur, quia hoc ſolius naturæ, non artis opus eſt. *La prix de Medaille*, dit Jobert, *êt augmenté par une beauté, que la nature ſeule donne & que l'art juſqu'a preſent n'a pu contrefaire. C'êt le Vernis, que certaine terre fait prendre au metal, qui en couvre quelques unes d'un bleu Turquin presque auſſi beau, que celuy de la Turquoiſe; d'autres d'un certain vermillon, qui et indubitable, d'autres d'un certain brun eclatant & poli; plus beau ſans comparaiſon, que nos figures bronzées & dont l'oeil, ne trompe jamais*

Vernicis compoſitio.

Vernix antiqua numi virginitas.

ceus meſme, qui ne ſont que mediocres connoiſſeurs. Hæc vernix adeo igni reſiſtit, ut, ſi numus illo probe munitus igni injiciatur, æs quidem fluidum reddatur, ſed vernicem ſua forma maneat, cujus rei periculum feci cum amico. Cariores ſunt numi, qui hoc ornamento gaudent, reliquis. Doctiſſimus Vir Sperlingius in diſſert. *ad num. Tranquillinæ p. 5.* ſex differentes viridis coloris vernices nominat, & adjicit: *Nam prout metallum ſubeſt, aut locus afficit, vel aër influit, ita color æruginis alius ſubinde & alius modo triſtior, modo lætior viret.*

Vernix naturalis igni reſiſtit.

Varii coloris eſt.

§. VII. Si itaque numum invenies ſervatis literis, figura integra, orbe rotundo & unito, inſuper ſuperbientem hac vernice æqualis coloris, perfectum quoad externa, habebis numum antiquum. In argenteis numis rubigo ſpernitur, quæ ſemper numos reddit informes, illa infecti aceto iterum reſtituuntur. Judicatur autem horum numorum pulchritudo ex conſervatione, quos Romani *Aſperos* vocabant numos, ut Perſius *Sat. III:*

Numus aſper.

Quid Aſper utile nummus habet?

Quos autem tempus edax jam reddiderat deformes, appellabant *Curtos;* ut iterum Perſius noſter nos docet in fine *V. Satyræ:*

Ejus oppoſitum curtus.

Continuo craſſum ridet Vulſenius ingens,
& centum Græcos curto centuſſe licetur.

Aſperos numos elegantiores Romani cudebant ab Auguſto ad Septimium uſque Severum; nam in hac periodo bonæ artes vigebant Romæ: hinc omnia, quæ hujus ævi ſunt, ſive ſint gemmæ inciſæ, ſive ſtatuæ, & admirationem merentur, & laudem intuentium. Ut ſupra monuimus uſque ad Septimium Severum etiam argentum conſecratum reperimus. Cum itaque hi numi externe & interne pulchri ſint ac artificioſi, eorum ordo non immerito *Pulchra Series*, vel ut Galli loquuntur, *la belle ſuite* vocatur. Sed ab hoc tempore propter tyrannidem Imperatorum non ſolum ſtatus politicus dirutus videbatur ac corruptus, ſed & bonæ artes, quæ tranquillitatem amant ac munificos Auguſtos, profuſione imperantium ac ſeditionibus internis, pauperes reddebantur atq; profugæ, ita ut etiamnum Reip. Romanæ viciſſitudines conſpicuæ ſint in numis. Placet mihi eorum quoque opinio, qui

Numi Romanorum pulcherrimi *la belle ſuite.*

ea,

ea, quæ Baronius dicit de arte ſtatuaria, ad monetariam extendunt; ejus verba hæc ſunt *Tom. II. Annal. ad A. C. 303. n. 116:* *Eſt plane obſervatione dignum, quod creſcente numero Chriſtianorum ars quoq; ſtatuaria exoleverit: nam ejus facultatis opifices omnes propemodum ad Chriſtianam fidem converſi, indignum rati opinari Deos, quos ipſi manibus ſculpſiſſent, mori potius elegerunt, quam Deos vel ſacranda Diis effingerent: ſicq; ars ſtatuaria ſculptoribus fere omnibus deſtituta, penitusq; collapſa remanſerit. Eſt quidem ejus rei evidens atq; perſpicuum omnibus argumentum, quod, quæcunq; viſuntur Romæ hujus temporis ſtatuæ, craſſæ Minervæ eſſe noſcuntur, ab antiquioribus longe diſpares. Sint in exemplum, quæ viſuntur ab omnibus in arcu triumphali, qui poſt paucos annos ob debellatum Maxentium erectus eſt Conſtantino, quem & ob inopiam ſculpturæ artis opificum, ex Trajani & M. Aurelii memoriis, aliisq; nobilioribus Vrbis monumentis, majori ex parte oportuit conſtruxiſſe: reliqua vero, quæ tunc fuerunt elaborata, adeo rudia atq; informia ſimulacra eſſe noſcuntur, ut comparatione illorum humano capiti, ſecundum poëticum illud, juncta videatur cervix equina.*] Ars in numis una cum ſtatuaria defecit.

CAPUT XVII.

Antica numi pars potior. Numi nullum caput & plura referentes. Quinque numorum ſeries ex antica & poſtica formatæ. Dn. Wagneri Hiſtoria Parthica. Dn. Sperlingii Gothicorum numorum deſcriptio. Priorum Cæſarum numi ad Conſulares pertinent. Goltzii, Urſini, Patini Conſulares. Julius Cæſar primus effigiem numis imprimit. Præter Impp. aliarum perſonarum in numis facies. Numi reſtituti. Imperium altum, Imperium baſſum. Capita adverſa, jugata. CHRISTUS in numis & B. Virgo Mater. Capita corona radiali. Conſtantinus M. ſubleſtæ religionis, qui defenditur.

§. I. CONſideravimus hactenus numiſmata Romanorum quoad qualitatem internam & externam, ſcilicet quoad materiam & pondus; & ne obſtent falſariorum fraudes, etiam eorum demonſtravimus ingenuitatem, ne recipiatur ſpurius ex errore in familiam: dictitat naturæ ordo, ut nunc externam pariter figuram conſideremus, propter quam numi in jure noſtro pro gemmis habentur. Partes numorum, antica & poſtica.

Quivis numus duabus partibus conſpicuus eſt, quæ a Gallis vocantur *la Teſte* & *le Revers*; Eruditi Latine ita exprimunt: *Antica* & *Poſtica*, *Adverſa* & *Averſa*. Antica ſeu adverſa non ideo caput vocatur numi, quia ibi caput eſt expreſſum, ſed quia prior & potior numi pars eſt, quæ ſemper primo inſpicienda: altera vero pars poſtica vocatur ſeu averſa, quia primam partem ſequitur, & tamdiu averſa eſt, dum illa conſpicitur, ſeu quia in inſtructis ſeriis non conſpicitur. Nam numi caput ſpectandum exponitur, ita tamen, ut ſi plures adſint unius Imperatoris, prior numus tantum ipſius caput referat, reliqui poſtica exponantur, ut, quid ipſis inſit, cernatur.

Antica potior numi pars eſt.

Poſtica primam partem ſequitur.

Inveniuntur numi, quibus nullum caput ſignatum eſt, etſi ad Imperatorios pertineant: eſt numus Auguſti, in quo non niſi ejus nomen cernitur *Aug. Tribun. Pot.*; numus Vitellii, in quo ab una parte apparent duæ junctæ manus cum his verbis: *Fides Exercituum*; ab altera vero figura quædam, addita inſcriptione: *Concordia prætorianorum.* In his facile concludendum eſt, quod Auguſti nomen & *Fides Exercituum* caput numi faciant. Si ab utraq; parte caput appareat, illud pro averſa habetur parte, quod alteri inferius; exempli loco, ſit numus referens caput Neronis & Poppææ conjugis; hic ſine dubio Poppææ caput in averſa expreſſum eſt parte. Vel, ſi duo capita virilia: ut Trajani caput, ex altera Regis Sauromatæ, ΒΑCΙΛΕΩC CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ; hic Trajanus priorem locum occupat.

Numi nullum caput referentes.

Si ab utraq; parte caput appareat.

§. II. Quum itaque tot ſint ſpecies capitum in numis antiquis, eruditi antiquarii ex illis omnibus quinque contexunt ordines ſeu ſeries: *Prima* ſeries continet Reges non Romanos, ſed externos. *Altera* complectitur Civitates, tam Latinos, quam Græcos, ſive ante Imperium Romanum cuſi ſint, ſive illo durante. *Tertia* ſeries excipit numos Conſulares Romanos ſeu familiarum Romanarum. *Quarta* vero ſuperbit capitibus illis coronatis Imperatorum Romanorum, quæ nobiliſſima eſt pariter ac conſtructiſſima; addunt deniq; *Quintam*, quæ compoſita ex Deorum Dearumve figuris; de qua Jobertus teſtatur, quod ſatis numeroſa componi poſſit: nam non ſolum capita hic referuntur, ſed & tota Deorum ſtatura, debito habitu ac ſymbolo exornata. Hæc ſeries comprehendit etiam Heroës & alios Viros clariſſimos, ut Homerum, Pytha-

Quinq; ordines veterum numiſmatum.

Primus ordo Regum.

Pythagoram &c. *Primus* ordo Regum non paucos continet numos, modo omnis generis magnitudines & metalla immiſceantur; quæ ſcrupuloſitas in anguſto hiſtoriæ ſpatio vix ac ne vix quidem obſervari poteſt.

A Peireskio tentatus.

Primus, qui hic manum admovit, Peireskius fuit, ex relatione Gaſſendi, qui ſeriem Seleucidarum Principum ab Alexandro uſque ad Imperatores Romanos conſtruxit;

A Vaillant perfectus.

ſed hoc interruptum opus Cl. Vir Vaillant, Medicus & Antiquarius Regius, feliciter abſolvit, & jam juris publici fecit. Hujus ordinis initium facit Seleucus I. Nicanor, & finem imponit Antiochus XIII. dictus Epiphanes Philopator Callinicus. Includit hoc ſpatium 27. Reges 250. annos, & 120. numos.

Qui & Ægyptios collegit.

Gaſſendus meminit, Sirmondum de Ægyptiis Regibus meditari; ſed idem laudatus Vaillant & illos abſolvit, ſeque ſpem fecit, variorum Regum numiſmata uno volumine publicaturum fore, cui ſane operi conficiendo nullus alius aptior; cimeliarchio ſiquidem Regis Galliæ eſt præpoſitus, quod a Dn. Morellio immenſus antiquitatum oceanus vocatur. Sunt & aliorum Regum ſeries notabiles, utputa, Regum Ponti, Bithyniæ, Cappadocum, Thraciæ, Numidiæ, Armeniæ, quorum numi hinc inde inveniuntur, & eorum copiam ab incomparabili expectamus Morellio.

Hiſtoria Parthica Dn. Wagneri.

Numos Regum Parthorum Vir, dum viveret, & eruditione & humanitate conſummatiſſimus WAGNERUS, Lipſienſium quondam Paſtor, & ſummo judicio congeſſit & eadem eruditione explicavit, ſed morte præreptus; nunc ſcriptorem plangit eruditus mundus & ſcriptum. Opto interea, ut fata ſera ſint ejus fratri Dno. GOTHOFREDO WAGNERO, cujus ſumma eruditio, tot regnorum experientia, & dexteritas ingenua, quibus Reipubl. patriæ delicium eſt ac ornamentum, quosvis & peregrinos & incolas, in ſui admirationem rapiunt & amorem, opto, inquam, ut ſecunda ſortis ac ſanitatis conditione firmatus, reliqua erudita ſcripta edere valeat, quo illis eruditus orbis inſtar eorum, quibus jam gaudet, debitam laudem, virtutis mercedem, perſolvat. Poſſidet hoc memoratum ſcriptum Bibliotheca nobiliſſ. Senatus Lipſienſis, ut ſingulare ornamentum.

Numi Gothici.

Oblivione inſuper prætereundi non ſunt numi Gothici, qui quidem labyrinthum nectunt in re numaria; plures tamen ſunt, quorum figura aliquid humani continet; ut ſunt, in quibus **Athanaricus, Theodahates, Witices, Totilas, Theias, Attila,**

non

non ſine prævio labore oculis diſcernuntur. Materia horum numiſmatum non ſemper adeo vilis eſt. Poſſedi eorum quosdam tam aureos quam argenteos, qui lapide Lydio examinati puritate nulli erant ſecundi. Sed rariores ſunt illis, qui ad puritatem uſque æris argento ſunt mixti. Nemo adhuc ejus fuit temeritatis, ut conatus fuiſſet de his numis aliquid edere, quod ego quidem ſciam; ſed doctiſſimus SPERLINGIUS, Potentiſſimi Regis Daniæ Conſiliarius & Antiquarius, nec non equeſtris Academiæ Profeſſor, Vir omnem laudem ſuperans, herculeas manus admovit, & opus compoſuit raræ eruditionis, quod ſæpius videndi mihi occaſio fuit; optandum eſt ne orbi erudito diutius hic theſaurus invideatur.

Auri & argenti puri inveniuntur.

Dn. Sperlingius eorum deſcriptionem molitur.

§. III. *Secundam* ſeriem Civitatum exornavit Goltzius, qui quidem eruditus Vir eruditis ſubleſtæ fidei eſt, ſed debita laus ipſum manet, quod inter antiquarios dux quaſi ſit & autor; & quotidie inveniuntur numi, qui ejus fidem liberant. Facio, quod plures fecerunt; nimirum doleo vicem viginti quatuor provinciarum Græciæ, quæ perierunt ab ejus opere; nam ex quinque iis, quæ reſtant, magnam haurire licet inſtructionem. Huc pertinent Coloniarum numi, qui numerum conſtituunt ſatis magnum, & cumprimis Geographiæ antiquæ conducunt. Conſcripſit P. Harduinus S. J. poſt Holſtenium volumen, cui tit: *Numi antiqui Populorum & Urbium illuſtrati.* Laudatus Vaillant duo volumina de Coloniis edidit, qui autor accuratione utitur a quovis hactenus ſummopere commendata. Non dubito, quod Geographia antiqua, quæ autore Cl. Cellario ſub prælo eſt, ex his adminiculis ſuo nitatur fundamento, quod multorum annorum opus unà cum media & nova Geographia eò carius erit erudito orbi, quo impenſius hactenus Geographiam purgatam deſideravit.

Secundus ordo Civitatū a Goltzio collectus.

Coloniarū numi ab Harduino & Vaillant deſcripti.

§. IV. *Tertium* genus numiſmatum conſtituunt Conſulares numi ſeu Familiarum Romanarum, ideo Conſulares dicti, quia tempore Conſulum cuſi ſunt. Hi Romanorum ſunt antiquiſſimi; illi etenim, quos Reges cuderunt, deſiderantur; reſtituti tamen inveniuntur a familiis: ut Romulus ſub nomine Quirinus, Numa, Aneus Tullius in familia Popeja. Priores autem nullum ſane præſtant uſum; nam unam eandemque retinent formam; quod ex Plinio ſuperius demonſtravimus: adverſa refert caput Romæ galeatum; averſa autem

Tertius ordo numorum Conſularium.

autem bigam, quadrigam, Victoriam, nec non ſalutaria ſidera, Caſtorem & Pollucem. In ſexto ſeculo V. C. monetales Triumviri hanc ſibi plenius arrogaverunt libertatem, ut facies virorum illuſtrium ſuæ familiæ in numis exprimerent, vel propria ſpecie, vel ſub imagine Deorum, quorum tutelæ familia commendata erat. Ita ſibi elegit gens Julia Venerem; Vibia Cererem; Livincia Herculem; Manilia Vlyſſem; Memmia Romulum; Petilia Jovem; Calpurnia Numam; Cornificia, Papia, Porcitia, Roſcia, Junonem Lanuvinam. Hoc obſervatur uſque ad interitum Ariſtocratiæ; cuſi autem ſunt a monetalibus, jubentibus Conſulibus, Prætoribus Tribunis, Imperatoribus & Ædilibus; imo illi ipſi, qui eos cudi fecerunt, priores duo Imperatores Julius Cæſar & Auguſtus, majori parte ad Conſulares referuntur numos, qui præ cæteris Conſularibus notabilia hiſtoriæ momenta continent. Conſulares horum Imperatorum numi diſtingvuntur, ſi in antica vel poſtica nomen cujuſdam magiſtratus inveniatur; vid. Baudelot. de Dairval. *Util. de Voyage p. 680.* Ad Julium Cæſarem uſque ſeries Conſularium extenditur, intra quod temporis ſpatium nulli permiſſum erat, ut propriam in numis exprimeret faciem. Hos numos tres cumprimis viri collegerunt, Goltzius, Fulvius Vrſinus & Patinus, quod etiam Gorlæus fecit, & Jacob. Strada, cujus MStum in Vindobonenſi aſſervatur. Goltzius major numero reliquis eſt, ita ut ipſe Patinus fateatur, quod in ſua collectione vel dimidiam partem præſtare non poſſit; præterea ipſius ordo diſponendi reſpicit annorum ſeriem ſecundum faſtos Conſulares. Sed vero Fulvius Vrſinus ſecundum familias diſpoſuit ordine alphabethico, & quemvis numum commentario illuſtravit, quod a Goltzio intermiſſum eſt. Patinus Fulvii Vrſini librum denuo edidit Pariſiis 1663, adjectis quibuſdam noviter repertis familiis. Ipſe de ſe ſic loquitur *Hiſtor. Numiſm. c. X: Numos Conſulares, quos ad mille cum triginta ſeptem numeramus, ad ſeptuaginta octo familias Rom. redigimus, quibus & indices alii prius incogniti accedere debent. Vidi equidem quadraginta duos aureos, ſeptingentos quadraginta & unum argenteos, ducentos quinquaginta quatuor æneos.* Si dicendum quod res eſt, ſatis incerta & confuſa Conſularium eſt conditio; non ſemper reperitur in numis nomen familiæ, ſed ſæpius

[Margin notes: In ſexto ſeculo V. C. monetales in numis hiſtoriæ ſimulacra impreſſerunt. — Priorum Cæſarum numi ad Conſulares pertinent. — Goltzius Conſulares collegit ſerie faſtorū. — Vrſinus a Patino editus. — Numi Conſulares intellectu difficiles.]

tantùm cognomen, interdum tantùm monogramma, ita ut hariolando vel errando potius familiæ certæ adſcribatur. Juvat tamen ad manus habere indicem cognominum a Savoto & Patino collectum ac emendatum. Interim recte monet Patinus, quod indies novi inveniantur numi addendi; nam non ſolum ex doctiſſimo Morellio notavi, quod non omnes ſuppoſititii ſint, quos ſprevit in Goltzio; ſed etiam idem Vir clariſſimus apud Virum quendam celeb. Dn. Quenel, ad ſexaginta uſque numos Conſulares reperit, qui in Patiniano opere deſunt.

Quartus ordo numorum Imperatorum.

§. V. Sequuntur numi Imperatorum, quos Julius Cæſar ducit; nam poſtquam hic rerum potitus ſumma, imaginem ſuam titulo Dictatoris perpetui Romanis monetis exprimi curavit. Obtinuit autem hoc ſummi principatus πρωμήειον a Senatu poſt Pharſalicam pugnam ſolenni decreto, teſte Dione *Lib. XLIV.* Ante eum ſibi hoc jus propria autoritate ſumſerat L. Sylla, Pompejus & alii. Hunc ſecutus eſt Auguſtus; cui, teſte Svetonio *c. 94*, Cæſaris conſilium in tantum placuit, ut in numis non vultum tantum, ſed & thema ſuum natalitium vulgaret, numosque argenteos nota ſideris Capricorni percuderet. Alius autem Imperator æreos numos reſtituit primæ magnitudinis, cujus altera refert Auguſti faciem, altera coronam querceam, cum duobus capricornis globo mundi impoſitis; inſcriptis verbis: *Ob Cives ſervatos.*

Series a Cæſare ad Heraclium uſque.

Huic juri poſtmodum omnes Imperatores inſtiterunt, ita ut ſeriem a Julio Cæſare ad uſque Heraclium haud interruptam conſtruere liceat. Pertinent etiam ad ordinem Imperatorium, qui a principio Monarchiæ fatalia condiderant intervalla, ut Pompejus, Marcus Brutus, Julii ſicarius & parricida; Lepidus IIIVir; M. Antonius IIIVir, L. Antonius, ejus frater. Quanquam monetæ ſpatium Imperatoribus tantùm ſacrum erat;

Aliarum perſonarum facies in numis expreſſæ.

hunc honorem tamen quoq; aliis perſonis imperio proximis concedebant, ut in antica vel poſtica monetæ publicæ parte, eorum appareret facies. Primo hujus honoris participes erant ſucceſſores Imperii. Herodianus *l. 2. c. 15.* de Severo refert, quod numos imagine Albini cudendos curaverit, poſtquam hunc Britannicis exercitibus præfectum, in ſpeciem, pro ſocio Imperii declaraverat. Gallienus, teſte Treb. Pollione, Odenatum Auguſtum vocavit, ejusq; monetam, qua Perſas captos trahe-

traheret, cudi juſſit. Sic Druſi & Germanici numi ſatis noti ſunt. Non adeo inſuper inconſvetum erat, quemadmodum reſtantes teſtantur numi, quod Imperatores, uxores, matres, patres, fratres, ſorores, affines, numis imprimi curaverint. Tandem etiam belli duces in illis reperiuntur, qui merito ad Imperatoriam pertinent familiam. Cumprimis memorat Cedrenus, Juſtinianum Imp. cudiſſe numum, in cujus altera parte ſua, altera Beliſarii viſeretur imago; atque huic addita fuiſſe verba: *Gloria Romanorum.* Hadrianus Antinoum ſuum muliebria pati conſvetum, iisdem honoribus mactavit.

§. VI. Notandum porro eſt, quod poſteriores Imperatores Anteceſſorum numiſmata reſtituerint, ut factum deprehendimus a Claudio, qui Auguſti numos reſtituit. Idem etiam Nero fecit; Titus præcedentium Imperatorum numos denuo cudi juſſit, Veſpaſiani patris exemplum ſecutus, qui, ut Trajanus, multos Conſulares reſtituit. Gallienus vero conſecrationes omnium Imperatorum reſtauravit in forma duplici, per Aram ſcilicet & Aquilam; non quidem addidit verbum REST., ex materia tamen, æroſo argento cognoſcuntur, & forma. Hi numi *reſtituti* vocantur, vel ut inſcriptio ipſa docet, *Titus Reſt.* Omnes Imperatorii numi in duas dividuntur claſſes, in priorem, quæ vocatur *le haut Empire*, Imperium Altum; & poſteriorem, quæ vocatur *le pas Empire*, Imperium Baſſum ſeu inferius. Imperium altum incipit cum Julio Cæſare, & finitur tempore triginta tyrannorum, Gallieno & Valerianis regnantibus, quos adhuc includit, h.e. ab A.V. Dec. 54. annis ante Chriſtum natum; ad annum V. 1010., ſeu æræ Chriſtianæ ad annum uſque 260. Imperium Baſſum 1200. ferme comprehendit annos, ſi terminus ſit interitus Imperii Conſtantinopolitani. Hoc imperium baſſum duas habet periodos; prima a Claudio Gothico ad Anaſtaſium, ducentos comprehendens annos; altera ab Anaſtaſio ad Palæologos, quæ 1000. annos complectitur. Numerantur in alto imperio 49. Imperatores, præter tyrannos; in baſſo vero 56. ad Heraclium non numeratis tyrannis: quæ tamen computatio ab aliis aliter inſtituitur. Hi numi vocantur antiqui reſpectu ſequentium, qui omnes ad novos numos pertinent.

Numi priorum Imperatorum a poſterioribus reſtituti.

Imperii altæ ſeries.

Imperii baſſi ſeries.

§. VI. Imperatorios numos nullus majori ſtudio congeſſit, quam Adolphus Occo, Auguſtanus Medicus, qui

Autores, qui de numis Impp. ſcripſerunt.

numiſmata Imperatorum Romanorum à Pompejo M. ad Heraclium deſcripſit, quod opus inſtar indicis eſt. Prima editio prodiit *Antverpiæ 1579;* altera multis millibus auctior *Auguſtæ 1601;* tertiam Comes Mezza barba de Biragve adornavit, *Mediolani 1683*, cui denuo multa millia addidit: de qua hoc Joberti eſt judicium: *Nous ſerions trophcureus ſ'il avoit trauaillé ſur les Medailles meſme, & ſ'il ne ſ'eſtoit poin trouvé obligé a en croire les catalogves & les inſcripſions, que l'on luy a envoy ces, & qui ſouvent ne ſont pas fidelles.* Laudatus Patinus Imperatorios numos vulgavit æneos ſecundæ magnitudinis; quod eruditum opus, ut cætera hujus viri ſcripta, plurimas meretur laudes in orbe erudito: nam explicatio, quam addidit, inſtruit pariter & delectat. Prodiit etiam in Gallia autore *ſaint Amant*, eruditus liber, qui Græcorum Imperatorum numos ita illuſtravit, ut nihil ſupra. MStum Stradæ aſſervatur in Vindobonenſi. De Impp. numis itidem ſcripſerunt Vicus, Goltzius, Laudus Rota, Hülſius, Treterus, Swertius. Aventinus, Biæus, Angelonius & multi alii.

Poſitio capitũ æqualitatem ſeu inæqualitatem perſonarũ notat.

§. VIII. Pertinet ad facierum ſeu capitum notitiam, quod earum numerus numum reddat inſigniorem & rariorem. Poſitionis varietas differentiam docet notabilem: nam ſi a tergo ſunt conjuncta, eorum denotatur inæqualitas, ut videre eſt in numo Neronis & Agrippinæ, Antonii & Cleopatræ; ſi autem facies eorum oppoſitæ ſunt (quæ vocantur capita adverſa) quemadmodum cerni poteſt in numo, in quo expreſſa ſunt Marci Aurelii & Veri capita, Imperii ſocietas indicatur. Ex hoc principio Morellius, eruditiſſimus Vir, numum ex una parte duo capita ita diſpoſita, ex altera faciem Regis Eupatoris exhibentem, ita explicat, quod non ſint capita Antonini Pii & M. Aurelii, ſed M. Aurelii & Lucii Veri: *Hoc certum eſt*, inquit, *ubi talia capita oppoſita cernuntur, conſortium imperii indicari: quod Antonino Pio cum M. Aurelio interceſſiſſe dici non poteſt, Cæſar quidem erat Aurelius, ſed pari poteſtate non fruebatur cum Antonino: nec ad hoc evincendum adduci debent numi, qui ab una parte Antoninum habent, ab altera Aurelium; quia omnes illi numi cuſi fuerunt in adoptionis, non ſuſcepti imperii memoriam.* Non itaq; talis poſitio neceſſario imperii conſortium prodit, quin potius æqualitatis ſymbolum eſt tantùm. Probo hoc Veſpaſiani numo, qui ad manus

Facies oppoſitæ.

Non ſemper conſortii imperii ſignum.

nus eſt, cujus poſtica exhibet capita Cæſarum, Titi & Domitiani, ſe invicem aſpicientia, qui eo tempore nondum Imperatoria autoritate pollebant. *Capita jugata* ea vocantur, quæ ſe invicem ſequuntur; qualis eſt numus IIIVirorum, Auguſti, Antonii & Lepidi.

§. IX. Tandem Imperatores Chriſtiani hunc ſummum Imperii honorem, ſcilicet effigiem imprimendi in numis, pia quadam ſimplicitate ducti, CHRISTO SALVATORI, vel ex parte tantum, vel ex aſſe dicaverunt, male perpendentes Salvatoris verbum: *Date Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & DEO, quæ DEI.* Hæc enim ſacratiſſima imago non niſi in fidelium corde exprimatur: minime vero in metallis luxuriæ & fraudis humanæ inſtrumentis. Si Anton. Auguſtinum ſequimur *Dialog. I. p. 19.* Johannes Zimiſces primus hujus inſtituti autor fuit; audiamus ipſum: *Racconta Curopalate nel fin della vita dell Imperador Giovanni Zimiſces, che fu in torno agli anni di Chriſto 970, ch' eſſo Imperador fu il primo che fece ſcolpire nelle monete l' imaginedi Chriſto noſtro ſignore conqueſte lettere: IHS XPS REX REGNANTIVM, ò in lingua Greca, concaratteri Latini BASILEVS BASILEON. Et di queſte ſe ne truovano molte, ma di molto, cattivi maeſtri. Et vedeſi in eſſe l' imagine di Chriſto fin ſolto il petto, con una coſa in teſta, che volgarmente chiamano Diadema, & con la croce ſignata in eſſa, nel modo appunto, comme ſi ſuol dipingere per le chieſe, & tiene in mano un libro ſerrato, che per auventura ſignifica, quel libro ſerrato di cui fa mentione San Giovanni nella ſua Apocaliſſi.* Sed vero Strada in opere de Vitis Imperatorum *p. 265*, Juſtiniano hujus generis numos adſcribit ante Zimiſcem; eſt autem ille Juſtinianus, qui Juſtini junioris nepos fuit, quemq; Tiberius II. ſub initium regiminis collegam fecerat, deinde vero exautoravit: ex una numi parte CHRISTVS apparet, eodem modo formatus, ut Auguſtinus memorat, ſcilicet ad thoracem tenus, erectis digitis mundum benedicens; læva tenens librum; altera vero pars numi ipſum Imperatorem exhibet. Perplacet mihi conſummatiſſimi Viri WAGENSEILII diſſentientium autorum conciliatio; putat enim dicendum eſſe, Zimiſcem primum ſolam Chriſti imaginem, ſua neglecta impoſuiſſe: nam ejus numi ab una ſancta imagine ſunt inſigniti; in altera legitur IHSVS XRISTVS BASILEY BASILEO. Videntur etiam numi in quibus Chriſtus lateri

CHRISTI imago impreſſa.

Joh. Zemiſces primus hoc fecit.

Strada hujus generis numum Juſtiniani profert.

D. Wagenſeilii conciliatio.

Imperatores ſe θεοστεφεῖς appellant.

Imperatoris aſſiſtit, diadema ei imponens, ad exprimendum titulum illum, quo θεοστεφεῖς, ſive a Deo coronatos ſe appellabant Imperatores. Hæc conſvetudo ſancte fuit obſervata a quibusdam Imperatoribus, donec Iſaacus Comnenus ſua ſola efficta imagine illam intermiſit, qui vero a Zonara ob hanc negligentiam graviter perſtringitur *Tom. 3. Annal. Comnenum*, ſcribit, *firmato imperio, adeptionem ejus non Deo, ſed ſibi adſcripſiſſe, ex eo apparet, quod in numis ſuam imaginem ſtricto enſe inſculpendam curavit, tantùm non clamitans eum ſibi, nec quenquam alium regnum peperiſſe.* Vacillans certe indicium eſt, forſan Comnenus alius fuit opinionis, putans, quod Devs & Belial, Christvs & numus non conveniant. Sed quia non niſi a Deo eſt poteſtas Imperatoria, pium eſt noſtrorum regum inſtitutum, dum ſe profitentur *Dei Gratia Principes*. Alii Imperatores Conſtantinopolitani non niſi effigies ſanctæ Virginis & ſancti Georgii numis imprimi paſſi ſunt; ita in numis *Johannis & Romani Diogenis* Conſtantinopol. Impp. S. Maria exprimitur, ut coronam imponens, diciturque *MARIA* ΘΕΟΤΟΚΟΣ; hoc autem pariter in deſvetudinem abiit.

S. Virginis imago in numis.

Corona radialis.

§. X. Dum de Chriſtianorum Principum effigie meditor, non extra ſphæram eſſe reor, ut etiam de *Corona radiali* quædam proferam. Eſt autem Corona, quæ in multos acutos exſurgit apices, ſymbolum divinitatis; quod inter antiquarios ita firmiter receptum eſt, ut rideant Paſchalium, qui eam communem omnium Regum coronam vocat; reperitur in numis Pertinacis, Hadriani, & multis aliis. Trebellius Pollio, deſcribens Gallieni faſtum, refert, ſæpius hunc Imperatorem in publicum prodiiſſe tali ornamento indutum: *Radiatus*, ſcribit, *ſæpe proceſſit*, quod Caſaubonus in commentario ad hunc locum ita explicat, *cum corona radiata, quæ numinum propria.* Hinc Rhodus hoc ſymbolo effingit ſuum Apollinem; nec Romanis tantum uſitata fuit principibus, ſiquidem & Syriæ Reges & Ægypti eodem divinitatis ſigno conſpiciuntur. Sine dubio Imperatores Romani iis a principio non uſi ſunt, donec ab adulatione DIVI nomen haberent attributum; quæ ſolennitas hac corona, quaſi confirmata eſt. Inde Florus honores referens, quibus Romani mactarent recens Deum creatum Julium, mentionem injicit *L. 4. c. 2*, quod ejus ſtatuæ in templis ac theatris radiata ſuperbirent corona:

Non omnium Impp. communis fuit.

Syriæ & Ægypti reges hac corona uſi ſunt.

Circa

Circa templa, ejus ſunt verba, *imagines; in theatro diſtincta radiis corona.* Per jus imperii & adulationes hic mos apud reliquos conſervatus reperitur Imperatores, quibus *Fulgur & illa lux, divinum verticem claro orbe complectens, erant ornamenta meritorum;* ut Mamertinus *in Panegyrico ad Maxentium* loquitur. Sed hæc idololatria, poſtquam vera religio Chriſtiana Imperatores illuminavit radio Spiritus Sancti, eradicata fuit, ac proinde in poſterioribus numis Conſtantini (nam priores illa adhuc exornati ſunt) deficiunt; ut & in ſequentibus omnibus: quod Baudelot de Dairval obſervavit in libro *de l' Utilité de Voyage p. 609: Les Empereurs*, ait, *étant devenus Chretiens, on na oſé leur rendre de ſemblables bonneurs: ce qui fait que leurs monnoies, n' en portent point les caracteres, c' ét a dire des couronnes radiales, ſi ce n' ét Conſtantin & quelques uns de ſes fils avant leur converſion. Ces Medailles la, ſ' il ſ' en trouve, doivent être, tres rares, & elles ont ſans doute ête frappées dans les lieus, ou le Paganiſme n' etoit pas encore aboli, & avant la conſtitution, qu' il fit de ne point donner, a ſes ſtatues les ornemens des dieus de la fable, ni de les placer dans les Temples.*

Inde a Conſtantino in deſvetudinem abierunt.

§. XI. Non deſunt quidem viri eruditi, qui Conſtantini religionem non adeo magni habent, & plus fidem Chriſtianam eum toleraſſe putant, quam coluiſſe; eapropter cuſos eſſe hos numos jubente Imperatore adſtruunt, hoc cumprimis fundamento niſi, quia Chronicon Alexandrinum de hoc Principe refert, quod poſt ſalutaris fidei profeſſionem, ſtatuam ſuam radiali corona cinctam, columnæ illi celebri impoſuerit, quæ porphyrite erat pretioſa, & quam Conſtantinopolim Romam transferri curavit: Καὶ ὑπεράνω τοῦ αὐτοῦ κίονος ἔστησεν ἑαυτοῦ ἀνδριάντα μέγαν ἔχοντα ἐκ τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ ἀκτίνας, ſunt verba chronici p. 664. Sed arguunt eruditi autorem erroris. Non quidem inficiandum eſt, quod Conſtantinus ſupra columnam porphyream erexerit ſtatuam; aſt multæ eæque ſingulares circumſtantiæ rem limitant; nam hæc ſtatua non Principis faciem retulit, nec ſuo tempore exciſa, ſed Phidiæ opus erat, illius artificis, quem

Conſtantinus ſubleſtæ religionis habetur

Poſuit ſtatuam cum corona radiali.

Qui defenditur.

quem etiam Athenienſis Minerva reddidit celebrem : ergo Imperator voluit, ne nova urbs hoc deſtituta eſſet ornamento; quemadmodum Pancirollus rem decidit in deſcriptione Vrbis Conſtantinopolis. Zonaras ſcriptum reliquit, quod hæc ſtatua, quæ ſuo tempore integra adhuc videbatur, Apollinis fuerit ; & addit, quod Conſtantinus, ut Chriſtianum redderet lapidem, ipſi indiderit clavos quosdam, quibus CHRISTVS Salvator cruci affixus fuit, & poſtea nomine ſuo appellari juſſerit columnam. Hoc ultimum rem denuo ſatis ambiguam facit; ſed explicatione quadam ſuccurrendum eſt. Nimirum dicendum, quod non ſtatua fuerit Conſtantini, ſed Conſtantinianum opus, ipſo curante exſtructum.

CAPUT XVIII.

Poſtica numi pars. Cur pecunia ænigma dicta. Primæ monetæ Rom. poſtica ſeu ratiti. Conſularium poſticæ. Græci numi Imperatorii Latinis præſtantiores. Differentia inter circumſcriptionem & inſcriptionem. Titulus Principis & Domini. Monogrammata. Mariæ ☧ a gentilibus uſurpatum, nec non crucis ſignum. Figurarum poſitio. Plures figuræ in numis. Imperatoris figuræ in utraque parte numi. Metallionum excellentia. Epocharum explicatio difficilis. Civitates Neocres. Anni vitæ in Commodi numis Λυκάβαντος *quid ſit? S. C. qualem vim habeat. Quid ſignificet porro. C. S. quid ſit? Quid* Γ. Β. *Quid* Δ. Ε. *Monetariorum ſigna inexplicabilia Numeri in Conſularibus incogniti. Ordo numorum ab Oiſelio deſcriptus.*

Poſtica ſeu altera numi pars.

§. I. UNa numi parte conſiderata etiam altera inſpicienda eſt, quæ adulationem ſubditorum erga principem deſignat, ut adverſa ipſius principis potentiam. Vel ut eruditi cujusdam ingenioſa meditatio eſt, antica pars ſeu Imperatoris effigies monendo, omnibus erat communis, etiam ſtupidiſſimæ plebi, quæ Imperatoris nomen legendo ſui dominii memores eſſe poterat; ſed poſtica pars ad delectandum arte quadam ſymbolica erat conſtructa, ut ii, quibus de meliore luto finxerat præcordia Titan, haberent quod admirarentur. Hoc tamen ſimplicitate quadam factum eſt,

ut

ut ſecundum aſpectum non occuparet. Neſcio qua ratione intelligendum ſit, quod Prudentius pecuniam appellet auri & argenti *Ænigmata*; mihi veritati contrarium eſſe non videtur, quod hoc nomen ſortita ſit propter ſymbolum impreſſum, cujus intellectus hariolandus eſt; quanquam non inficior, quod non pars, ſed tota moneta hoc nomine veniat, ſecundum iſtud Poëtæ:

Cur pecunia Ænigma dicta ſit?

Is ipſe tantum non habet
argenteorum Ænigmatum
Auguſtus, arcem poſſidens
cui nummus omnis ſcribitur.

Eſto enim, quod Heſychio αἴνιγμα idem ſit, quod ὁμοίωμα, cujus interpretatio, *ſimilitudo* eſt, *ſimulacrum* ſeu figura quædam, quæ rem ipſam per omnia aſſimilat: enim vero hoc etiam certo conſtat, quod verbum αἴνιγμα ex ſua natura allegoriam obſcuram exprimat, & tantum in ſenſu improprio ſimulacrum denotet ſeu figuram; in quo ſenſu etiam ſumtum eſt in Iſidori Gloſſario, quod habet *Ænigma, figura ſive typus vel ſpecies.* Ea propter doctiſſimi Meibomii ſententia ſtat firma, qui putat quod Ænigma figuram averſæ partis deſignet, ita tamen, ut poſtea ſynecdochice de toto numo uſurpatum fuerit. Plane autem excludenda Cæſaris Bulengeri opinio, qui numiſmatis caput eo vocabulo exprimi contendit.

Ænigma quid ſignificet?

§. II. Averſa pars primæ monetæ Romanæ non niſi ſimplicem quandam continebat figuram, quæ omni inſcriptione deſtituta curioſitatem intuentium non explet. Nam ænei omnium primi numi ab averſa vocati ſunt Ratiti, Plinio teſte *L. 33. c. 3: Nota æris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera roſtrum navis;* eleganter hoc explicat Cornutus in *Perſ: Bene autem in illo numo geminum erat ſignum, & hoſpitalitatis Jani, & adventus Saturni.* Hoc de toto aſſe intelligendum eſt, qui maximus numus, nave gaudebat; *in triente vero & quadrante rates*, pergit Plinius. Ita ſub nomine *Ratiti* ſtricte intelligitur triens vel quadrans, quod Feſtus confirmat ſcribens: *Ratitum quadrantem dictum putant, quod in eo & triente ratis fuerit effigies, ut navis in aſſe.* Sed hodie Janum ratitum ſine differentia appellamus omnes hos numos; vix enim in illis differentia obſervari licet navem inter & ratem. Argentei primi

Averſa pars primæ monetæ Rom.

Numi Ratiti.

Stricte ſic dicti ſunt trientes & quadrantes.

Conſulares primi numi Bigati Quadrigati.

Conſulares, ceu ſupra plenius jam probatum dedimus, Bigati, Quadrigati vocabantur & Victoriati, a parte poſteriore ſic dicti. Differentia autem eſt inter Bigatos & Victoriatos; nam Romani jam diu cuderunt Bigatos & Quadrigatos, cum demum, lege Clodia jubente, etiam Victoriatos ſignarent; vid. Plin. *d. l.* Poſtquam monetales Triumviri pecuniæ curam gererent, invaluit, conſvetudine non autoritate, mos, ut anteceſſorum monumenta memoriæ ſacrarent per numos; inde officiorum nomina, quales ſunt ſuperius adducti numi cum nota monetalium Duumvirorum & aliorum; inde Sacerdotii ſymbola; inde triumphos anteceſſorum reperimus, & actiones gloria dignas. Exemplum eſt in familia Æmilia *M. Lepidus Pont. Max. Tutor Regis;* in illo apparet Lepidus in habitu Conſulari imponens Ptolemæo juniori coronam; in altera impreſſum eſt Alexandriæ urbis caput, in qua ſolennitas peracta. In eadem familia numus æſtimandus, in quo Lepidus juvenis, equo inſidens, trophæum gerit, hac cum inſcriptione: *Lepidus annorum XV. prætextatus, hoſtem occidit, civem ſervavit.* In Julia familia, Julius Cæſar hac inventione numum celebrem fecit; nam cum privato adhuc civi nomen ſuum ac caput imprimere haud licitum eſſet, elephantum numo imponit, addito verbo: *Cæſar,* quod in lingua Punica hoc animal ſignificat; in altera numi parte in habitu pontificali conſpicitur. Ex quo autem Cæſari, ut Dictatori perpetuo, permiſſum erat, faciem monetæ imprimere, etiam poſtica pars variorum eventuum repetitio erat publica, in hiſtoriæ emolumentum vergens; quæ interdum ex numis haurit & ſupplet, quod ſcribentium negligentia intermiſit; ut alio loco diximus. Sit hic exemplum Antonini filius, cujus ex Fauſtina pater factus eſt: ejus nomen omnes hiſtorici ignorant, ſed ſupplet defectum numus Græcus Fauſtinæ faciem exhibens, cum hac inſcriptione: ΘΕΑ ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ; in altera ejus parte caput infantis cernitur, quod ita vocatur: Μ. ΑΝΝΙΟϹ ΓΑΛΕΡΙΟϹ ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟϹ ΑΝΤΟΝΙΝΟΥ ΥΙΟϹ. nimirum *Marcus Annius Galerius Antoninus.*

Notabiles numi in familia Æmilia.

In familia Julia Cæſaris numus.

Græci numi Latinis præſtantiores.

§. III. Quales autem ſint Græci numi, heic loci monere non inconſultum erit, qui Latinos numos quoad inſcriptionem impreſſam & figuræ ſignificationem longe ſuperant. Audia-

Audiamus de illis judicium Morellii *Specim. Rei numariæ antiquæ p. 15: Græcos imperatorum numos appello*, inquit, *qui illorum capitibus & Græca epigraphe inſigniti ſunt, copia & ſingulari typorum ratione Latinos plurimorum Imperatorum exſuperans: deſunt tamen hiſce omnibus ferè numis notæ chronologicæ, quibus anni ad Imperatores ſpectantes diſcerni queant.* Sunt hi numi cuſi apud populos & urbes, a Romanis devictos, vel in Coloniis ab iis miſſos; inde eorum ſeriem ſecundum ordinem civitatum inſtituet Dn. Morellius. Non ſolum autem Græci peculiariaribus utebantur in his numis expreſſionibus, ſed etiam imitari ſolebant quæcunque in Latinis Romanorum numis animadvertebant honori Imperatorum tributa; inde omnes fere virtutes & attributa occurrunt in Græcis numis, e. g. Δικαιοσύνη, Ευτυχία, Αγαθὴ, Νείκη, Τύχη, Ἐλπὶς, Πρόνοια, Ὁμόνοια, Εἰρήνη, Εὐτυχεῖς Καιροὶ, & ſimilia.

Græci numi imitantur Latinos.

In averſis partibus numiſmatum apparet aut figura, aut facies, aut monumentum publicum; alii autem non niſi ſimplicem *Inſcriptionem* continent. Circa hoc verbum Gallici antiquarii diſtinctionem quandam fingunt, dum Circumſcriptionem & Inſcriptionem a ſe invicem diſtingvunt. Utuntur autem in vernacula, *legende & inſcription: La legende*, quam nos Circumſcriptionem vocamus, nihil aliud eſt, quam titulus iſtius principis, qui in antica parte impreſſus cernitur: *l' inſcription* autem ipſis eſt idem, quod etiam vocare poſſemus lemma, quod figuræ alicui inſcribitur, ut puta in Antonini numis ex altera parte duæ ad ſe invicem porrectæ manus impreſſæ ſunt, & addita eſt inſcriptio: *Concordia Auguſtorum*, h. e. Fratrum, Marci & L. Veri; quod alias ſine hac inſcriptione intellectu difficile fuiſſet.

Diſtinctio inter Inſcriptionem & circumſcriptionem.

Interdum autem ſic dicta circumſcriptio ex adverſa in averſam ſe extendit, ut pro inſcriptione habenda non ſit. In numo Julii Cæſaris ab una parte legitur: *Cæſar Imp. IV;* in altera: *Augur Pont. Max. Coſ. IV.* Dictator IV. quæ omnia pro titulo continuato ſunt habenda.

Circumſcriptio ex adverſa in averſam.

Obſervat ſæpe laudatus Jobertus *p. 92.* quod titulus Pater Patriæ ſemper expreſſus videatur in antica, in qua etiam titulus Cenſoris: ſed Pontifex & Augur averſæ partis propria ſint verba, ſi hujus dignitatis ſigna ibi reperiantur expreſſa. Quædam averſæ partes mixtam habent cum Inſcriptione Circumſcriptionem, ut numus Commodi; hujus adverſa hæc habet:

Mixta cum inſcriptione circumſcriptio.

 Com-

Commod. Ant. P. Felix Aug. Brit. P. P. averſa, duo cornua amalthea in crucem poſita, quorum medium ſecat caduceus, inſcript. *Tempor. Felic. P. M. TR. P. XV. Imp. VIII. Coſ. V.* Interdum in averſa parte numiſmatum non niſi S. C. invenitur, Senatus Conſultum, ſeu Δ. E. h. e. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας, quorum explicatio infra ſequitur. In quibusdam numis ſolum *certi temporis anni invenire* ſunt, e. g. in M. Aurelii moneta, *Primi Decennales Coſ. III.* & in Auguſti numo, *Imp. Cæſ. Aug. Ludi ſeculares votis V. X. XX.* ut & alii in imperio inferiori. Alia averſæ *magnorum eventuum* notam habent. Marcus Aurelius numum cudi fecit, in cujus altera hæc verba leguntur: *Victoria Germanica Imp. VI. Coſ. III.* Auguſti numus hæc oſtendit: *Signis Parthicis receptis*, S. P. Q. R. *Victoria Parthica* conſpicitur in numo Sept. Severi. *Titulos honoris* alii continent, ut *Optimo Principi* in Trajani & Antonini Pii numis, & in Veſpaſiani: *Adſertori publicæ libertatis.*

Solæ literæ S. C. in averſa conſpicuæ. Apocha. Magna eventa. Tituli honoris.

Titulus *Principis.* §. IV. Circa titulum *Principis* notandum eſt, quod ille a modeſtia priorum Cæſarum proficiſcatur: nam Reges Romanorum amaverunt *Domini* titulum, qui populo adeo fuit exoſus, ut ſe jugo & principis dominio exuerent. Auguſtus, qui ſpeciem libertatis populo reliquerat, vel ex modeſtia innata, vel ex calliditate reſpuit titulum, ut rem ſecurius poſſideret. Inde Horatius illum in *Ode 2. L. I.* hác laude mactat, de eo canens:

Ab Auguſto amatur.

—— Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps.

Quem titulum accipere non verebatur, quanquam reluctatus eſt *Domini* appellationem audire; cujus nuncupationem exſecratus eſt. Nam Ovidius comparans Romulum cum Auguſto, id diſertis verbis teſtatur. Talem enim in modum alloquitur Romulum *2. Faſt:*

Vis tibi grata fuit, florent ſub Cæſare leges,
Tu Domini nomen, Principis ille tenet.

Quod & Svetonius in Auguſti vita confirmat: *Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, ſemper exhorruit.* Poſterioribus temporibus, cumprimis in imperio inferiori, Domini titulus reperitur in numis, nec non Δεσπότης. Porro in aliis numis *gratitudinis ſigna* reperiuntur, ut in Veſpaſiani

Signa gratitudinis in poſtica.

Liber-

Libertate P. R. *reſtituta ex* SC., qui quidem numus non veritati,ſed adulationi ſuccurrit. In Galbæ numo legitur S. P. Q. R. *Ob cives ſervatos.* Auguſtus vero ultimo honoris nomine inſignitur in numo, cujus poſtica hæc præbet: *Salus generis humani.* Singularia Principum beneficia haud minori cura notata cernuntur, una cum votis pro ipſius ſalute; inde in Auguſti numis hæc ſunt verba: *Jovi optimo Maximo* S. P. Q. R. *vota ſuſcepta pro ſalute Imperat. Imperatori Cæſari quod vere munera ſint.* Inſcriptiones Græcæ in plurimis locis multa difficultate laborant, ut & quæ tantum literis initialibus indigitatæ ſunt, ſive ſint Latinæ ſive Græcæ; quarum Oedipus fuit ſummæ eruditionis Vir du Freſne, & Dn. du Cange in Diſſertatione *de numis medii ævi, Gloſſario adjecta.* Profert Jobertus Heraclii numum, in quo videre eſt: *Deus adjuta Romanis*; vid. etiam Dn. Struvii *Bibliothecam numiſmatum ſect. IX.* quod Græci exprimebant ΒΟΗΘΕΙ, & quod tantum literis initialibus ſcriptum reperitur, ΒΟΙΘ. Quin imo hac invocatione etiam honorabant S. Virginem: nam in numis Johannis & Romani Diogenis Impp. Conſtant. Hæc inſcriptio addita eſt S. Virgini Imperatori Camelaucium imponenti: ΒΟΙΘ. ΜΘ. ΡΩΜΑΝΩ. h. e. *Auxiliare Mater* DEI *Romano.* Ejusdem abruptionis eſt numus Conſtantini Copronymi, his literis conſpicuus: C. LEON. PAMVLΘ. quod laudatus du Cange talem in modum explicavit: *Conſtantinus Leoni Perpetuo Auguſto Multos Annos.* Eundem laborem requirunt literæ in numo Antonini Pii, S. P. Q. R. A. N. FF. *Optimo Principi Pio*; quarum explicatio hæc eſt: *Senatus Populusq; Romanus Annum Novum FF. Optimo Principi Pio.* Hæ Inſcriptiones ad vota pro Principe ſuſcepta pertinent, quibus annumerandus eſt numus Conſtantini: *Plura natalitia feliciter;* nec non ille Conſtantis: *Felicia decennalia.* Interdum ſolum populi ſeu civitatis nomen expresſum eſt: *Segobriga, Cæſar Auguſto, Obulco*, ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. Quandoque Cæſaris nomen totum occupat ſpatium, ut *Conſtantinus Aug.* aut filii ejus *Conſtantinus Cæſar*, vel *Conſtantinus nobil. Cæſar*, vel etiam unicum verbum *Auguſtus*

Singularia beneficia.

Inſcriptiones Græcæ

Inſcriptiones per literas initiales.

ΒΟΗΘΕΙ quid?

Solum nomen civitatis in averſa.

§. V. Baſſum Imperium oſtendit nobis varia monogrammata, quæ ubivis fere ſunt obvia, cum primis M. I. K., eruditi id explicant & aſſerunt, quod ſint literæ initiales *Mariæ, Jeſu & Conſtantini*, potiſſimum ea ex ratione, quia ſanctiſſimum

Monogrammata in imperio inferiori communia.

crucis ſignum intercalatum reperitur. Dedicaverat nimirum Conſtantinus novam ſuam Regiam ſanctæ Mariæ; & quia ipſe ut ſanctus in imperio cultus eſt, ejus ſucceſſores in regno has literas compoſuerunt piæ recordationis ergo. S. Mariæ monogramma eſt Μ. Θ. quod ſignificat *Mater Dei*, aut etiam hæ literæ inveniuntur ΘΕ. quod ΘΕΟΤΟΚΟΣ ſignificat, hoc eſt *Mater Dei*. Hoc teſtantur Johannis & Romani Diogenis, Impp. Conſtantinopol. numi, quos jam allegavimus.

☧ Sanctũ ſignum a Conſtantino viſum.

Frequentius autem eſt hoc ſignum ter ſanctum & ſalutare ☧, ſeu X & P compoſitum. Scripſit Nic. Baring totum librum *de crucis ſigno à Conſtantino M. conſpecto*. Nam hoc ſignum additis verbis: *In hoc vinces*; ſuſpexit Conſtantinus in aëre, ut & multi alii milites, cum viribus ſuis male confidens contra Maxentium ſupra Alpes moveret exercitum. Re tandem feliciter geſta, Romæ redux ſtatuam ſuam conflare juſſit dextra gerentem hoc ſignum, addita inſcriptione: *Hoc ſalutari ſigno, vero fortitudinis indicio, civitatem jugo ſervitutis liberavi, & Senatum Romanum in libertatem vindicavi, ac priſtinæ dignitati ſplendoriq; reſtitui.*

Ubiq; uſurpat.

Quo facto hoc ſanctiſſimum ſignum ubiq; conſpicuum erat; ut Prudentius in ſecundo libro contra Symmachum edocet:

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
ſignabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
ſcripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

Hæc dum ita ſe habent, eruditi certi ſunt, quod Conſtantinus, *Magnus* dictus, poſt hanc victoriam, primos numos cuderit cum hoc ſigno diſtinctos.

Num' Conſtantini hoc ſignum gerens.

Adeſt enim numus, in cujus antica Conſtantinus conſpicitur, gerens galeam hoc ſigno exornatam: Alius ejus faciem refert, additis verbis: *Conſtantinus Max. Aug.*; in altera poſitum eſt labarum inter duos milites hoc monogrammate inſignitum; inſcriptio eſt: *Gloria Exercitus.* Continuavit pium morem Conſtantius, filius ejus; videtur enim ipſius facies in antica parte cum his verbis: *Dn. Conſtantius P. F. Aug.* in altera parte ipſe Imperator, vexillum hoc ſigno ſplendens, manu tenet dextra, lævam ſceptrum occupat, coronatur a victoria; inſcriptio eſt: *Hoc ſigno victor eris.* Superſedeo plures in medium producere. Eſt Magnentii numus, cujus totam poſticam hoc ſignum occupat, addito

addito Α. Ω. (quod Salvatorem ſignificat, cujus monogramma eſt) Circumſcriptum legitur: *Salus* DD. NN. *Aug. & Cæſ.* vid. Auguſtin. *Dial. l. p. 16.* Strad. *Imp. Hiſt.*

A & Ω monograma.

§. VI. Hoc autem intactum relinquere non poſſum, quod hoc idem ſignum à gentilibus regibus uſurpatum fuerit; occurrit enim in Ptolemæi Apionis & aliorum Ptolemæorum æneis numiſmatibus, qui multis ſeculis Conſtantino vetuſtiores ſunt. Variæ variorum de hac re ſunt traditiones & opiniones. Pignorius putat, quod ſit compendiaria ratio exprimendi nomen alicujus, qui monetam cudi curavit, v. g. Chriſtodori, Chryſaori, Chremetis, Chriſantii: magis tamen arridet eorum ſententia, qui arbritrantur, quod fuerit ſignum ΧΡΕϹΤΗΡΙΟΥ ſeu oraculi Jovis Ammonis, quod a profano uſu ad pium ſacrumque Conſtantinus tranſtulit; ut Dn. Wagenseil. ex Ruperti *Orat. Hſtor. p. 798.* refert. Sive a gentilibus uſitatum fuerit nec ne, non impedit, quo minus nunc venerabile nobis ſit & acceptum; literæ enim uno ductu & rem malam exprimunt & bonam, quas animi ratio diſtingvit. Inde etiam crucis forma non raro apud gentiles invenitur, cumprimis inter illos ductus & ſigna, quæ Ægyptiis uſitata fuerunt, & quæ Hieroglyphicam ſcripturam vulgo appellant; quod a Pierio in ſuis Hieroglyphicis exponitur, nec non a Kirchero in *Oedipo Ægyptiaco.* Svidas in voce σαυροὶ ſcriptum reliquit, quod, cum a Theodoſio Imperatore gentilium templa everterentur, Græci Chriſtiani in Serapidis templo formam crucis inter hieroglyphica ſigna invenerint, quod hujus ſcripturæ periti denotare aſſeverarint: *Vitam venturam.* Confirmat hoc Ruffinus *L. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 29.* ſcribens: *Signum Dominicæ crucis inter alias, quas dicunt, ἱερατικὰς, id eſt, ſacerdotales literas habere Ægyptii dicuntur velut unum ex cæteris literarum, quæ apud illos ſunt elementis. Cujus literæ ſeu vocabuli hanc eſſe aſſerunt interpretationem: Vita ventura.* Imo Chriſtianis hoc ſignum eſt hujus & futuræ vitæ ſalus & obſignatio. Summus Vir Vlricus Obrechtus in diſſertatione peculiari numum expoſuit, qui olim in Brackenhofferiano cimeliarchio videbatur. Domitiani eſt, Chriſti hoſtis, cujus circumſcriptio: *CÆS. Domit. Aug. Germ. P. M. Tr. P. XV.* in averſa Domitianus coronatus ſedens conſpicitur, ſiniſtra crucem immiſſam lateri applicat; quem forſitan explicat

☧ a gentilibus uſurpatum.

Fuit ſignũ Jovis Ammonis.

Animus literas diſtingvit.

Crucis ſignum a gentilibus uſitatum.

Significat vitam venturam.

Domitiani numi cum ſigno crucis.

plicat ille ab Hornio in *Hiſtor. Eccleſ. p. 79.* adductus ejusdem Domitiani, addita inſcriptione: *Nomine Chriſtianorum deleto.* vid. omnino DN. WAGENS. *l. c. c.* 17.

Figurarum poſitio, cauſa & numerus in poſtica bene conſideranda.

§. VII. Revertamus e diverticulo in viam! Si poſtica numi pars figuris exornata eſt, earum numerus, poſitio & cauſſa, ob quam impoſitæ ſunt, bene conſideranda, quia hæ partes numum reddunt pretioſiorem; nam numus Juſtitiæ aut alius Virtutis ac Deæ ſimulacro diſtinctus, minus æſtimandus, niſi rarior antica numi pars hunc defectum ſuppleat. De faciebus in altera numi parte jam locuti ſumus; ſed pro

Num' duarum imaginum rarus eſt.

regula accipienda eſt, quod numus duarum imaginum ſemper ſit rarus, cujus pretium multiplicatur, ſi earum plures ſint, e. g. Veſpaſianus, cum duobus filiis in altera parte Tito & Domitiano: numus Severi in altera parte duo filii Geta & Caracalla. Philippus cum filio & fœmina. Hadrianus in poſtica, cujus anticam Trajanus & ejus uxor Plotina occupat. Aliis omnibus autem palmam præripiunt numi, ſi plures in poſtica figuræ ſint, quæ ſingulare hiſtoriæ monumen-

Plures figuræ in numis.

tum celebrant; exempli loco ſint Puellæ Fauſtinæ. Hic numus ab una parte refert Fauſtinam matrem, Antonini Pii conjugem; altera oſtendit honores ei habitos, dum matres, filias ſuas tutelæ educationique in ſpem amplioris fortunæ committere videtur; addita eſt inſcriptio: *Puellæ Fauſtinianæ*, in quo numo 13. figuræ. Trajani numus, in quo legitur *Regna adſignata*; ibi apparent tres reges procumbentes ante theatrum, cui Imperator inſidet, illis imponens coronas. Nervæ Imp. congiarium cum quinque figuris P. R. S. G. Trajani adlocutio, in quo ſeptem conſpiciuntur figuræ. Cumprimis elegans eſt numus Juliæ Mæſæ, cujus averſa pars omni admiratione digna; reperiuntur enim duodecim ſigna cœleſtia in gyrum poſita: ſpatiam internum occupant duæ figuræ coronatæ, addita eſt ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ, a quo populo percuſ-

Monumenta publica.

ſus eſt. *Monumenta publica*, in averſa numorum parte ſignata, merentur omnem æſtimationem, quia utplurimum magnorum eventuum ſunt documenta. Neronis numi æſtimandi ſunt, in quibus Janus Cluſius reperitur, pacem univerſalem his verbis notans: *Pace Pop. Rom. terra mariq; parta Janum clauſit.* Similiter Porta Oſtienſis & Macellum, Macellum tamen portâ inferior eſt, quia etiam hiſtoriæ inter ſe aliæ

aliis

aliis ſunt potiores. Inter monumenta publica non infimum etiam occupant locum Amphitheatrum Titi, & Columna ab ipſo erecta, *navalis* dicta; Templum *Romæ & Auguſto* erectum; M. Aurelii & Commodi Trophæa. *Varia animalia* etiam obvia ſunt; quales numi ſuo pretio non deſtituuntur, maxime ſi animalia ex peregrinis climatibus Romam advecta, ut populus in ludis publicis & ſpectaculis ea ſuſpiceret. Legiones etiam peregrina animalia pro ſigno militari receperunt, ut Gallieni legio Hiſtricem, alia Pegaſum, alia Ibidem. Sed numus Philippi & Ottaciliæ, in altera ſub verbis *Seculares Augg.* omnia animalia exhibet rariſſima, quæ in ludis produxit; nam non centeſimus repetebatur, ſed milleſimus ab urbe condita annus celebrabatur. Familiam autem ducit inter hos numos Antonini, in cujus altera Orpheus lyram movens conſpicitur, & circum hunc animalium innumera multitudo. Communes autem ſunt Aquilæ in numis Regum Ægyptiorum, ut & Imperatorum, conſecrationem denotantes. Lupa Romuli & Remi in alto, ut vocatur, & baſſo imperio frequens eſt: attamen Antonini numus cum lupa non vulgaris eſt. Inveniuntur etiam hinc inde pavones, elephanti in numis expreſſi, ut & alia animalia. Phœnix, ut in numis aliis, ita maxime Conſtantinianeis numis, hieroglyphica quaſi avis eſt: nam exprimit aut imperii æternitatem, aut conſecrationem principum in numerum Deorum receptorum. Interdum etiam non tantum piſces, ſed & plantæ in numis expreſſæ ſunt, quæ omnia illuſtris Spanhemius in ſuperius laudato opere cum infinito labore ac ſtudio notavit. Sæpius Imperatoris effigies utramque numi partem occupat, non vero ſub eadem figura: nam in antica ipſam faciem videbis, in poſtica autem vel ſtantem, vel ſedentem Imperatorem in forma minuta, vel ſub Dei vel ſub Virtutis figura; exemplum præbet ſuperius adductus Domitianus. Singularis tamen eſt numus aureus Getæ a Dn. Morellio allegatus *Spec. 73.* Antica exhibet Getæ caput nudum, cum inſcriptione: P. SEPT. GETA. CÆS. PONT. In poſtica buſtum Getæ ejuſdem magnitudinis cernitur, cum corona radiali, & dextra extenſa; inſcriptio eſt: SEVERI INVICTI AVG. PII FIL.

Animalia varia.

Singularis Antonini numus.

Phœnix.

Unus Imperator in utraque numi parte.

Jobertus nimium numis tribuit.

§. VIII. Audet dicere Jobertus loco notato, quod tanta arte ſint exſculptæ figuræ minutæ Imp. ut facies, licet puncti magnitudinem haud ſuperans, ſimilitudinem tamen Imperatoris referat. Fluit hic exceſſus ex nimio antiquitatis amore, qui Patinum inſtigat, ut flocci faciat ſculpturam hodiernorum numorum, & Joberto lynceos oculos affingat. Ego certe fateor meam imbecillitatem; & mihi non niſi ex inſcriptione, & aliis circumſtantiis Imperatorem denotare, in poſtica colligere licet: ſatis notus eſt Neronis decurſio; demas quæſo verbum ſubſcriptum, & ſine diſtinctione videbis equitem. Hoc autem admiratione dignum eſt, quod numi in diverſis officinis adhibitis diverſis iconiis, efformati, u ius Imperatoris effigiem ad amuſſim referant, & ex hoc quidem veterum colligimus in pictoria arte pariter & ſculptoria dexteritatem. Chryſoſtomus *Homilia 42. in S. Ignatium* modum docet, quo factum, ut Imperatoris imago artifici familiaris redderetur: *Ζωγράφος ἄριστος ποικίλην κεράσας χρώματα, ἣν ἂν μέλλῃ βασιλικῆς μορφῆς πρωτότυπον κατασκευάζειν εἰκόνα, μετὰ πάσης ἐργάζεται τῆς ἀκριβείας, ὥστε τοὺς μιμουμένους αὐτὴν ἅπαντας καὶ γράφοντας ἐξ αὐτῆς διηκριβωμένην ἔχειν εἰκόνα.* hoc eſt; *Peritus pictor diverſos componit colores, ut imaginis regiæ exemplar; quod exprimit, eo labore componat, ut omnes, qui illam imitari debent, habeant, quod ſequantur.*

Tot numi diverſi, unius Imperatoris effigiem accurate referunt.

Metallionũ averſæ partes.

§. IX. Metallionum averſæ partes omnium reliquorum numorum excellentiam, ſive artis elaboratione & cælatura, ſive argumenti nobilitate ſuperant, quicquid etiam *Gioſeppe Monterchi* reclamitare audeat, putans, quod metalliones labore quidem & artis perfectione, non vero hiſtoriæ nota ſint æſtimandæ. Illuſtriora rei geſtæ teſtimonia exhibent, nimirum ludos publicos ædificia ſuperba, aut alia notatu digna monumenta, quæ hiſtoriæ evolutioni auxilio ſunt. Excellentiſſimi Morellii inſignem laborem circa hos numos jam ſuperius notavimus. Epiſcopus Parmienſis, teſte Joberto, ſui cimeliarchii metalliones juris publici facere promiſit. Alias Patinus & Erizzonius erudito labore illuſtraverunt, quorum Erizzonius omnium primus fuit. Inter alia, quæ notari merentur, metalliones exhibent utplurimum epochæ notas

Epocham notant.

notas, ſive certi temporis computationem. Nam ſi hiſtoria ſine Chronologia pulchrum quidem, ſed confuſum ſit corpus, anima deſtitutum; ita epocharum numeratio præ aliis omnibus accuratiorem meretur inſpectionem. Optandum modo eſſet, ut veſtigia expreſſiora invenire liceret: nam interdum divinationis artificio eruditi tantum progredi poſſunt, ita eorum etiam profectus tam inæquales cernuntur. Dn. Vaillant in ſerie Regum Syriæ ſecundis avibus rem peregit; & doctiſſimus Noriſius, nunc eminentiſſimus Cardinalis, in Epochis Syro-Macedonum ſe virum præſtitit eruditione & judicio incomparabilem; inde Harduinum multis in locis ſuperficiariæ explicationis arguit, qua numos antiquos populorum & urbium illuſtravit. vid. *Journal des ſçav 1692. p. 394. ſeqq.* Adolphus Occo quidem omnes ſecundum annorum ſeriem contexere inſtituit, ut annalem quaſi hiſtoriam ex iſtis erutam conderet; ſed fruſtraneus eſt auſus, non aliter ac Goltzii numos conſulares ſecundum faſtos diſponendi modus; nam hanc elegantiam audere, non perficere licet. *Quippe in multis Imperatorum numis nec Conſulatus, nec poteſtas Tribunitia, nec Imperium expreſſum conſpicitur, in quibusdam ſolus deſignatus eſt Conſulatus, plures interdum annos complexos, qui inter duos Conſulares effluxere, imo poſt Gallieni tempora, vix unum alterumq; numum reperire licet, qui ordinis Chronologici impreſſa habet veſtigia*, inquit Morellius, nunquam ſatis laudatus Vir in *Spec. rei numariæ antiquæ p. 14.* Hujus rei exemplum eſt Hadrianus, hujus numi varii *Coſ. III.* ſignati ſunt, quod multorum annorum ſpatium includit, ita, ut ab anno V.C.DCCCLXXII. (quem annum includit hic Conſulatus) uſq; ad mortem hujus Imperatoris, quæ poſt viginti annos accidit, certum ordinem annorum componere non liceat. De Græcis numiſmatibus jam ſuperius aliquid tradidimus; a Juſtiniano tamen in imperio baſſo æræ ratio ſatis obſervata eſt; excipias tamen quosdam urbium numos, cumprimis quos Goltzius exhibet, in quibus nihil chronologiæ inſerviens invenire eſt in ſingulare hiſtoriæ detrimentum. In *Coloniarum* numis unus vel alter tantum epocham habet ſignatam, quippe *Viminacium in Mœſia* tempore Gordiani, cujus ſub auſpiciis fundata erat, annum notat I. & II, ſub Philippo annum VII, & ſub Deciano annum XI, ſed rariores

Epocha ab eruditis non eadem felicitate explicatur.

In multis numis nulla temporis nota.

Græci numi a tempore Juſtiniani illa gaudent.

Coloniarũ raro æram exhibent.

 riores

Civitates Græcæ Neocores dictæ.

riores ſunt. Civitates Græcæ alio plane utebantur modo computandi tempus; nam magna circumſpectione jus conſervabant, quo æditui eſſent; ſeu jus ſacrificiorum ſolennium & ſpectaculorum in templis & amphitheatris celebrandorum, quapropter etiam *Neocores* ſe appellabant; ſi itaque celebrandi hanc ſolennitatem vel a principe vel a ſenatu potentiam & libertatem impetrarent, haud intermiſſa eſt cura hujus rei memoriam numis imprimendi, ut: ΔIC. TPIC. TETPAXIC NEΩKOPON. Per hæc conſveta ſigna tempus regiminis Imperatorum tantum innuitur. Sed Gallus quidam, nomine Toynard, alium laborem in ſe ſuſcepit, in epiſtola hac de re exarata; nimirum contendit, quod

Anni vitæ in Comodi numis.

etiam anni vitæ Imperatoris cerni poſſint in numis; protulit in medium numum Commodi & illo propoſitum ſuum probat: nam regnavit hic Imperator tantum XIII. annis, & literæ numerales uſque ad K. Z. ſeu XXVII. excurrunt. vide Dn. Struvii *Bibliothec. numiſmat. cap. 5. p. 235.* ſed una hirundo non facit ver; & nodum ſine dubio in ſcirpo quæret, qui in aliis numiſmatibus illud ipſum quæſiturus eſt, quod unus Imperator, neſcio quo fato, imprimi juſſit. In Auguſti numis videntur tribunitiæ poteſtatis annos indicari, qui ad XXXV. uſq; excurrunt; XXXVI. enim tribunitiæ poteſtatis anno mortuus eſt. Imperii annos deſignat numus Alexandri Severi, in quo: Περίοδος δεκάτη. Hemelarius *in numis aureis Croji Ducis* putat, quod anni tribunitiæ poteſtatis ſemper Imperii annos Imperatoris numerent. Sed vero inveniuntur numi, in quibus major numerus T. P. quam annorum regiminis. Tiberius 23. annis regnavit, & tamen in numis T. P. XXVI. numerantur; idem reperitur in Tito, Marco & Pio. Quod itaque plures ſint anni T. P. quam regiminis, rationem hanc illuſtr. Spanhemius dat, quia ſuperſtitibus adhuc anteceſſoribus & natura vel adoptione parentibus, eam dignitatem ſucceſſores ut initium futuri faſtigii capeſſiverant.

Æræ nota.

§. X. Æræ nota varia eſt, cujus locus in antica certus; interdum verba plenius exarata inveniuntur, ETOYC ΔEKATOY, anno decimo, ſed abbreviandi modus fre-

Λυκάβαντος quid ſit?

quentior eſt, ut E. aut ET. A. B. hoc eſt, anno 1. 2. ſed vero L. ſeu Lambda omnium eſt frequentiſſima nota; eſt autem litera initialis vetuſtiſſimi vocabuli denotans Λυκάβαντος, quod

Poëtis

Poëtis ferme tantum uſitatum fuit, ſignificat idem, quod ETOYC, nimirum annum. Macrob. *Saturn. L. I.* hoc verbum ita explicat: *Priſci Græcorum primam lucem, quæ præcedit ſolis exortum* λύκον *appellaverunt* ἀπὸ τοῦ λύκου, *id eſt luce temporis. Annum quoq; vetuſtiſſimi Græcorum* λυκάβαντα *appellant* τὸν ἀπὸ τοῦ λύκου, *id eſt ſole* βαινόμενον καὶ μετρούμενον. Λύκον *autem ſolem vocari, etiam Lycopolitana Thebaïdos civitas teſtimonio eſt, quæ pari religione Apollinem, itemq; lupum, hoc eſt,* λύκον *colit; in utroque ſolem venerans, quod hoc animal rapit & conſumit omnia in modum ſolis.* Hæc litera L. magis obvia eſt in numis Ægyptiis, quam Græcis; in quibusdam horum tamen quoque conſpicitur. Ita Antonini numus invenitur, in cujus poſtica L. ENATOY, aliiq; cum literis initialibus L. Z. L. H. L. IΓ. vid. Dn. Morell. *Spec. p. 181.* In numo Gordiani Pallas poſticam occupat, additis literis L. A. Civitatum æra omiſſa anni litera, tantum numero ſignata eſt, ita tamen, ut inferius poſita litera numeri ſit initium Δ M. 44. quod non legendum ſeu numerandum M Δ. Ejusmodi numerus invenire eſt in numo Pompejopolis, cujus anticam occupat caput Arati, poſticam caput Chryſippi, addito numero C K Θ 229. Hæc literarum poſitio etiam uſitata eſt, ſi unus aut alter annus ponitur, ut in numo Antonini L H. anno octavo. In Imperio Conſtantinopolitano ſeu Græco epocha Latinis ſignis eſt expreſſa, e. g. III. V. VI. A Juſtino ad Theophilum uſque totum poſticæ ſpatium occupat, duabus lineis perpendicularibus; nam ita oſtendit Juſtini numus A N N O K X & Juſtiniani A N N O I X X III & ſic in reliquis. In quibusdam tamen Phocæ & Heraclii annus primum numi ſpatium occupat, more ſolito ſcriptus. Sed hæc annorum & temporum deſignatio poſt Theophili tempora, nec in Græcis nec Latinis numis conſpicitur. Obſervatum etiam eſt a curioſioribus, quod indictiones in numis quibusdam inveniantur, quæ quidem jam tempore Conſtantini impoſitæ fuerunt, ſecundum Onuphrii opinionem; ſed demum in numis Mauricii obſervantur, his literis notatæ: IND. II. Colligit ex hac obſervatione doctiſſimus Jobertus, quod verbum INDVT. III. in numis Germanici interpretan-

In Civitatū numis numerus, omiſſa anni litera, ponitur.

In imperio Græco epocha Latinis ſignis,

dum ſit pro Indictione; quod tamen minime gentium hunc ſenſum patitur: nam, ut jam monui, indictiones hoc tempore Germanici longe ſunt poſteriores; inde vel novum hujus rei periculum faciendum eſt, aut numus vexatus inter *medallas deſconnocidas* locum non mutabit.

Literæ autoritatis publicæ.

§. XI. Tandem non ſicco pede tranſeundæ ſunt autoritatis literæ ſeu monogrammata, quæ toties in poſtica numorum reperiunt, & uberiorem indigent explicationem. Sunt autem triplicis generis, vel SC. vel Γ. Β. vel Δ. Ε. Primum ſatis notum eſt; exprimit enim *Senatus Conſultum*: Secundum idem ſignificat *Γνώμη βουλῆς Senatus Decreto*: Tertium ad populum ſpectat Δ. Ε. *Δημαρχικῆς ἐξουσίας*, *Populi Juſſu* ſeu Tribunitia poteſtate.

SC. quid in numis ſignificet?

SC. plurimi in numis explicant, quod ſit autoritatis nota; unde metallum impreſſum ſuum reciperet valorem, & ut teſtimonium perhiberet de bonitate intrinſeca. Alii dicunt ſignum eſſe, quod Senatus anticam in honorem Cæſaris adornaverit, & utuntur argumento, quia ſemper poſticæ, non anticæ additum eſſet; vid Æn. Vic. *l. c. L.* 1. *c.* 5. quæ poſitiones ſatis difficultate laborant: nam

Ingenuitatis ſignum non eſt.

ſi hoc ingenuitatis ſignum eſt, cur non auro & argento etiam impreſſum reperitur, ſæpius etiam deſideratur in ære tertiæ magnitudinis, non ſolum tempore Imperatorum, ſed & Reipublicæ adhuc liberæ, quo tempore autoritas Senatus certe plurima erat. Attamen quanquam rariſſime in Conſularibus, tamen interdum occurrit, ut in familia Nor-

Raro in Conſularibus occurrit.

bona, Mincia, Maria, Meſcinia, Tirentia. In quibusdam numis magis ſpectat ad figuræ explicationem, quam ad numum ipſum. Exemplum eſt in familia Calpurnia, ubi hæc verba leguntur: *Ad frumentum emundum ex SC.* Hæc differentia nota-

Si præpoſitio ex præcedit.

tur addita præpoſitione *ex*. Eapropter ſi in Imperatoriis ex argento conflatis cernitur, ſemper conjuncta eſt præpoſitio; unde ſequitur, quod valorem non defendat, ſed aliam impreſſionis cauſſam habeat. Hoc etiam ſimul deſtruit opi-

Non eſt ſignum numorum in honorem Imp. cuſorum.

nionem de bonitate monetæ notata. Eodem modo indiget probatione aſſertum, quod ſit ſignum eorum numorum, quos in honorem Imperatoris cudi fecit Senatus; quippe exinde ſequitur abſurdum, quod Senatus non niſi æneos conflandi poteſtatem relictam habuiſſet, quod ipſi experientiæ contrarium. Nam Tiberius primo demum

aur-

auri & argenti poteſtatem ſignandi ad Cæſares traxit & bonus Trajanus hoc jus Senatui iterum conceſſit; quanquam ipſi poſtea fuit ereptum. Imo hæc opinio neceſſario vindicaret Senatui Metalliones, quas omnes Imperatoris in honorem cuſas eſſe ſcimus; ſed in aprico eſt, quod rariſſime hæc nota illis impreſſa ſit: excipias tamen duodecim Cæſarum metalliones, & eas, quas ſupra notavimus: Attamen adſtipulor hac in re Joberto, adſiſtens iis, qui contendunt, quod poteſtas cudendi metalliones penes Senatum conſervata fuerit, uſque dum Hadrianus, earum elegantia captus, hos etiam nummos Imperatoriæ adſcripſerit poteſtati; quibus vero obſtant Aurelii metalliones intra Hadrianum & Decium cuſæ: nam laudatus Jobertus eas Aurelii metalliones his literis inſignitas in dubium vocat, & merito adſtruit, quod tantum ſint nummi primæ magnitudinis ab antiquariis citra merita ſublimiori loco adſcripti. *Il faut dire*, ſcribit, *que ce ne ſont proprement que des Medailles de grand Bronze un peu plus fortes, que les ordinaires, & que Decius ayant eu la bontè de remettre au Senat la puiſſance de Tribun, celle de Cenſeur, celle de Proconſul, & quelques autres pouvoirs que les Empereurs avoient reunis dans leur perſonne; luy randit peut eſtre auſſi celuy de battre des Medaillons qu' Hadrian luy avoit eſtè.* Verum ipſe autor fatetur, quod non ſit principium omni exceptione majus, ſed inter tot dubitationes maxime probabile pro veritate habetur. Certum eſt, quod hoc frequentiſſimum numorum ſignum ſumma ambiguitate obfuſcatum ſit. Interim notandum, quod Σ.Κ. in Antiochenſium numis latinorum SC. reſpondeat.

Jus metalliones cudendi Hadrianus Senatui ademit.

Nihil certi de hoc ſigno dici poteſt.

§. XII. Hæ literæ SC. non ſemper in numis *Senatus Conſultum* exprimunt: profert enim eruditus Boudelot de Dairval in tract. *de l' utilite de voyage numos quoſdam*, qui ex ſua ſententia ad eos pertinent, quos cuderunt celebrantes feſta Saturnalia; cum SC. notatos, quod interpretatur: *Saturni Conſulto* aut *Saturni Conſilio*. Nolo hic dubium movere ſpatio non conveniens, ea propter ex ipſius autoris verbis explicationem hauriendam præbeo: *Si une Medaille n'a point de raport avec l'hiſtoire ou les rubriques des monetaires: Si les Types, come j' l'ai dit en ſont grotesques & biſarres, il faut interpreter ces deus lettres SC. au Saturni Conſulto,*

SC. non ſemper Senat. Conſ. denotat.

au

au Saturni Concilio, au Saturnalium Conſulto, ce qui n'eſt pas abſolument impoſſible a croire, puisque les Saturnales donnoient la libertè de faire toutes choſes quelques ridicules qu'elles fuſſent. Occurrit etiam CS. in numis : exhibet enim Seguin *ſelect. numiſm. C. 1.* numum, in cujus antica hæ literæ locum inveniunt, una cum capite muliebri, in poſtica ſequentia verba ſunt conſpicienda, *Qui ludit, Arram det, quod ſatis ſit* : interpoſiti ſunt quatuor aſtraguli tali. Seguinus literas ita explicat *Caſus Sortis* ; ſed vero Boudelot de Dairval ex Conſilio Petiti arbitratur, quod ſignificent feminam famoſam nomine Copa Syriſca, quam Virgilius canit :

CS. quid ſignificet?

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella
criſpum ſub crotalo docta movere latus
Ebria famoſa ſaltat laſciva taberna,
ad cubitum raucos excutiens calamos.
Pone merum & talos ; pereat, qui craſtina curat ;
mors autem vellens vivite, ait, venio!

Qui numus ex tripode quaſi, per hæc Virgilii verba explicatus eſt, ſiquidem & capitis ſpeciem deſcribit, & poſticæ talos nominat.

Γ. B. literarum interpretatio.

Harduini error notatus.

Δ. E. literarum explicatio.

§. XIII. Sunt etiam numi his literis inſigniti Γ. B. quod eruditus Vaillant interpretatus eſt Γνώμη Βȣλῆς, ſeu *Senatus Decreto*, exprobrans Harduini errorem, qui explicat Γ. Β. *anno ſecundo*, cum tamen non ſit lambda, ſed gamma. Vid Vail. *Jmpp. T. 1. p. 268*, ubi ita ſcribit de hoc & alio Harduini errore : *Quum ſupplere ex Minerva, ſeu potius quam ex numi lectione ſe jactat Harduinus p. 485. æque riſum præbet antiquariis, ac dum literas* Γ. Β. *in alio numo interpretatus eſt anno ſecundo, pro* Γνώμη Βȣλῆς, *Senatus decreto.* Reſtat nobis harum literarum tertia ſpecies Δ. Ε. Δημαρχικῆς Ἐξȣσίας, quod idem eſt explicatio, ſi Z. annexum, ut Δ. E. Z. Quando hæc verba in titulo Imperatoris inveniuntur, idem ſignificant ac *Tribunitia Poteſtas* e. g. in numis Auguſti ΔΗΜ. ΕΞ. ΛΗ. eſt in Latinis *Tribunitiæ poteſtatis XXXVIII.* ſi vero in altera numi parte inveniantur loco SC, ſignificant *Populi Juſſu* ; & ſe referunt ad ſtatuas, aut alia monumenta publica, quæ in Cæſaris honorem populi Juſſu erecta fuerunt Romæ. Eodem ſenſu accipienda ſunt verba hujus generis alia, ut S. P. Q. R. aut Con-

Conſenſu Senatus & Equeſtris Ordinis Populiq; Romani. Si quando in numis Coloniarum legatur, *Permiſſu Auguſti*, hoc ſibi vult, quod civitas obtinuerit jus monetandi a Principe; inde beneficii memor hæc verba expreſſit; exemplum præbet numus civitatis *Patras*, quem vulgavit Seguin: *Indulgentiæ Auguſti Moneta Impetrata.* Attamen plures videre licet civitatum numos, quæ jus nactum Magiſtratui tantum adſcribunt, ut: *Permiſſu Dolabellæ Proconſulis;* aut in alio: *Permiſſu Aproni Procoſ. III;* quod aut conceſſum jus monetarum notat, aut poteſtatem utendi verbo *Coloniæ*, aut facultatem erigendi ædificium publicum; qualis erat Ara, Providentiæ Auguſti in Hiſpania erecta, quæ in numo ejusdem Imperatoris expreſſa eſt his verbis: *Municipium Italicum, providentiæ permiſſu Auguſti.* Addiderunt etiam frequentiſſime Civitates, in quibus numus fabrefactus eſt, nomen ſuum, cum hac tamen diſtinctione, quod in Imperio alto vel circumſcriptioni vel inſcriptioni annexum ſit, in baſſo autem Imperio invenire eſt in imo numi (quod ſpatium a Gallis *Exergue* dictum) tali modo: P. T. ſignificat *Percuſſa Treviris;* S. M. A. *Signata Moneta Antiochiæ;* CON. OB. *Conſtantinopoli Obſignata.* In alto vero imperio nomen penitus expreſſum cernitur, ut in M. Antonini numo *Lugduni*, & in aliis Græcis Ἀντιοχέων Civitates monetales numo nomen ſuum imprimunt.

§. XIV. Accingamus nunc nos ad inexplicabilia numorum ſigna, quæ Monetariorum ſunt; hi enim de ſua parte quædam adjiciebant ſigna, ut opera ſua diſtingverent, ſimul ac locum, in quo numus obſignatus erat. Hæc ſigna non ſolum obvia ſunt in imperio baſſo, ſed etiam ipſis in Conſularibus. Horum ſignorum, teſte Joberto, Dn. Morellius 200, & quod excedit, collegit. Pedetentim tamen ab eruditis explicantur. Cl. Vaillant non paucos intelligendos declaravit; & Harduinus penetravit, quod literæ Α. Β. Γ. Δ. quæ in numis Imperatorum reperiuntur, ſint notæ variorum monetariorum unius civitatis, quorum nomina expreſſa habent antiquiores numi; inde legitur in Juliani Apoſtatæ: *Officina Lugdunenſis;* in Mauricii: *Vienna de Officina Laurenti;* in Valentiniani: *Officina III. Conſtantinopolitana.* Nunquam autem ultra decimam officinam numeratam videbis; excipienda tamen eſt Conſtantinopolis, & Alexandria, Monetariorum ſigna inexplicabilia. Quædam explicantur.

 ubi

ubi plures quam alibi numi ſignabantur. Vid. Harduin. *Antiren. p. 16.* & 17. qui varia obſcura ſigna illuſtrat, e. g. B. S. L. C. *Officina II. ſignata Lugduni*: nam Bita numerum dualem continet; quæ nota in Juliani numo eſt; in alio Valentis ſe legendas præbent literæ SISC. P. Z, quas ita explicat: *Siſciæ percuſſa*, Zita ſeptimam exprimit officinam. In Conſularibus numis & Imperatoriis alii inveniuntur nodi, inſtar Gordii indiſſolubiles, quorum Alexander inter eruditos nondum comparuit. In familia Tarquilia numus hunc numerum continet XXX; numus ex Maria familia in averſa habens aratorem agentem boves, ſub illis impreſſum habet numerum XXVIII, cum SC. & alius ejusdem familiæ ac figuræ numerat XXXXIII. Numus M. Antonini exhibet leonem. & in imo A. XL. vel A. XLI. In numis baſſi imperii, Tiberii, Conſtantini & Phocæ conſpicitur XXIII. XXX. XXXX. XXXXIIII. XXXXV. Quod non ſit annorum ſeries, evincit annorum epocha ipſis adjuncta, e. g. ANNO I. II. III. De his ſignis nihil plane dicere licet; abrodunt enim ungues intuentes illa eruditi, & nos cum illis docte ſatis ignoramus. Hoc vero non abſimile eſt, quod, ſi inveniantur in auro, ſeſtertiorum vel aſſium valorem indicare poſſint, quorum exempla ſupra adduximus.

Numeri in Conſularibus & Imperatoriis incogniti.

Numorum ordo ab Oiſelio diſpoſitus.

§. XV. Mantiſſæ loco haud incongruum erit, eum ordinem recenſere, in quem redegit Oiſelius antiquos numos, in *Theſauro ſelectiorum numiſmatum antiquorum*; pulchrior enim haud concipi poteſt modus numos in cimeliarchio diſponendi. *Primo* omnium, quotquot reperiri poſſunt Imperatorum capita, ex ſucceſſionis nexu ponit: *Secundo* omnes averſas partes collegit, quæ *Geographiæ* inſervire poſſunt, h. e. qui vel populum, vel civitates, vel fluvios, vel montes, vel provincias celebrant. *Tertio* Deos Deasve ſeriem continuare jubet; quibus jungit Virtutes, quas *Deos ſecundi ordinis* vocant, quales ſunt Conſtantia, Clementia, Moderatio &c. *Quarto* ſequuntur *Monumentorum* publicorum ſimulacra, qualia ſunt, ludi publici, theatra, circi, liberalitates, congiaria, officia, magiſtratus, adoptiones conjugia, adventus in provinciam vel urbem. *Quintum* numerum Bello ſupplet, ad quod petinent legiones, exercitus, victoriæ, triumphi, allocutiones, inſignia legionum; quorum

rarum

rarum exemplum vidi apud Cl. Sperlingium, Antiquarium Danicum, qui viginti quatuor legiones M. Antonii IIIViri unius Imperatoris, haud interrupta ſerie in argento poſſidet. Rara certe felicitas, numos toto orbe diſperſos ordini ſuo reſtituere & numero. Caſus illi fere parallelus, quem Vicus memoriæ dignum judicavit *L. 1. c. 7.* Rara collectio numorum. Nimirum eques Hieroſolymitanus, nomine Martinus, propter mœnia Rhodi ſtatuam erutam impetravit; ſed altera pede mancam: hanc cum Venetiis Epiſcopo Bembo oſtendiſſet, forte fortuna pedis fragmentum hic poſſedit, in agro Patavino effoſſum, quod ex ejus liberalitate in totum corpus ceſſit. *Sexto* Oiſelius eos numos componit, qui *religioni* inſerviunt, nimirum, qui referunt templa, aras, ſacerdotes, ſacrificia, inſtrumenta ſacrificalia, ornamenta augurum & pontificum; ad quod genus pertinent numi apotheoſes celebrantes, ſeu conſecrationes; quæ, ſi Auguſtorum ſint, indigitantur per Aquilas & Pavones; nec non per carpentum cum duobus mulis, ceu patet ex numo *Memoriæ Agrippinæ* & aliis: Imperatorum autem hujus peractæ rei ſymbola ſunt aræ, templa, currus duobus aut quatuor elephantibus motus, vel quadriga equorum. Hæc ſunt, quibus dictis pedem figere fas eſſet, ſiquidem nobis animus tantum erat, numorum notitiam juris intellectui accommodare; ut autem una fidelia duos dealbare parietes queamus, unum alterumve adjicere liceat, quæ numorum explicationi conducunt.

CAPUT XIX.

Inſcriptiones in numis. Officiorum tituli, Conſulum tempore & Imperatorum. Gratianus primo Pontificatum depoſuit. Illuſtria Principum facinora. Nomina Romanorum quotuplicia. Tituli quibusdam Impp. proprii. Dii certi ab Imperatoribus culti. Tituli in quo caſu poſiti. Tituli Græcarum Civitatum. Vota pro Imperatoribus ſuſcepta. Tituli Imperatorum. Auguſtorum Tituli. Adoptivorum. Ordo ponendi Inſcriptiones. Numi ſine Inſcriptione.

Inſcriptiones in numis occurrentes, quæ Perſonam reſpiciunt.

§. I. INſcriptiones numiſmatum accuratius indagandæ ſunt, quas Jobertus in ſæpe laudato libello, cui titulus; *La Science des Medailles*, inſtructione VI. ſatis erudite & methodice illuſtravit, quem nos ſequi hic fateri decet, ne quis plagii nos arguat, vitii, a quo animus noſter quam maxime eſt alienus: ſit enim cuivis ſcriptorum ſua gloria, ſervata tamen nobis addendi diſcutiendique libertate, quod naturali juri conveniens eſt; ſi & nos in diſſenſu erramus, magis veritati locus ſit, quam philavtiæ. Meretur præ cæteris, ut Latinitati donetur hic libellus, quo eruditius ſcriptum hujus generis non invenies. Explicavimus jam antea, qualis ſit differentia Circumſcriptionem inter & Inſcriptionem, quorum vocabulorum ſenſum ſcire juvat, ne abutamur iſto, quod exprimere illis oportet. Gaudent itaq; *Officia*, in numiſmatibus ſignata, certis ſuis inſcriptionibus; quæ autem alia ſunt tempore Conſulum, ſublimiora in numis Imperatorum. Illa jam alio loco notavimus; ſunt autem *IIIViri Monet.* AAAFF. *IVViri Monet.* ſub Julio Cæſare, qualis numus exſtat in familia Æbutia. In familia Cælia *Acilius IIIVir valetudinarius* cernitur. Familia Cornelia exhibet *IIViros & IIIViros Coloniarum.* Familia Æmilia *VIIViros epularum* habet. In familia Alina *Curator denariorum Flandrorum;* Antonia ſuppeditat *Æditus, Quæſtores &c.* Sed in imperio, ſeu tempore Imperatorum, non niſi illuſtris nominis officia in numis obſervantur, ut *Augur, Pontifex Maximus*, vi cujus officii, Imperatores, omnium rerum ad religionem pertinentium, ſummi erant arbitri; quæ digni-

Officiorum inſcriptiones.

Imperii tempore officia, Augur, Pontifex.

tas,

tas, ab Auguſto ad Gratianum uſque, Imperatoribus conjuncta fuit; qui tandem illam repudiavit circa Imperii ſui finem, & noluit audire *Pontifex Maximus*, pietate forſan ductus. Zoſimus narrat, quod eo tempore, augurando hæc verba pronunciaverit clericus quidam: *Si Imperator non vult Pontifex appellari, brevi maximus fiet Pontifex.* Titulus *Tribunit. poteſt. Conſul. Proconſul.* non uſurpatus fuit ab Imperatoribus niſi extra Romam degerent. Durante alto Imperio, nomen Imperaroris, tanquam majus, hæc minora comprehendebat; nam poſt Trajanum tantum Diocletianus, Maximinus & Conſtantinus hoc titulo uſus eſt, qui nolebant perire libertatis ſpeciem. Tempore tandem Juſtiniani plane in deſvetudinem abiit, ita ut ne quidem alius hoc lemmate inſignitus fuerit. Si numus capite deſtituitur Imperatoris, ejus vicem ſupplet actio in illo notata, vel pro lubitu averſæ partis titulus etiam effigiem virtualiter exprimit, e.g. Numus in honorem Tiberii obſignatus, poſtquam terræ motu in Aſia dirutas civitates reſtituerat, in altera parte ſedens conſpicitur Imperator in cathedra curuli, addita inſcriptione: *Civitatibus Aſiæ reſtitutis*; altera titulum tantum exhibet: *Tiberius Cæſar Divi Aug. Fil. Auguſtus Pont. Max. Tr. Pot. XXI.* In quibusdam vero numis neceſſario figura Principis ejus caput refert, ut in numo Germanici; in una parte inſidet currui triumphali Germanicus, addita circumſcriptione: *Germanicus Cæſar*; quæ antica pars eſt; in altera, nimirum poſtica, videtur miles cum ſignis militaribus, inſcr: *Signis receptis devictis Germanis.*

Titulus Tribun. plebis.

Numi capite deſtituti, ejus loco titulum habent.

§. II. In numis civitatum, expreſſio Provinciæ, loco circumſcriptionis eſt: nam anticam occupat ut plurimum genius civitatis aut provinciæ, aut Deus ibi cultus; inde verba addita aut Deum nominant, aut terram, interdum utrumque e.g. Ἀντιοχέων Συρακοσίων &c. Ζεὺς φίλιος Συρακοσίων, Ηρακλέυς Θασίων. Nihil autem officit, ſive nomen Civitatum in poſticam rejiciatur, ut nomen Dei tantum reſtet in antica, ſive nomen civitatis Deo circumſcriptum ſit, e.g. *Jovi Hammoni* Καλαυαίων, *Herculi* Μεσσανίων. Horum numorum poſticam ſæpius tantum occupat Civitatis ſymbolum, vel cum vel ſine inſcriptione; additum eſt interdum cujusdam Magiſtratus nomen Αρνεαταίων ἐπὶ Σωπάτρου. *Illuſtrium Principum facinora*

Numorum Civitatum circumſcriptiones.

Illuſtrium Principum facinora.

cinora poſticæ impreſſa ſunt vel naturaliter, vel ſymbolice; illius exemplum eſt Trajanus, Regi Parthorum coronam imponens, additis verbis: *Rex Parthis datus;* hujus, ſi quando Julii & Auguſti victoria crocodilo ſit expreſſa, *Ægypto capto*. Hoc modo aliæ victoriæ coronis, palmis, trophæis, indigitatæ ſunt, quibus inſcriptio locum rei peractæ addit, ut in Auguſti numo: *Aſia ſubacta*, in Veſpaſiani: *Judæa capta;* Trajani: *Armenia & Meſopotamia in poteſtatem Populi Romani redactæ;* in quibusdam ſolum provinciæ ſubactæ nomen additum eſt, ut in M. Aurelii *de Germanis, de Sarmatis*. Cæterum omnes inſcriptiones anticarum partium, nihil aliud ſunt, quam corporum eorum explicationes, quibus adjectæ ſunt, cum quibus relationem quandam ſpecialem habent; ita ut inſcriptio ſine corpore, corpus autem ſine inſcriptione, nullum plenum præbeat ſenſum. In qua perfectione numi priorum temporum, eos imperii baſſi longe ſuperant, ut puta, qui generali titulo conſvetudinis cauſſa, raro meritorum, hæc vel illa verba ſolennia Principibus tribuunt, ut: *Gloria exercitus. Felix temporum reparatio.* Virtutes Imperatorum, quibus maxime erant conſpicui, non ſolum per conſveta ſymbola cognoſci poſſunt, ſed ipſis nomen additum eſt, quod vel ſimpliciter in Dativo caſu legitur, ut: *Moderationi, Clementiæ, Juſtitiæ;* vel cum applicatione ad Imperatorem expreſſa, ut: *Spes Auguſta*, vel *Spes Auguſti*, *Conſtantia Auguſta*, vel *Conſtantia Auguſti*. Nomina Romanorum multifaria ſunt, quæ numis inſcripta reperiuntur: eſt autem *Pronomen, Nomen familiæ, Cognomen, Agnomen. Pronomen* eſt perſonæ proprium, ut Publius; *Nomen familiæ* genti commune, ut Cornelius; *Cognomen*, quod ramos familiæ dividit, ut Scipio; *Agnomen* eſt epitheton, ut Africanus. Raro tamen omnia in numis reperiuntur, ſed tantum tres, ut *Lucius Scipio Africanus*, in quo nomen gentis Corneliæ omiſſum. Interdum Pronomen tantum, ut *Cajus & Lucius* Auguſti filii; Neronis vero numi nomen pariter & cognomen familiæ, in quam erat adoptatus, præ ſe ferunt, ut *Nero Claudius*. Agnomina in numis Auguſtorum non rara ſunt, quæ a provinciis victis ortum trahunt, ut *Britannicus, Armeniacus, Dacicus, Parthicus, Maximus, Germanicus, Adiabenicus*.

Inſcriptiones, corporum ſunt explicationes.

Virtutes Imperatorum.

Nomina numis inſcripta quotuplicia?

§. III.

§. III. Sunt etiam quibusdam Imperatoribus tituli quidam proprii, ut Trajano, *Optimus Princeps*; Commodo, *Felix*; quem, ut diximus, cum nomine *Pius* primus conjunxit. Tituli magnitudininis ſemper in poſtica leguntur, ut *Genio Senatus, Genio exercitus, Genio populi Rom. Reſtitutor orbis terrarum &c.* Putat quidem Jobertus, quod Auguſtarum tituli, *Mater Caſtrorum, Mater Senatus, Mater Patriæ*, ſemper in antica inveniantur, ut *Pater Patriæ*; quod quidem in Fauſtinæ numis concedo, ſed Juliæ Piæ numus ab ipſo allegatus ſuæ aſſertioni contrarius eſt; ejus antica exhibet caput Juliæ, *Julia Pia Auguſta*; in poſtica videre eſt Julia ſtans, cum ramuſculo & haſta, inſcriptio: *Mater Augg. Mater Senatus, Mater Patriæ.* Hi incongruentes tituli a Livia proficiſcuntur, *quam Parentem & Matrem patriæ appellandam Patres cenſuiſſe*, Tacitus memorat *L. 1. Annal. c. XIV.* Hæc Julia etiam in quibusdam numis vocatur *Mater Deûm*; vid. Vaillant. *Tom. 1. p. 118.* Honores Imperatoribus poſt mortem exhibiti, quibus Diis adnumerabantur, exprimuntur per verba *Conſecratio, Divus, Deus, Divo, Pio, Deo & Domino Caro*; idem denotant verba *Memoria, Felix, Memoriæ æternæ*, templis & aris addita; ſeu *Æternitas Auguſti*; raro occurrit *Perpetuitas Auguſti.* Ad Auguſtas hoc paſſu pertinet *æternitas, ſideribus recepta, Diva, Θεὰ.* *Beneficia* imperio, provinciæ, ſeu civitati exhibita, per pauca verba, ampliſſimi tamen ſenſus, exprimuntur, ut *Conſervator urbis ſuæ, Fundator pacis, Rector orbis, Roma renaſcens*; in numis Maxentii, Septim. Severi, Hadriani, Galbæ. Non deſunt numi, qui ſpecialiſſima Principum beneficia notant, ut in Alex. Severi, Caligulæ, Nervæ, *Reſtitutor monetæ, vehiculatione Italiæ remiſſa, Fiſci Judaici Calumnia ſublata* &c. Notantur etiam alia benefacta, quæ Principibus exhibita fuerunt; in numo Claudii modus, quo a Prætorianis receptus fuit: *Imperatore recepto.* Favor Neroni exhibitus, cum reciperetur in omnia ſacerdotum collegia. *Sacerdos cooptatus in omnibus collegiis ſupra numerum.*

Tituli quibusdam Imperatoribus proprii.

Mater Patriæ, mater Caſtrorum.

Honores Imperatoribus poſt mortem exhibiti.

Beneficia Principum.

Benefacta Imperatori exhibita.

§. IV. Monumenta publica etiam ſuis gaudent inſcriptionibus, in quibus hæc differentia notanda eſt: ſi inſcriptio poſita ſit in Genitivo aut Nominativo, exprimit, quod ipſe princeps illud ædificium exſtrui curaverit, ut *Macellum*

Monumentorum inſcriptiones.

Auguſti,

Auguſti, *Baſilica Vlpiana*, *Aqua Marcia*, *Portus Oſtienſis*; in Neronis, Trajani & Antonini numis. Si vero in honorem Principum erectum ſit, Dativum invenimus poſitum, ut *Romæ & Augusto*, *Jovi Deo*, *Divo Pio*, *Optimo Principi*, in Auguſti, Antonini & Trajani numis. Dii a Principibus maxima veneratione culti, ob ſingularia beneficia, etiam per Inſcriptionem diſcernuntur, ut in numo Numeriani Mercurius cum verbis: *Pietas Auguſti*; in Diocletiani numo: *Jovi Conſervatori*, *Jovi Propugnatori*; in Gordiani numo: *Jovi Statori*. In numis Auguſtarum tantum Deæ ob ſexus convenientiam cernuntur, ut Ceres, Juno, Veſta, Venus, Diana. Succeſſus felicis conjugii exprimitur per *Venus Felix*; optatum puerperium adſcriptum habet *Junoni Lucinæ*; fœcunditas Auguſtæ, *Veneri Genetrici*. Secunda Fortuna a Romanis ſemper magni habita fuit, inde tot numi hoc adoratum præ ſe ferunt Numen, ut *Fortuna Auguſta*, *perpetua*, *Fortunæ Felici muliebri*, *Fortuna manens*, *Fortuna obſequens*, *Fortuna redux*. In his caſus verbi nullam parit differentiam: nam eodem ſenſu vidimus, *Mars Victor*, *Marti Vltori*, *Martem Propugnatorem*, *& Martis Vltoris*. Hac occaſione notandum eſt, quod circumſcriptiones ſeu tituli Imperatorum vel in Nominativo poſiti ſint, *Cæſar Auguſtus*; aut in Genitivo, *Divi Julii*; aut in Dativo, *Imp. Nervæ Trajano Germanico*; aut in Accuſativo Μ. ΑΥΡΗΛ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ, qui numus in Goltzii Theſauro notatus eſt; ſed Accuſativus in Latina lingua minus uſitatus, ita ut Jobertus unicum tantum Gallieni numum in cimeliarchio Regis obſervaverit, *Gallienum Auguſtum*; in poſtica: *Ob conſervationem ſalutis*.

Dii culti ab Imperatoribus. | Fortuna. | Tituli in quo caſu poſiti?

§. V. Inſcriptiones, quas hactenus dedimus, magis perſonam reſpiciebant. Nunc eas inſpiciamus, quæ rei magis propriæ ſunt, & non niſi nomen ejus oſtendunt; quales ſunt civitatum, provinciarum, fluviorum; quæ nudum gerunt nomen, ut *Tiberis*, *Danubius*, *Italia*, *Valentia*; aliæ tamen qualitatem habent adjectam: *Colonia Julia Auguſta*, *Felix Beritus*. Civitates Græcæ privilegia appoſuerunt, quibus gaudebant, ΙΕΡΑC, ΑCΥΛΟΥ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, ΕΛΕΥΘΕΡΑC, ΝΑΥΑΡΧΙΔΟC, ΚΟΛΩΝΙΑC: per verba ΙΕΡΑC ΑC. indicant earum inviolabilitatem, qua non tenebantur criminis reos exhibere; ΑΥΤ. denotat jus leges condendi proprias; ΚΟΛΩΝΙΑ expri-

Inſcriptiones, quæ res reſpiciunt. | Privilegia Græcarum Civitatum.

exprimit jus civitatis Romanæ; ΝΑΥΑΡΧΙΔΟC privilegium explicat habendi portum. Et immunitatem a tributis per ΕΛΕΥΘΕΡΑC jactitant. Verbum, quo æditυos ſe nominabant, jam demonſtratum eſt. Addiſcimus etiam exercituum & legionum nomina ex numis; inde nobis patefactum eſt, quod M. Anton. triginta circiter legiones numeraverit. Quædam legiones Claſſicæ erant, ut *Claſſicæ Leg. XX. Hiſpanicæ*; quædam certis titulis inſignitæ, ut in numo Gallieni: *Legio I. Auguſta ſextum pia ſextum fidelis.* Quin imo cohortes in numis inveniuntur, ut in Gallieni: *Cohortes Prætorianorum ſeptem.* In Auguſti: *Coh. Prætorianæ Philippis.* Exercitus a terra nominantur, cui præſidium erant, ut in numis Hadriani & Trajani: *Exercitus Dacicus, Exercitus Britannicus.* Exercitium militare in Caracallæ & Antonini numis reperitur: *Diſciplina Aug.* Orationes ad milites factæ: *Adlocutio Cohortium.* Juramentum fidelitatis a militibus præſtitum, in Hadriani numis hæc verba habet: *Fides Exercituum.* Ejus Imperatoris profectiones terreſtres exprimuntur per *Profectio Auguſti, Adventus Aug.* Maritimæ, *Trajectus Aug.* Ludi publici notantur per vaſa, ex quibus palmæ emergunt; de quibus vid. Dn. Morellii *Specimen, & ill: adjectas Epiſtolas quinque illuſtr. Spanhemii*, quæ hoc argumentum funditus illuſtrant. Nero certaminum quinquennalium autor eſt, per ejus numum, cujus inſcriptio: *Certamen quinquennale Romæ inſtitutum.* ΚΑΒΕΙΡΙΑ celebrabantur in Theſſalia, in honorem Cabir. ΘΕΟΓΑΜΙΑ in Sicilia repetebantur, in memoriam Proſerpinæ & Plutonis conjugii. CΕΟΥΗΡΕΙΑ autorem habent Septimium Severum. ΚΟΜΟΔΕΙΑ a Commodo ſunt inſtituta.

Inſcriptiones exercituum.

Ludorum publ. inſcriptiones.

§. VI. Vota publica pro Imperatoribus, ſingulis luſtris vel ſingulis decenniis celebrata ſunt; ut in numo Antonini, *Vota ſuſcepta decennalia*; & in alio ejuſdem Imperatoris effluxo hoc decennio, *Vota decennalia.* In Imperio baſſo hæc vota frequentiora ſunt, quæ interdum ultra terminum extenſa, quod per verbum *multis* aut *ſic* exprimitur, ut *Vot. X. mult. XX.* Sic X. ſic XX. h. e. *Votis decennalibus multiplicatis vicennalibus*; ſeu *ſicut decennalia, ſic vicennalia*; nunquam autem XXXX. excedunt. Horum votorum occaſionem dedit Auguſtus: nam cum duabus vicibus ſimularet, quod imperii regimentum deponere vellet, Senatus ſupplicatione

Votorum publ. inſcriptiones.

Occaſio votorum in Auguſto.

permotus, iſtud per decennium continuare permiſit; eo tempore conſtituebant vota publica pro Imperatoris incolumitate in hoc decennio conſervanda; quæ inſtructio Dn. du Freſne debetur *l. c.* In baſſo imperio poſt Diocletianum ſingulis luſtris vota repetita ſunt ex conſvetudine; ſed poſt Theodoſium deſiit, ut res Chriſtianæ fidei contraria. In Majorani numo quidem legitur *Votis multis*, ſed acclamatio quædam eſt, ut *Plura natalitia feliciter.* Nam & alia vota cernimus, ut in nummo M. Aurelii junioris *Vota publica*, pro felici ſucceſſu ejus matrimonii.

Imperatorum tituli. §. VII. Imperatorum *Tituli* multifarii ſunt, in numis occurrentes. Julius C. a Domini titulo abſtinuit, ut & Auguſtus, quod jam diximus; ſiquidem & omnes Imperatores Regis nomen fugiebant, nisi in Græcis inſcriptionibus, ubi ΒΑCΙΛΕΥC, pro Auguſto, vel conjunctim βασιλέως Αυτοκράτορος, *Rex imperans* conſpicitur. Julius Cæſar contentus erat appellari *Imperator*, *Dictator perpetuus*, *Pater patriæ*: ultimum exprimebant Græci per Π. Π. Πατὴρ Πάτριδος; ſed ſucceſſores rerum potiti pro lubitu eligebant, ſubjugato populo tacente, & magiſtratuum nomina & Deorum honores, ut Commodus *Hercules Romanus.* Auguſtus ſe appellari paſſus eſt ab initio, *Cæſar Divi Filius*; paulo poſt *Imperator*; poſtea *Triumvir Reipubl. conſtituendæ*; tandem *Auguſtus*; adjecit tamen *Tribun. pot.* Caligula retinuit *Imp. Cæſ. Aug.* Nam nomen Cæſaris in honorem hujus Imperatoris ſancte cuſtodiverunt, etſi, dum viveret, hoſtis libertatis cenſebatur, ab obitu tamen cædis autores, ut ſacrilegi a Senatu proſcripti ſunt, exſtructo eum in finem templo *Jovi Ultori* dicato. Claudius adjecit *Cenſor.* Vitellius modeſtiam ſimulans, ſolum Imperatoris titulum accepit. In ſolius Domitiani numis *Cenſor perpetuus* legitur. In baſſo imperio poſt Anaſtaſium *Perpetuus Auguſtus invaluit.* Aureliano primum titulum dedicarunt *Deo & Domino nato Aureliano*, quem nemo imitatus eſt, niſi *Deus & Dominus Carus*, poſt quem frequenter obſervatur. Interdum Imperatores ſub Deorum figura ſe Deos appellari paſſi ſunt. Ita inveniuntur Commodi numi, in quorum poſtica Imperator ſub Jovis forma ſedet, ad pedes aquila conſpicitur, in manu fulmen; inſcriptum eſt: *Jov. Exſuper.* hoc Patinus recte explicavit: *Jovi exſuperantiſſimo*;

Creſcunt poſt Julium.

Nomen Cæſaris.

Deus & Dominus.

quod

quod epitheton erat Jovis, ut ex lapidibus colligitur. Et ſic vocari amabat ſuperbus homo. Circa finem Imperii receperunt Principes titulum ΒΑϹΙΛΕΥϹ ΡΟΜΑΙΩΝ, *Rex Romanorum*, ut & ΔΕϹΠΟΤΗϹ, quod *Herus* ſignificat; in effe- ΔΕϹΠΟ-
ctu autem idem eſt, quod Cæſar, quemadmodum βασιλεὺς ΤΗϹ.
idem quod Auguſtus. Inde Stauratius filius Nicephori a patre coronatus nomen recepit Δεσπότης, relinquens patri titulum βασιλεὺς. Sed ſequentes Principes illum titulum huic prætulerunt, ut Conſtantinus, Michaël, Ducas, Nicephorus. Auguſtæ itidem ſe ſalutare fecerunt ΔΕϹΠΟΙΝΑ, ad imitationem Romanarum, ut Theodora Theophili, Auguſta. In familia Impp. Comnen. frequens eſt titulus Πορφυρογέννητος, quod nomen proficiſcitur a cubiculo Auguſtarum, In purpura
quod a Conſtantino pretioſo marmore rubeo ſeu porphy- natus.
rite exſtructum fuit, & ex hac ratione Imperatorum liberi *In purpura natos* ſe appellabant. Etiam Græcis non deficiunt abjectæ adulationis tituli, quibus Imperatores affecerunt. Singularis titulus eſt numi a Goltzio vulgati ΝΕΡΩΝ ΠΑΤΡΩΝ, ΠΑΤΡΩΝ
non diſſimilis illi Latino, *Senior & Dominus*, qui in Diocle- titulus.
tiani & Maximini numis tantum invenitur *D. N. Diocletiano* Senior.
Feliciſſimo Seniori Auguſto; idem autem ſignificat quod *Pater*. Diocletiano reſervatus etiam poſt ejus abdicationem: nam *in l. 2. C. Th. de Cenſu*, Conſtantinus & Licinius eum appellant *Dominum & Parentem noſtrum Seniorem Auguſtum*. Im- Principes
peratorum filii, Auguſti tempore audiebant *Principes juven-* juventutis.
tutis, ut Cajus & Lucius; poſtea invaluit nomen *Cæſaris* ab- Cæſares.
ſolute poſitum, quo nomine Imperii ſucceſſores inſigniti fuerunt. Ælius primum illud uſurpavit. Conjunctim *Cæſar Auguſtus* Imperatoribus ſacrum erat nomen, qui nominibus relictis perſonarum de ſe jactabant virtutem, nimirum Cæſaris & Auguſti. Ab Auguſto etiam proficiſcitur, quod hodierni Imperatores *Auguſti*, & eorum conjuges *Auguſtæ* vocentur: quanquam hoc Germanice exprimitur: Allezeit Mehrer/ oder allezeit Mehrerin. Titulus *Semper Auguſtus* a quibuſdam Friderico I. demum adſcribitur; ſed vero jam in Valentiniani inſcriptionibus reperitur. *Nobilis Cæſar* poſtea ti- Nobilis Cæ-
tulus erat proprius vel filiorum Imperatorum, quanquam im- ſar.
perio nondum erant aſſociati, vel exterorum, qui ad regendum imperium adoptati erant. Inde quatuor a Diocletiano

adſciti coadjutores, Conſtantinus, Maximinus, Severus & Maximinianus in numis vocantur *Nobilis Cæſar.* In imperio baſſo *Flavius* prædicatum idem erat, quod in alto Cæſar Auguſtus; eſt autem nomen familiæ Veſpaſiani, a qua Conſtantini originem in linea recta deduxerunt; forte ut præſtarent veritatem præſagii, cum Domitianus templum dicaret *Æternitati Flaviorum.* Exinde pleniſſimis titulis honorabant ſuos Imperatores, appellando *Novos Conſtantinos.* Exſtincta Conſtantinorum ſtirpe, Jovianus hoc nomen denuo aſſumſit, quin imo uſus continuatus fuit a Longobardicis, nec non a quibusdam Gothicis Regibus, ſed a tempore Heraclii & Conſtantini penitus defecit. Græcis Principibus uſitatus fuit titulus ΒΑCΙΛΕΥC ΒΑCΙΛΕΩΝ, cumprimis ejus avidi fuerunt Reges Perſarum, ut itaque eorum ſuperbiam eluderet Conſtantinus M., in ipſorum vicinia nepotem ſuum Hannibalianum provinciis circa Pontum Euxinum Perſiæ proximis præfecit, cum titulo βασιλεὺς βασιλέων. Deos etiam ſe ſalutari paſſi ſunt Græci, ut ΘΕΟC ΝΙΚΑΤΟΡ, & ſymbolis Deorum uſi ſunt. Ex quo imperio Romano ſubjecti eſſent, Imperatoribus idem tribuerunt, ut ΑΔΡΙΑΝΟC ΟΛΥΜΠΙΟC ΚΟΜΜΟΔΟC. Tantum honoris etiam acceperunt Auguſtæ; ſed Latini numi rariſſime Dei titulum præ ſe ferunt.

Flavius titulus. Novi Conſtantini. ΒΑCΙΛΕΥC ΒΑCΙΛΕΩΝ. ΘΕΟC.

§. VIII. Qualia epitheta Romani Imperatores in ſuos titulos receperint, jam dictum eſt, quæ interdum minus congruentia erant. Helvius ſuam conſtantiam exprimens, *Pertinacem* ſe appellavit; quod Severus imitatus eſt ſine cauſſa. Diocletianus ſe nominare permiſit *Beatiſſimum & Feliciſſimum*, quod etiam in Conſtantii numis obſervatur, *Victoria Beatiſſimorum Cæſarum.* Balbinus & Pupienus primi fuerunt, quorum moderatio titulum acquiſivit *Patres Senatus.* Auguſtæ non minorem venerationem adeptæ ſunt; per Liviam in ſequentes tranſiit Auguſtæ nomen, quod etiam illæ receperunt, quæ Imperatoriis non ſociatæ fuerunt thalamis, ut *Julia Tit.*, *Marciani Mathidia.* Julia Domina, ſuperbiſſima femina, nulla alia imitante, ſe appellavit *Piam Felicem Auguſtam.* De titulo *Mater Patriæ &c.* antea dicta ſufficiant. Imperii baſſi tempore titulo *Venerabilis* ſalutatas fuiſſe Auguſtas, teſtis eſt Dn. du Freſne, hanc inſcriptionem

Titulus incongruens. Beatiſſimus. Superbia Juliæ Dominæ. Auguſtæ venerabiles.

ptionem producens : *Piiſſimæ & venerabili Dominæ noſtræ Helenæ Auguſtæ, Matri Domini noſtri Victoris ſemper Auguſti Conſtantini, & aviæ Beatiſſimorum Dominorum noſtrorum Cæſarum ordo & populus Neapolitanus.* Inde literæ V. N. MR, in numo conſecrationis Conſtantini a gentilibus parato, in quo femina quædam cernitur, quæ Helena eſt, ſibi volunt *Venerabilis noſtra Mater.* In Græcis numis hic titulus etiam Imperatoribus communis eſt, nam CEBACTOC idem exprimit, quod *venerabilis.* Ita numus cum capitibus Valeriani, Gallieni & Valeriani jun. adſcriptum habet CEBBB. Hac lingua etiam Auguſta Σεβαςὴ dicta eſt; verbum autem Auguſti Græci exprimerent retento verbo, tantum literis Græcis, ut apparet in numis Gordiani M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. AΥΓ.

CEBACTOC. AΥΓΟΥCTOC.

§. IX. Fœdera præter hæc in numis expreſſa notari merentur, & ſunt vel ſanguinis vel amicitiæ; hujus exemplum eſt Ariobarzanis numus Cappadociæ Regis, cum inſcriptione : Φιλορωμαῖος, *Romanorum amator*; ejusdem generis ſunt Arſacidis numi Φιλέλληνες ſe nominantis; quemadmodum Ptolemæi ſe appellari fecerunt *Philopator, Philometor*; & Nicephorus Botaniates dictus, ex devotione religioſa & pia nomen Φιλόχριςος adeptus eſt. Fœdera ſanguinis ſeu cognationis non raro ſunt obvia in numis. Nam titulum Patris, Matris, Avi, Aviæ, Filii, Nepotis, Pronepotis invenire licet, ſive ſit ex procreatione ſive adoptatione, ut *Cajus Cæſar Divi Julii Filius.* Germanicus Cæſar *Tiberii Auguſti Filius, Divi Aug. nepos.* Cajus Cæſar *D. Aug. Pronepos.* Divo Maximo *Patri.* Divo Maximo *Socero.* Divo Romulo *Filio.* Divo Conſtantino *Cognato.* Agrippina *Mater Caj. Cæſaris Aug.* Sed vero ex iisdem etiam circumſcriptionibus quorundam adoptatorum ingratitudo cognoſcitur. Bonus alias Trajanus a Nerva adoptatus non diu iſtud cognomen retinuit; nam aſſumto imperio depoſuit nomen Nervæ, & tantum Trajanum ſe appellari paſſus eſt. Sed Hadrianus jus talionis in eum exercebat : nam protinus reliquit nomen *Nervæ Trajanus*, ſolo proprio recepto. Antoninus, pius Pinceps idem fecit Patri adoptivo; ſed hujus nomen ſex Imperatores ſequentes retinuerunt, nullo alio quam voluntatis nexu quæ nominum autem ſimilitudo ſeriem confundit. Imprimis in Caracallæ & Elagabali numis, qui ambo vocantur *Antoninus*

Fœdera vel amicitiæ, vel ſanguinis.

Adoptivorum ingratitudo.

ninus Pius,relicto proprio nomine, & non, niſi ex facie, diſcernuntur: nam Elagabalus labiis gaudet ſatis magnis; & Caracallæ facies minax eſt atque ſevera. Addita ſunt etiam numis Imperatoriis in civitatibus obſignatis, nomina magiſtratus,cujus autoritate cuſi ſunt, ut ΕΠΙϹΤΡΑΤΗΓΟΥ, aut ſimpliciter βάλβος ἀνθύπατρος. Ea ratione in numis Coloniarum Latinarum II Viri apparent.

Nomina magiſtratus.

Ordo ponendi circumſcriptiones.

§. X. Ordo ponendi circumſcriptiones naturaliter vadit a læva ad dextram; ſed quidam numi Conſulares & duodecim priorum Cæſarum, circumſcriptum habent titulum a dextra ad lævam, quin imo in quibusdam eorum dimidia pars inſcriptionis a dextra ad lævam, pars vero a læva ad dextram tendit, cum hac diſtinctione in Conſularibus, quod nomen capitis ante faciem poſitum ſit a læva ad dextram; iſtius autem nomen, qui numum cudi curavit, circa occiput a dextra lævam verſus tendit, in una tamen linea; exempli loco ſit numus Bruti in familia Junia,capiti ipſius ita circumſcriptum eſt: ꓕSƎƆ ˙ꓕƎƆ∀ꓶd ˙ꓶ .BRVT. IMP. Poſitio circumſcriptionis ſeu inſcriptionis ex ordine conſvetudinis circum caput eſt vel figuram, ſed interdum illam in imo numi invenimus, cumprimis inſcriptionem, ut *de Germanis & Sarmatis*; quædam lineas parallelas componunt; quædam crucis formam conſtituunt, ut in numis Julii; quæ omnia obſervationi curioſorum relinquuntur. Quanquam autem numi anima ſit circumſcriptio ſeu inſcriptio, reperimus tamen quosdam, qui hac parte nobiliore plane deſtituuntur, & hoc non tantum occurrit in Conſularibus numis, ſed etiam Imperatoriis. In familia Julia facies Julii ſæpius occurrit ſine titulo. Ad familiam Cæciliam Vrſinus refert numum, cujus altera pars Pietatis caput refert cum ciconia; in altera vero conſpicitur pedum augurale & vas ſacrificum, nulla plane addita litera. In Imperatoriis ejusdem generis aliquot cernuntur. Familiam ducit numus Auguſti, caput ejus exhibens ſine epigraphe, poſticam ornat ſtatua equeſtris, quam in ejus honorem Senatus erexerat: *Cæſar Divi Filius.* Alius Auguſti numus notabilis eſt,qui ex una parte ejus caput refert ſine inſcriptione; poſtica continet duas lauros cum nomine Principis: *Cæſar Auguſtus.* Poſticæ partes hujus farinæ anticis ſunt frequentiores, ad quas illæ

Numi ſine inſcriptione.

Conſulares.

Imperatorii.

illæ ſunt referendæ, quæ quidem SC. habent adjectum, ſed nihil faciens ad figuræ explicationem, aut etiam nomen monetarii; quorſum pertinent aliquot Pompeji numi, quorum figuris eleganter exornatæ averſæ nullam explicationem hariunt ex verbis additis: *M. Minatus Sabinus Proquæſtor.*

CAPUT XX.

Notitia Symbolorum in numorum antica. Capita in genere. Auguſtarum capita. Capita nuda. Capilli. Barba. Ornamenta capitum. Coronarum variæ ſpecies. Deorum capita. Buſtorum ornamenta. Ornamenta quibus manus occupantur. Amazonum ſymbola. Figuræ ad balteum uſque. Symbola poſticæ partis. Variarum rerum. Inſtrumenta ſacrifica. Deorum Dearumve ſymbola. Virtutum ſymbola. Fluviorum. Provinciarum. Coloniarum Religio. Animalia qualia ſymbola conſtituant?

§. I. NE quid deficiat, etiam notitiam ſymbolorum, ex laudati Joberti doctrina, auctam tamen, adjicere libet, qui plurima deſumſit ex dialogis Ant. Auguſtini, cujus illuſtris Scriptoris eruditio multis faciliorem reddidit viam aliquid addendum. Tale autem Lexicon ad numos intelligendos multum prodeſt, quorum verba quidem perſonam explicant, intacta autem ſymbola relinquunt, quibus ſunt exornata. Figura quæ in antica expreſſa eſt, vel nudum tantum caput exhibet cum collo, vel protome eſt cum humeris ſe protendens. Gallis *le Buſte*, quod etiam ad hujus imitationem technici *Buſtum* vocant. Interdum femuretenus cernitur corpus, quæ ſingula peculiaria recipiunt ornamenta. Capita vel nuda ſunt, vel certo modo veſtita. Feminarum vittæ variæ nullam fere recipiunt deſcriptionem; in Valeſianis æquiparantur ornamento muliebri hodierno, *Fontange* dicto. Sunt autem vel velata, vel faſciis involuta, vel cum capillis cincinnatis & ordine diſpoſitis, quæ ſumma earum cura fuit. Sabinæ triplex

[Margin: Notitia ſymbolorum ex Joberto & Auguſtino, anticæ partis.]

[Margin: Capita.]

[Margin: Auguſterũ capita.]

plex capitis ornatus apparet, vel enim flexi capilli, & veluti diademate cincti, vel coronæ inſtar diſpoſiti, vel surſum elati ſunt: lauro cinctum Helenæ caput eſt; aliarum capita in Luna falcata, Dianæ inſtar, collocabantur. vid. Dn. Struv. *Bibl. num.* Nuda capita Impp. annuunt, quod non ſint Imperatoris effigies, ſed filii, vel adoptivi, quales fuerunt Ælius ab Hadriano, Aurelius ab Antonino adoptatus. Attamen regula hæc eſt exceptionibus obnoxia; nam Conſtantinus junior & Conſtantius Cæſares, lauro coronatos videbis; Auguſti autem, Neronis, Hadriani capita nuda. Capilli Imperatorum gradatim & in ordinem ſunt diſpoſiti, qualis eſt Ottonis, quem adſcititium fuiſſe Svetonius notat *in Ottone.* Antinous fere ſolus capillis utitur criſpatis; hi cirrati vocabantur, ut a Perſio:

Nuda capita.

Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe
pro nihilo pendas.

Alexander Mammææ filius capillo utitur ad pectinem ſtrictim detonſo. Hadrianus primus barbam aluit; ſed jam Neronis tempore illa in uſu fuit.

Tu cum maxillis balanatum gauſape pectas;

Perſius canit, qui tempore Neronis vixit; in numis tamen ante Hadrianum non cernitur.

Ornamenta capitis. Diadema.

§. II. Ornamenta Capitis ſunt Diadema, Corona, Galera, Velum, aut aliud exoticum tegumentum. *Diadema* ornamentum antiquius Regibus proprium, in baſſo imperio tandem Imperatoribus omnibus commune factum. Textum eſt, non æqualiter latum, retro in nodum colligatum, gemmisque diſtinctum. Eorum frequentior uſus invaluit a tempore Conſtantini M., quo tempore etiam Auguſtæ illo coronatæ obſervantur, incognitus alto Imperio faſtus. Ante Conſtantinum Caligula & Caracalla illo jam uſi ſunt, ut Sext. Aurel. refert, Imperatores uſi ſunt gemmis diſtinctis, Cæſares vero ſine ornamento ſimplicibus. Imitati ſunt Imperatores reliqui Julium, geſtantes *coronam lauream* huic a Senatu conceſſam. Juſtinus primo *corona utitur clauſa*, quæ preſſior interdum eſt, interdum elevatior. Hæc corona a Dn. du Freſne *Camelaucium* vocatur. De *Corona Radiali* multa jam diximus; poſt fata primis Imperatoribus tantum

Laurea. Corona clauſa. Radialis.

uſur-

uſurpata. Nero vivens primo ſibi impoſuit; etiam Cæſaribus impoſita fuit; ita enim Cajus Cæſar, Juliæ Auguſti filiæ filius, in Smyrneorum numo apparet apud Triſtan. *Tom. 1. p. 134. 139.* vide etiam Getæ numum, quem allegavi *cap. 18. §. 7.* Variæ victoriarum ſpecies victori diſtinctas impoſuerunt coronas. *Roſtrata*, roſtris compoſita, pugna navali victoribus dabantur, qualem accepit Agrippa ab Auguſto, victa Pompeji & Antonii claſſe: hæc corona ſatis conſpicua eſt; nam turrita & navalis eſt ſimul. vid. Patin. in familia Vipſania. *Murales*, turribus exſtructæ coronæ, civitates expugnantes cingunt, quibus etiam utuntur Cybele, terræ Dea, & Genii provinciarum. *Corona Civica*, foliis quer- ceis compoſita, imponebatur *ob cives ſervatos*, quam principes ipſi amavere. Coronæ *ex Apio* eorum erant præmium, qui victores redibant ex ludis Iſthmicis, Corinthi celebrari ſolitis; in numo Neronis aliqua videtur expreſſa. *Coronam ex loto nexam* Hadrianus invenit in honorem Antinoi, & nomine ſuo appellavit ΑΝΤΙΝΟΕΙΑ, quæ in ejus numis conſpicitur. *Sacerdotes* ex craniis boum & vaſis ſacrificis, quibus inteſtina victimarum recipiebantur, conſtruebant coronam ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΑ dictam: alio etiam utebantur pileo, *Apex* dicto, quem in ſequentibus deſcripturi ſumus. Galeæ Romanæ differunt a Græcis; quæ differentia in oculos incurrit: antiquiſſi-
Regum, Imperatorum & Deorum conſtituunt ornamentum.
mumGalea capitis Romæ alata eſt, ut Mercurii *Petaſus*; quorundam Regum cornibus ſunt armatæ, vel Jovis Hammonis vel Taurorum; quod Fortitudinis ſymbolum eſt. Imponunt etiamnum Galeæ cornua nobiliſſimæ familiæ in Germania noſtra, quibus nimirum antiqui Germani ebuccinabant prælia & torneamenta. Inde etiam l' art de Blaſon, a Blaſen a Meneſtrierio recte derivatur. Ejuſmodi cornua inveniuntur in numis, quibus de non devicta Germania Romani triumpharunt, & multum ſimilitudinis habent cum illis, quibus exornantur galeæ: ut erudite obſervat Dn. Ebnerus Patrit. Noricus ac ſeculi decus *in Theſibus Miſcellaneis*. *Ad Exotica ornamenta* pertinet *Mitra* Regum Armeniæ & Syriæ: Infulæ non ſunt diſſimiles, niſi quod ſerratæ ſint parte ſuperiori, expreſſa eſt forma in numi Abgaris Regis Edeſſæ. *Tiara* corona Perſica Papalem aſſimilat. His Regibus etiam aureum

Roſtrata. Muralis. Civica. Ex Apio. Ex Loto. Sacerdotū ornamenta. Galeæ. Cornua. Mitra Armeniæ.

capitis arietini figmentum, interſtinctum lapillis; pro diademate erat. *Pileo* Phrygiæ aut Armeniæ Reges quidam uſi ſunt, ut Midas, Atys.

Pellis Leonis.

Pellem Leonis Græciæ Reges, Herculem imitantes, impoſuerunt, ut Philippus, Alexander. Hos ſecuti ſunt, Commodus, Alex. Severus.

Velum.

Velum Principum & Auguſtorum tegumentum aut Apotheoſin denotat, aut functionem ſacerdotalem. Nemini enim niſi Saturno nudis capitibus ſacrificabatur, qui veritatis pater: nam veritas latere non debet. Hoc gentile ornamentum ad Conſtantinum uſque in numis reperitur.

Nimbus.

Nimbus in Imperio baſſo conſvetus in Mauricii & Phocæ numis cernitur; ſplendor ſeu fulgidum lumen eſt circa caput circulum formans: Auguſtis etiam fœminis imponitur, ut Fauſtæ Conſtantini uxori. Vid. Morell. *ſpec.* 33. Poſtea Chriſtum & Mariam tantùm in numis illo ornavere.

Radii ſolares.

In alto Imperio aliquot Cæſarum capita *radiis ſolaribus* ſunt circumdata, qui differunt à Corona radiali & Nimbo.

Deorum capita.

§. III. Deorum capita aut coronis cincta ſunt, aut galea munita, aut velo & mitræ incluſa. *Laurea Corona* Apollini ſacra eſt & Genio Senatus, ΘΕΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ dicta & ΙΕΡΟΥϹΙΑ. *Corona ſpicata* ad Cererem pertinet; *Florea* ad Floram; *Hederacea*, aut ex *pampino* formata ad Bacchum; *Radii ſolares* ad Phœbum. *Galea* Marti imponitur, & Minervæ, ſi noctua exornata; *Petaſus alatus* Mercurio. *Pileus ſine margine* libertatis ſignum eſt, nec non Vulcani, Cyclopum & Fabrorum; ſi ſtella adpoſita eſt, Caſtoris & Pollucis, ovorum putamina ſunt. *Pileus Phrygicus* in acumen aſſurgens retro curvatus ad Deum pertinet, Lunus dictum. *Modius* Serapidi & Geniis impoſitus, providentiam indigitat; nam omnia menſura peragit. Sanitatis Deus Teleſphorus *Cucullum* portat, quo hodie utuntur nautici. *Flammeam*, velum magnum eſt, Junoni Pronubæ medium corpus tegens: Juno, Soſpita dicta, *pelle caprina* utitur duobus cornibus armata. Quorundam

Ægyptiorũ Deorũ ornamenta.

Deorum Ægyptiorum capita nuda quidem ſunt, addito tamen ſymbolo diſcernuntur. *Apis* taurus eſt, intra cornua flos Loti conſpicitur, frons albo ſigno diſtincta eſt, & ſupra caput cornutam gerit lunam: *Oſiridis* figura eadem eſt. *Iſis* & *Canopus* in fronte ornantur flore, lilii magnitudinem ſuperante, a Græcis Ἀβρότονον dicto; Canopus utriuſque generis eſt, & idem ſymbolum retinet. Dea tamen ſub nomine

Eume-

Eumemythis intelligitur. Spes eodem flore utitur. *Pantheon* caput eſt Principis, variorum Deorum ſymbolis exornatum, quale nobis ſiſtit numus Antonini Pii, & Fauſtinæ junioris, quæ per modium Serapidem refert: Sol eſt corona radiata; Jupiter Hammon per cornua, Pluto per barbam, per tridentem Neptunus, Æſculapius per ſerpentes brachium vinculantes deſignantur. Hæc Deorum compoſitio heterogenea proficiſcitur a Laribus, qui Dii erant domeſtici, referentes ceterorum Deorum ſymbola in una ſtatua, unde Pantheon ortum. Varias eorum figuras, doctiſſimo commentario illuſtratas, exhibet Baudelot. de Dairval. *in l'utilite de voyage P. 1.* & Nicaſius *in diſſert. de numo Pantheo Hadriani Imp.*

Pantheon quid ſit?

§. IV. Figuræ cum Brachiis apparentes, *Buſta*, quæ metallionibus impreſſa ſunt, & tempore ultimi imperii, etiam minimis in numis reperiuntur, certis notantur ſymbolis, quibus manus occupantur. Eſto primum *Globus mundi*; ad denotandum mundi Imperium inſidet ſæpius globo Victoriola, indicans, bellis partum hoc orbis fuiſſe imperium; Auguſtum illo ſuo tempore uſum fuiſſe teſtatur Iſidorus *L. XVIII.* Origin. *C. III. Pilam in ſigno conſtituiſſe fertur Auguſtus, propter nationes ſibi in cuncto orbe ſubjectas, ut magis figuram orbis oſtenderet.* Conſtantinum illo adhuc uſum eſſe cum Victoriola, teſtis eſt numus aureus a Morellio vulgatus *Spec. p.* 83. ſed ſequentes Imperatores Chriſtiani eo loco Crucis ſignum poſuerunt; quale Benedictus Pontifex dono obtulit Henrico Secundo, ut totum orbem ſub crucem redigeret. *Sceptrum* manu gerebant Imperatores, ſi habitu Conſulari induti eſſent; in apice cernitur globus, cui inſiſtit aquila: quo denotatur, Principes regere propria autoritate mundum. Hujus moris Auguſtus autor eſt; ſed Phocas ſceptro impoſuit crucem, quem reliqui Imperatores ſecuti ſunt. Si capita galea ſunt armata, *lanceam* etiam manibus gerunt, quæ humeris interdum impoſita cernitur: ſin togati ſint, *Ferula* loco ſceptri eſt, ΝΑΡΘΗΞ dicta; unde Græci Principes ſalutabant *Narthicophores*; in apice preſſior cubus eſt quadratus. *Labarum* in familia Conſtantina uſitatum eſt monogrammate ☧ inſignitum, ſeu Α. & Ω. *Faſces*, inſignia Magiſtratuum ac Conſulum, ſunt duæ perticæ, ex quibus faſciculi virgarum

Buſtarum ornamenta. Globus mundi. Cum Victoria. Cum crucis ſigno. Sceptrum. Cum globo. Cum cruce. Lancea. Ferula. *Labarum.* Faſces.

cum ſecuri incluſa dependent. Plutarchus ita exponit, ut per virgas ſignificaretur, corrigendum eſſe à Magiſtratu, quod mutari poſſit; & puniendum, quod non poſſit. *Fulminis* forma Auguſti & aliorum numis addita, ſupremæ poteſtatis τεκμήειον eſt: ſæpius enim, præter caput, figura quædam ſuperaddita, in antica cernitur; ita videmus Victoriæ & Capricorni ſigna in numis Auguſti; aquilam & laurum in Tiberii; ſerpentem in Neronis. Vid. Dn. Struvii *Biblioth. numiſm. p.* 152. A tempore Anaſtaſii Imperatores manu tenent Sacculum, ſeu volumen rotundum, oblongum: dicunt quod ſit ſtrophiolum complicatum, quo expanſo ludis publicis initium facerent; nam Conſules etiam illo ſunt inſigniti. Alii dicunt, quod ſit ſacculus cinere impletus, nomine ΑΚΑΚΙΑ', in coronatione adhibitus, ut mortalitatis memores eſſent & innocentiæ; alii chartam eſſe aſſerunt. In numis Græcis Byzantinis Impp. tenent crucem illam duplicem, Ungaricam dictam; ut in numis Conſtantini conſpicitur, ubi Imperator cum Auguſta Hierene hanc crucem tenent: ille dextra, hæc læva manu: putant quidam, quod ſint duæ cruces, major & minor, ſibi invicem oppoſitæ; ſed modus tenendi aliud ſuadet, & alius Conſtantini numus, in quo Imperator cum Auguſta, eadem poſitione, crucem tenet ſimplicem. Vid. Auguſt. *dialog. I. p.* 19. *Luna* creſcens baſis eſt Auguſtarum, ſcilicet ut ſol & luna eſſent conjuncti: Deus Lunus eam humeris portat; nam lunam eſſe maſculi generis perſuaſi erant gentiles. Buſtum *Amazonum* ſecuri armatum eſt, Pelta dictum. Cabires *Malleo* magno ſunt armati duorum Capitum. Vulcanus *forpice & malleo*: quæ inſtrumenta in poſtica una cum unco expreſſa monetariam officinam ſignificant. *Anubis* Deus, canino capite ſpectablis, manu tenet *ſiſtrum* Iſidis. Figuræ ad balteum uſq; ſe protendentes, ut dictum eſt, in Metallionibus cernuntur; in iis videntur galea, clypeus, equus capiſtro impeditus; ad indicandam victoriam in bello aut ludo partam.

[Margin: Fulmen. — Forma oblonga, quæ ſacculus eſſe dicitur. — Luna falcata. — Amazones. — Anubis.]

§. V. Hactenus Anticarum partium ſymbola; nunc etiam poſticarum veniunt explicanda. Hæc vel figuris ſunt annexa, vel ſine eis reperiuntur; vel figuræ ipſæ loco ſymboli ſunt; quædam multis figuris ſunt communia, quæ Inſcri-

[Margin: Symbola poſticæ partis.]

ſcriptione diſtinguntur; alia inſcriptionem ipſam ſupplent. Nam figura aquilæ inſidens & fulmine armata etiam ſine inſcriptione pro Jove habetur. *Haſta*, ſpiculum eſt ſine ferro, vel potius ſceptrum antiquum longius, omnibus Diis commune, clementiam indicans; olim, teſte, Juſtino adorabat populus ſceptrum loco Deorum. *Patera*, vas ſacrificum, itidem omnium Deorum ſymbolum eſt, primi & ſecundi ordinis. Principibus etiam attributum fuit, quia Pontifices erant Maximi; inde coram ara pinguntur ex patera ſuper ignem effundentes. *Cornu Amaltheum* ſeu Copiæ omnibus Deis, Heroibus & Geniis competit; divitiarum ſignum eſt: duo abundantiam indicant ſingularem. *Caduceus* baculus alatus eſt duobus ſerpentibus intortis, Potentiam exprimit, Prudentiam & diligentiam; Mercurio dicatus quidem eſt, ſed etiam aliis attribuitur in ſignum moderationis, pacis & felicitatis, Symbola Deis ac Virtutibus propria, infinita fere ſunt: explicanda ſunt potiora. *Thyrſus* ſpiculum eſt, qui hederæ & viti intortus; Baccho ſacer, & iis, qui ad illum pertinent; furorem vino contractum exprimit. *Fulmen* in manu ſeu circa caput poſitum, Jovem nominat fulminantem; etiam quibusdam Imperatoribus addidit adulatio, ut dictum eſt. *Laurus* Victoriam exprimit; *Olea* Pacem: aliæ plantæ, Provinciarum ſunt inſignia, ut Roſa Inſulæ Rhodi. *Junctæ manus* fœdera, amicitiam aut concordiam notant. *Inſignia militaria Aræ impoſita* Coloniam ſignificant a veteranis militibus ædificatam; plura inſignia tot legionum milites exprimunt: *Gubernaculum* globo impoſitum, cui navis addita, denotat ſupremum mundi regimentum. In numo Julii junctum eſt Caduceo Cornu copiæ; & mitra Pontificalis: hoc eſt, *Cæſar regit Rempublicam, Pacem, Religionem feliciter*. *Clypei* exprimunt votum pro Principe ſuſceptum, (inde *Clypei votivi*) aut Principis protectionem ſubditis præſtitam: Aris vel templorum columnis affigebantur. *Urnæ*, ex quibus palma protendit, ludos indicant publicos; ſæpius additum eſt ſimpuvium ſeu vas, quo libationes peragebantur, quæ ludis ſemper conjunctæ erant. Navis mota ſignificat lætitiam, felicitatem, bonum eventum, & certitudinem; ſi ad pedes conſpiciatur figuræ turritæ, denotat, quod ſit Civitas maritima gaudens portu; ſin vero adſtent alatæ Victo-

Haſta. Patera. Cornu copiæ. Caduceus. Thyrſus. Fulmen. Laurus. Junctæ manus. Inſignia militaria. Gubernaculum. Clypei. Urnæ. Navis.

Ornamentum navis incurvatū. riæ, victam claſſem hoſtilem deſignant. *Navium ornamentum incurvatum*, ἀκροτήειον dictum aut ἀκροςόλιον, Victoriam claſſicam etiam exprimit, interdum civitates maritimas, ut eſt Sidon. Uva. *Uva* lætitiam, gaudium, & terram vino fertilem perhibet; Cithara. *Cithara* civitatis ſymbolum eſt, quæ Apollinem coluit. Modius. *Modius*, ex quo ſpicæ & papaver ſurgunt, Abundantiam laudat & frumentum aliunde advectum tempore famis. Signa Militaria. *Signa Militaria*, quorum quatuor interdum numerantur, ut in Trajani numo, exprimunt aut Victoriam legionum, aut juramenta fidelitatis, aut ſunt ſigna hoſtibus erepta, vel ab iis recepta. *Aquila* primum legionis ſignum eſt; alia animalia ſunt cohortium. Vexillum. *Vexillum* equeſtre ſignum eſt. Lituus. *Lituus* inſtrumentum eſt, in lineam ſpiralem ſe terminans; Haruſpicis ſymbolum & Augurum; per iſtud cœlum in partes dividebant, & futura præſagiebant. Notari meretur, quod hodiernum Epiſcoporum pedum paſtorale eadem figura gaudeat ac Lituus: & miror, quod gentile hoc inſtrumentum inter Chriſtianos adhuc conſervatum fuerit; de quo Canoniſtæ hanc myſticam faciunt explicationem: Curvatum eſt in ſummo, ut avulſos a ſede Romana retrahat; rectum in medio, ut fulciat imbecilles; in imo acutum, ut puniat peccatores. Vid. B. D. LINCK *de Jur. Ep. c. XIV.*

Apex. §. VI. *Apex & Filamen*, ſeu iſtud ornamentum, quo Flamines capita religabant, formam habet galeræ acuminatæ, cum duobus pendulis, Sacerdotium denotat & Pontificatum; Inſtrumenta ſacrifica. adduntur alia inſtrumenta ſacrifica, ut *Vas* continens aquam luſtralem; *Catinus*, ad reponenda inteſtina; *Cranium* animalis victimam denotans; *Aſcia* cum cultro ad mactandum; *Aſpergillum*, *Simpulum*, in quo oleum, quod victimæ infundebatur. Numus Cæſaris in familia Julia cum elephanto in poſtica hæc omnia exprimit. Vid. Patin. *in famil. Jul.* Sella curulis. *Sella curulis* officium notat ſive Ædilium, ſive Prætorum, ſive Conſulis, qui omnes jure gaudebant Sellæ eburneæ: ſi haſta interſerta eſt, Junoni eſt ſacra, quæ conſecrationi Principum adhibita fuit. Currus. *Currus* vel equis vel leonibus vel elephantis vectus, Triumphum vel Apotheoſin notat. Carpentū. *Carpentum* cum mulis, fœminis tantum proprium eſt, & Conſecrationem exprimit, vel honorem, quod earum ima-

imagines in ludos Circenſes deductæ fuerint. *Porta Civitatis* aut Turris a tempore Conſtantini uſitata cum verbo: *Providentia Auguſti,* Granarium publicum exprimit, ſeu urbem Conſtantinopolim, ſi ſtella ſuper illa appareat. *Calathus* fructibus aut floribus repletus fertilitatem denotat. *Pali vallares* tignum interſecantes, caſtra illis clauſa ſignant. *Tripus* cum Delphino & Cornice ſymbolum eſt XV. Virorum ſacrifaciundis Oraculis inſervientium & Sibyllis, quas data occaſione conſulebant pro Republica. Tripus enim & Cornix Apollini ſunt ſacratæ. Zodiacus cum ſole & luna, qualem refert numus Alexandri Severi, feliciſſimum Principis ſidus denotat, & ſtatum tranquillum omnium ſubditorum. *Parazonium* eſt pugio ſua forma carens: nam ab utraque parte extrema rotundus, inſtar hodierni radii regimenti; raro lateri alligatus cernitur; nam in numo Galbæ, ubi *Honor & Virtus,* Honor genu imponit, & in aliis numis aliam recipit poſitionem. Hinc dubitat Jobertus an Parazonium ſit? quippe capulo deſtituitur. Patinus *in Impp. p. 228.* in numo Antonini Pii *Scipionem* appellat. *Rota* exprimit, quod via publica vehiculationi ſit reſtituta, ut *Via Trajani*: ad pedes *Fortunæ* & *Nemeſis* etiam cernitur, illo loco inconſtantiam, hoc vindictam in ſceleratos publicam ſignat.

Calathus. Pali Vallares. Tripus Zodiacus. Parazoniū. Rota.

§. VII. Deorum & Virtutum figuræ, ſuo quævis utuntur ſymbolo, de qua materia cumprimis erudite ſcripſit Ceſare Ripa *in Iconologia, Padova 1628. 4to.* Videatur etiam Joh. Bocatii *Genealogia Deorum, Baſil. 1532: Les Images des Dieux par* Vincent Verdier; quod Latinitati donatum ſcriptum nominatur *Pantheon antiquum. Mogunt. 1687.* Lilii Gregorii Gyraldi *Deorum Hiſtoria, Baſileæ 1580.* De Deorum ſignis ſcire juvat judicium Spanhemii in Ep. ad Begerum: *Varia autem eſſe,* dicit, *χριτήεια haud ignota, quibus gentium Dii in numis & marmoribus antiquis deſignantur: unde etiam vulgo de ſingulis, ſeu quibus Numinibus tribui eadem debeant, haud dubium vel incertum licet ut plurimum judicium ferre. Vel enim cum notis aliunde ſingulorum ſymbolis ac typis; addito inſuper ipſius Numinis nomine ſignantur; vel ſi forte inſolitum præferunt cultum, ipſa exſtans in numo Dei epigraphe aut alia ſimul addita, & nota quidem illius ſymbola, aut vero clariſſima veterum ea de re teſtimonia eundem facile produnt.* Satis magna tamen difficultate laborat

Deorum cognitio; nam prout diverſus eorum reſpectus, ita diverſimode apparent. Inde Bacchus aliter, ut potatorum Præſes; aliter, ut Orientis Dominator. Diana quandoq; virgo, quandoq; puerorum nutrix habita; quandoq; Priapina, Lucina & obſtetrix Dea dicta. Et quod jam notavimus, Deum Lunum vocabant, Pollentemque Deum; Venerem, eundemque ut & Fortunam, maſculam & barbatam dicebant. Vid. Dn. Struvii *Biblioth. numiſ. ſect. III.* Nos brevitati ſtudemus, & conſveta Deorum & Virtutum ſymbola expoſituri ſumus. *Jupiter* fulmine utitur & aquila; *Neptunus* Tridente & Delphino; Dei marini *Melicerta, Palæmon & Portunus*, ſive ſit unus Deus trium nominum, ſive ſint tres Dii peculiares, repræſentantur figura infantis Delphino inſidentis, quod ſymbolum etiam Ludos Iſthmicos exprimit, quos in honorem Melicertæ inſtituit Siſypho. *Juno* Pavonem amat, avem in quam transformavit fidelem Argum. *Æſculapius*, Hygea & Salus diſtingvuntur ſerpentibus; *Bacchus* pampino coronatus lætitiam vino hauſtam notat: cantharo ad infundendum præparato inſtructus eſt, ad ejus pedes panthera docet, quod lætitia vini degeneret in ebrietatis furorem; altera thyrſum tenet; vehitur etiam Pantheris. *Canope* Ægyptiorum Deus olla pingitur terrena, cui ſuperimpoſitum caput, Iſidis flore ſuperbiens. Hæc perforata olla ubique cera obducta & aqua repleta, ſacro Perſarum igni impoſita, illam delevit, & Ægyptiorum Diis prærogativam obtinuit. Aſtarta. *Aſtarta* Sidoniarum Dea carpento inſidet duarum rotarum; nam ita per provinciam vehebatur, quum pecuniam colligerent publicam; ipſius figura incerta eſt. Cybele. *Cybele* turrita ob Civitates in terra extructas, leones ad pedes ipſius furioſum recenſent amorem, quo Atym eſt perſecuta. Ejus Pontifices ad ſacra peragenda utebantur inſtrumento, *Crotalum* dicto, quemadmodum Iſidis ſiſtro; eſt autem ſpecies tympani illi non abſimilis, quod hodie Biſcagicum appellamus tympanum. *Ceres* ornata eſt corona ſpicata; vehitur ejus currus ſerpentibus; Faces in monte Ætna accenſas tenet, quærendo Proſerpinam. *Diana* cognoſcitur Luna cornuta; arcu & pharetra, vehitur cervis. *Diana Ephefina* multimammia, eſt ſingularis formæ, habetur pro omnium rerum genitrice, fulta eſt duobus fulcris; interdum ad ipſius pedes duo cernuntur

Marginal notes: Crotalum tympanum. Ceres. Diana. Multimamia.

nuntur cervi, interdum boves; in capite calathum gerit
fructibus repletum: hujus myſterii explicationem publicavit
Meneſtrier ſub tit: *de Diana Epheſina*: *Venus* ſuperbit pomo Venus.
ipſi à Paride adjudicato; Cupido ſæpius in ejus conſortio
eſt, ſacratum habet gubernaculum, in ſignum amoris po-
tentiæ; cernitur etiam armata galea & clypeo, ut denotetur
ejus invincibilis fortitudo. *Pacis* ſignum eſt olivæ ramus, Pax.
vel fax accenſa, quam cumulo armorum admovet. *Provi-
dentia* virgulam gerit, quâ tangit globum; ſcil. quod mun- Providen-
dum regat: in Severi numis Meduſæ caput tenet. tia.

§. VIII. *Virtus* galeata depingitur ſiniſtra geſtans parazo- Virtus.
nium, dextra lanceam inverſam, calcans pedibus globum;
quæ Virtus militaris eſt, mundum ſubigens. *Spes* dextra Spes.
florem tenet trium foliorum, ſiniſtra veſtem retrahit, ut
commodius gradi liceat. *Conſtantia* figura galeata eſt, ha- Conſtantia.
ſtam tenens, digitum dextræ manus, indicem dictum, por-
rigit, affirmans quaſi rem conſtanter. *Indulgentia* turrita Indulgen-
Leoni inſidet dextra fulmen tenens, ſiniſtra ſceptrum; in- tia.
feros enim animos dominatur. *Abundantia* ſpicas tenet, ad Abundan-
pedes ſurgunt ex modio papaver & ſpicæ; id quod docet, tia.
Principem advehi curâſſe populo frumentum; idem expri-
mitur per navem appoſitam. *Pietas* velo implicita eſt ma- Pietas.
gno, porrectis manibus pingitur, ſupplicantium figuram
imitans; vel iſtis capſulam tenet thure repletam, ex quo aram
inſpergit; ad pedes *Ciconia* apparet, quia preces fundit publi-
cas & privatas; vel ob pietatem erga parentes: quam ob
cauſam hanc avem *piam* vocant Romani. In numis Marci
Aur. videtur Mercurius ſacculum tenens, altera caduceum
cum verbis: *Pietas Aug.* *Nobilitas* in numis Commodi & Nobilitas.
Getæ per figuram exprimitur haſtam dextra tenentem, ſiniſtra
Palladium, quæ minuta eſt ſtatua Palladis Trojæ culta; inde Palladium.
Albam portavit Æneas, donec Romam pervenit. vid. Dion.
Halicarnaſſ. *Libertas* tenet pileum libertatis: nam ſervi nu- Libertas.
do capite incedere cogebantur; in altera obſervatur virgula
Vindicta appellata, quibus à Prætore tangebantur. *Veſtam* Veſta.
cum face exprimunt, quæ ignem æternum indigitat, quo co-
lebatur. *Liberalitas* tabulam quadratam tenet, certis punctis Liberalitas.
diſtinctam, quæ notat frumentum aut pecuniam, quibus po-
pulum donavit Princeps; omnibus congiariis præſidet.

Pudicitia. *Pudicitia* velo cincta eſt, digitis os claudens, ſcilicet, ut veſtibus, oculis & verbis regulam præſcribat. *Securitas* ſellæ inſidet negligenter brachio innixa, ut oſtendat ſe nihil curare.
Securitas.

Fortuna. *Fortuna* ſtans pingitur, nec non ſedens, gubernaculum tenens; credebant enim gentiles, ſortem omnia diſponere ac dirigere. Appoſita eſt rota, inconſtantiæ ſignum, & cornu copiæ: nam cœca profuſione quævis bona mortalibus tribuit.

Figuræ mutilatæ Termini. *Figuræ mutilatæ* ſine brachiis & pedibus *Termini* vocantur. Polybius refert, quod ortum trahant à populis de limitibus diſceptantibus, qui lite compoſita ſtatuas ponebant in honorem Deorum, quos crediderunt præſediſſe amicabili compoſitioni ſuæ. Inde *Jupiter terminalis* à Crotoniatibus & Sybaritis cultus. *Æquitas* & *Moneta* bilance utuntur; ad exprimendam monetam tres ponunt figuras, quævis earum bilance inſtructa; ad pedes cujusvis cumulus cernitur, metallum denotans triplex A. A. A. Quanquàm jam Conſulum tempore Moneta Dea in numis reperiatur; attamen ſub figura bilancem tenente, Domitiani temporibus innotuit: Commodus vero tres figuras primò impoſuit. *Juſtitia* in numis Hadriani & Antonini Pii ſedens pingitur, tenens dextra pateram, ſiniſtra ſceptrum: primum deitatem denotat, alterum potentiam. Duæ figuræ, inter quas verbum OMONOIA cernitur, *Fœdus* exprimit duarum civitatum, pactum in aſpectu Deorum. Figuræ digitum ori imponentes, ad quarum pedes rota cernitur, vindictæ Deæ ſunt, *Nemeſis*; digitus ori impoſitus denotat, ne audeant loqui homines de juſtitia DEI. *Gratiæ* tres ſunt figuræ ſibi invicem porrigentes manus, nudæ etiam pinguntur, ut in numo Tranquillinæ. *Æternitatem* repræſentant tres figuræ velum expandentes ſupra caput, quibus notantur tempus præteritum, præſens & futurum. Æternitatem etiam figura exprimit tenens in altera Solem, in altera Lunam, quæ ſidera æterna crediderunt Ægyptii. *Furiæ* ſeu *Eumenides* armatæ ſunt ſerpentibus, face & pugione. *Parcæ*, quæ etiam ſub nomine *Fatarum v ctricium* veniunt, tres ſunt figuræ ſine omni ſymbolo. vid. Spanhem. *de præſt. & uſu Num. p. 838.* *Anni quatuor tempora* totidem exprimunt pueruli; *Hyems* veſtita eſt; *Ver* floribus refertum caniſtrum geſtat; falcem tenet *Æſtas*; *Autumnus* calathum frugibus repletum portat, & leporem. *Lapis ingens curru impoſitus* Solem ſignificat, qualem adora-

Jupiter terminalis. Æquitas. Moneta. Juſtitia. Fœdus. Nemeſis. Gratiæ. Æternitas. Furiæ. Lapis Solis

adorabat Elagabalus; quidam enim docebant, quod ſol can-
dens ſit lapis; ſtella ſuper eum apparens Phoſphorus eſt, quæ
hujus Imperatoris numos à Caracallæ numis diſtinguit. *Sol* Sol oriens.
oriens nuda eſt figura radiata circum caput, flagellum geſtans,
curſus rapiditatem exprimens. *Pyramis* ante templum po- Pyramis
ſita cum duabus columbis, *Venus* eſt, qualem Paphos adorat. Venus.
Sub montis forma adoratus eſt Jupiter, lapis dictus à Græcis ΖΕΥϹ Jupiter la-
ΚΑϹΙΟϹ, & ex eadem ratione credunt montem Cappadociæ pis.
Argeum, ſæpius videri in numis. *Fluvios* ſignificant figuræ Fluvii.
recubantes urnæ innixæ, quos etiam referunt figuræ na-
tantes. *Figuræ lecto impoſitæ* ſolennitatem exprimunt *Lectiſter-* Lectiſter-
nium dictam; quippe ut pellerent morbum contagioſum, pre- nium.
tioſis lectis Deos imponebant. Mos, ab Arnobio reproba-
tus, invaluit A. U. C. 356. teſte Livio.

§. IX. *Provinciis* etiam ſigna quædam propria fuerunt; Provincia-
ſive veſtimentis cognoſcebantur, ſive ſymbolis. *Africa* te- rum ſignū.
cta eſt capite elephantino, eam comitatur vel *ſcorpio*, vel *ſer-* Africa.
pens vel *leo*, hujus terræ animalia. *Aſiam* notat ſerpens aut Aſia.
gubernaculum: nam mari circumfluxa eſt. *Europa* ſymbolo Europa.
caret, numi enim referentes Europam à Jove ſub Tauri ſpe-
cie raptam *Seydenſes* numi ſunt. *Macedonia* equorum fertilis, Macedo-
eſſedario ſcuticam geſtans exprimitur; vel quia Sol ibi co- nia.
lebatur, ejus numi etiam Herculis clavam gerunt. *Mauri-* Maurita-
tania caballo inſignitur, vel virga ob ejus velocitatem, ita nia.
ut nec lupato uterentur, nec calcaribus. *Ægyptus* cognoſci- Ægyptus.
tur per ſiſtrum, Iſidem, vel crocodilum. *Achaja* utitur urna Achaja.
floribus referta. *Hiſpaniæ* cuniculoſæ nota eſt cuniculus; et- Hiſpania.
iam miles clypeo armatus & duobus ſpiculis, gentis fortitu-
dinem deſignans; ſpicas etiam geſtat ob terræ fertilitatem.
Gallia veſtita eſt ſago, militari veſtimento, & armata ſpiculo Gallia.
Gæſum dicto. *Judæa* togata eſt, & palmo diſtingvitur: nam Judæa.
pars eſt Phœniciæ hoc ſymbolo utentis, inde ΦΟΙΝΙΞ dicta.
Arabiam notat camelus in hac regione equi inſtar velox, Arabia.
ut Ariſtoteles perhibet; porro arundo iſta odorifera, & ar-
bor thuris. *Dacia* exprimitur fœmina ſpiculum geſtante, Dacia.
cui ornamenti loco, in apice caput aſininum impoſitum, ad
fortitudinem indicandam, magni enim habebant aſinum ve-
teres ζῶον ἀνίτλητον appellatum, cui Principes etiam inſide-
bant. *Siciliæ* ſymbolum caput eſt tribus femuribus cum flexis Sicilia.

genibus circumdatum; diſtingvunt femora totidem ſpicæ. Spicæ fertilitatem indicant; femora tria promontoria numerant. Falce etiam utitur. *Pannoniam* ſignant duæ fœminæ amictu hyemali indutæ, geſtantes ſigna militaria; fortitudinem populi & frigus terræ hoc explicat. *Italia* turrita Regina mundi, globo inſidet, cum cornu copiæ. *Germaniam* fœmina deſignat clypeo & ſpiculo armata prægrandi; populi fortitudinem exprimit. *Armenia* cucullo tecta eſt, arcu & ſagitta armata. *Parthiæ* ſignum eſt fœmina in morem gentis veſtita, arcum & pharetram geſtans. *Cappadocia* turrita eſt, vexillum tenet equeſtre, ob copias Romanis inſervientes, conjuncta eſt monte Argeo. *Meſopotamia* intra duos fluvios ſiſtitur longam gerens mitram. *Britanniæ* inſulæ figura gubernaculo innixa; addita eſt prora navis. Quævis civitas ſuo utitur ſigno & Deo, quod etiam ex inſcriptione cognoſcitur; Coloniarum religio, quantum ad numos, cognoſcitur ex vetere illo epigrammate:

Pannonia. Italia. Germania. Armenia. Parthia. Cappadocia. Meſopotamia. Britannia.

Dodona eſt tibi, Jupiter, ſacrata,
Junoni Samos & Mycena Diti,
Undæ Tænaros æquorisq; Regi,
Pallas Cecropias tuetur arces
Delphos Pythius orbis umbilicum,
Creten Delia, Cynthiosq; colleis,
Faunus Mænalon, Arcadumq; ſilvas;
Eſt tutela Rhodos beata ſolis,
Gades Herculis, humidumq; Tibur,
Cyllene celeri Deo nivoſa,
Tardo gratior æſtuoſa Lemnos.
Ennææ Cererem nurus frequentant,
Raptam Cyzicos oſtreoſa divam,
Formoſam Venerem Cnidos Paphosq;
Mortales tibi Lampſacum ſacrarunt.

§. X. Explicanda tandem ſunt animalia, quorum major pars civitatibus competit. *Lupa* Romulum & Remum lactans civitatum ſignum eſt jure civitatis Rom. gaudentium, quæ vocabantur Coloniæ Romanæ, quo ſigno uti non audebant civitates juris Latini. *Pegaſus alatus* Corinthi ſymbolum, quo Minerva Bellerophontem eo loco donabat, ut Chimæram vince-

Lupa. Pegaſus alatus.

vinceret. *Phœnix* renaſcens æternitatis ac futuri melioris temporis ſignum. *Aquila* & *Pavo* ad conſecrationem pertinent; poſterior etiam amorem conjugalem deſignat. *Cornix* concordiam exprimit. *Capricornus* horoſcopus Auguſti eſt, vi cujus Aſtrologus Theogenes imperium ipſi præſagiebat. Sed contendunt eruditi hodierni, ipſum non natum fuiſſe hoc ſigno. *Piſces Melancytes* ſeu thinni, civitatis ſignum, ubi capiebantur in abundantia, ut Conſtantinopoli. *Delphinus* anchoræ intortus, commerciorum libertatem ſignat, & imperium maris. *Canis rubro colore inquinatus* cum conchylio, Tyri ſymbolum eſt; ubi purpureus color per Herculis canem inventus: cui, dum piſces comedit hujus generis, pellis purpuraſcit: ſed canis raro in numis conſpicitur. *Cervus* Epheſum exprimit, & Dianæ ſacratas urbes. *Porcus* a duobus togatis ſupra aram accenſam tentus, fœdus ſignificat. *Bos* fortitudinis & patientiæ ſymbolum; Coloniarum etiam, quarum ambitum formabat, Pontifice ductus velato. Sacrificium etiam notat, cujus victima erat; hoc caſu cornua vittis & infulis ornata videntur. *Crocodilus* & *Hippopotamus* Ægypto proprius & Nilo. *Serpens* Æſculapii, Glyconis, ſalutis & Hygeæ ſignum. *Gallus* Luni Dei & Mercurii. *Sphinx* prudentiæ. *Harpyia* fortitudinis nota, Gabalam civitatem indicat & Cœleſyriam. *Caballus* Carthaginem nominat. *Equi paſcentes* pacem & libertatem deſignant, aut terram paſtu fertilem. *Elephantus* longævus æternitatem indicat, ſæpius ludos publicos aut Africam. *Animalia rariora* cum verbis *Munificentia Aug.* aut *Seculares Aug.* ſignificant Imperatorem ea produxiſſe in ludis publicis & ſpectaculis. Hæc ſufficiant pro notione quadam generaliori, qua ſine dubio cognitio numorum facilior redditur, ut ſpecialia his principiis enodari poſſint ac dignoſci.

Phœnix. Aquila. Cornix. Capricornus. Piſces Melancytes. Delphinus. Canis. Cervus. Porcus. Bos. Crocodilus. Serpens. Gallus. Harpyia. Caballus. Equi paſcentes. Elephant.

CAPUT XXI.

Numorum pretium ac raritas. Juſtum rariſſimorum pretium 50. Thalerorum. Unde numorum differentia. Modus rarus inveniendi numos. Vaillant numorum raritatem notavit. Numi in Gallia rari, in Italia non, & vice verſa. Conſularium rariores recenſentur. Omnium rariſſimus Horatii numus. Numus Bruti. De libertatis pileo notabilia quædam. Rariores Imperatorii numi. Metalliones ex auro, argento, argento æroſo. Metallio ſubærata. Regula circa magnitudinem numorum. Othonis ærei numi. Peſcennii numi. Gordianorum African. numi. An quatuor Gordiani? Tranquillinæ numi. Rariores aurei, rariores argentei. Numi inſuper notati. Numi rariores noſtri ævi. Numus omnium maximus Danicus. Rarum Anglicum numorum genus ſculptum. Anglorum & Hiſpanorum injuriæ & retorſiones. Uncialis Mansfeldicus: BEI. GOTT. IST. RATH. VND. THAT. Genuina Hiſtoria uncialis Haſſiaci: BESSER. LAND. VND. LEVT. VERLORN &c. Numus noſter memorialis ſecularis

Numi quoad pretium gemmis æquales.

§. I. NUmos veteres gemmas eſſe JCtus nos docet *in. L. Numiſmatum. ff. de Uſufructu:* quid mirum, quod etiam earum induant naturam? Dicturi enim de eorum pretio, rem melius declarare haud valemus, quam trito iſto proverbio; quod in venditione gemmæ juſtum ejus valoris pretium conſtituat divitum ſtultitia. Putant enim antiquarii æquitate niſi, rariſſimi numi, cujuscunque ſit æſtimationis, pretium juſtum eſſe 50. thalerorum. Sed vero interdum amor numi ratione valentior omni eſt, ita ut numerum huncce definitum ad decuplum augeat; majora dicere ſuperſedeo, ne mendacii me arguant imperiti: attamen rerum gnaris non latet, quanta ſit interdum ementium temeritas. Alio loco quæſtionem inſtituam, an numus enormi læſione emtus, occurrentem in *L. 2. C. de reſcind. vend.* Hic autem pro numiſmatibus pronunciandum eſſe ſentio, quod rariora nec ubivis obvia principum loco ſint in hac Republ. antiquitatis; & etiamnum iſtud obtineat, quod jam ſuo tempore ex obſervantia notavit Comicus: *Etſi nihil tam ſimile,* inquit, *quam ſolidus ſolido; tamen etiam diſtantia quæritur in auro, vultus, ætas & color, nobilitas, literatura, patria, gravitas,* atq;

Rariſſimi numi pretium 50. thalerorũ conſtituũt.

Numorum differentia.

atq; ad ſcrupulos quæritur in auro, pluſquam in homine. Multi quidem omnem moverunt lapidem, ut ſub regulam hanc raritatis doctrinam redigerent; ſed iſtis ſe includi haud patitur: ex viſceribus terræ ex improviſo interdum eruuntur ſignati hi flores, qui vel rariores erant, vel penitus incogniti. Savotius non uno loco notatus, *in Diſcours ſur les Medailles* tota quarta parte argumentum Numorum pretii explicavit; ſed in deſvetudinem abiit, uti veſtium ratio hodierna: nam frequentiores inveniendo facti ſunt numi, qui eo tempore inter rariores erant onnumerandi. Interdum modus inveniendi pretium numo addit, tanquam individuo; aſſervatur in Danico cimeliarchio aureus inſignis, ſed rudis antiquitatis, quem caput ſerpentis mordet: nam Chriſtianus V. Rex optimus, glorioſæ memoriæ, ſerpentem numum ita ferentem e terra progredi vidit; dignum itaque judicavit, ut inter rariora cimelia referretur, una cum venenoſo folle. Item Plinius refert *L. 9. Hiſt. Nat. c. 2. Lartio Licinio Prætorio viro jura reddenti in Hiſpania, Carthagine accidiſſe, ut mordenti tuber, deprehenſus intus denarius primos dentes inflecteret:* & laudatus Dn. Wagenſeilius *ex Miſcellan. curioſ. nat. anni ſecundi* caſum allegat Joh. Franc. Medici Ulmenſ. qui anno 1688. ex rapa exſecuit, tenaciter ejus meditullio infixum & implantatum groſſum Imperialem An. 1645. cum effigie Ferdinandi III. Imperatoris percuſſum. Ad pretium autem numorum quod attinet, doctiſſimus Vaillantius in ſuis operibus peraccuratè notavit, qui numi noſtro tempore ſint rariores, ita ut pretium pro facultate & qualitate ementis poſtea ſit formandum. Notandum autem eſt, quod, teſte magno Antiquario Morellio, de hac materia nihil certi ſtatui vel definiri poſſit. *Quidam,* inquit *Spec. p. 18. ſane numi in Gallia magni habentur, qui in Italia magis ſunt obvii, in aliis ſecus ſe res habet; quæ omnia non niſi uſu & experientia addiſcuntur.* Promittit tamen excellentiſſimus Vir, quod ſuam experientiam, quæ omnium maxima eſt communicaturus ſit in Opere magno. Ut prioris regulæ exemplum exhibeamus, Poſthumi numos nomino, qui in Italia triplo plus valent ac in Gallia, ut notat Ficeroni antiquarius Romanus in taxatione numorum MSta.

[Margin: Raritas numorum regula deſcribi non poteſt. — Modus inveniendi numo pretium addit. — Aureus a ſerpente erutus. — Denarius in tubere. — Groſſus in rapa. — Vaillant raritatem numorum notavit. — Numi in Gallia rari, non in Italia.]

§. II. Conſulares numi, etiamſi hiſtoriæ non adeo proſint ac Imperatorii, multa tamen ibi occurrunt notatu digna,

[Margin: Conſulares numi rariores.]

quæ

quæ per tranſennam non ſunt aſpicienda, ſed accuratiorem merentur inſpectorem. Quidam eorum raritate etiam maxime ſunt conſpicui, ita ut interdum Imperatorios pretio ſuperent. Familiam ducit famoſus numus *Horatianus*, qui in tota familia Horatia unicus eſt. Non divites genio ſuo indulgentes, ſed viri juſti & æqui eum centum uncialibus valere judicant, ex affectione non exorbitante. Ne pretio tantum lectori ſalivam moveamus, ſubcinctam ejus deſcriptionem exhibere fas eſt. Originarius numus non invenitur, qui in memoriam Horatii Coclitis, ab alio hujus gentis percuſſus eſt, defecit jam tempore Trajani, qui Imperator cupiens, ut virtuti ſua encomia, durarent eum reſtitui juſſit; & hic reſtitutus argenteus multis nunc Philippeis aureis charior. Antica exhibet caput Romæ alatum, circa faciem nomen expreſſum eſt *Cocles*, a tergo litera X. denarii ſignum. Poſtica refert Caſtorem & Pollucem equis inſidentes, lanceis armatos; putamina ſtellata capita tegunt, circumſcriptum eſt: *Imp. Cæſ. Trajan. Aug. Ger. Dac. P. P. Reſt.* Hujus viri illuſtre facinus non moneta tantum celebratum fuit, ſed & ſtatuam æneam ipſi decreviſſe Senatum, Dionyſius ſcribit *L. 4.* & Plutarch. in *Poplicola*: Se enim objecit irruenti hoſti in medio pontis, ut ſui illum rumpere poſſent; quo facto armatus in Tiberim deſiliit, & incolumis ad ſuos tranavit. Liv. *L. 2. Junia* gens exhibet numum Bruti Aſſertionis Libertatis, & ſui Principis parricidæ, Julii nimirum Cæſaris; quinquaginta thalerorum pretium ipſi conſtituunt Antiquarii. Adverſa pars Bruti faciem exhibet, quam Cicero vulticulum appellat *L. 14. ad Attic. Non te Bruti vulticulus ab iſta oratione deterret*; adſcriptum eſt *Brut. Imp.* quæ verba a læva ad dextram; ſed a tergo alia verba conſpiciuntur, a dextra ad lævam *L. Plæt. Cæſt.* quæ illum nominant, a quo denarius percuſſus eſt. Ita habet Patini numus; ille autem, qui nobis eſt, tantum verbis utitur *Brutus Imp.* in averſa ſignatus eſt pileus libertatis ſymbolum, & duo pugiones, quibus Dictator interemtus fuit: in imo numi ſub pileo legitur *EID. MAR.* qui dies eſt perpetrati ſceleris, quem cavere juſſit Julium Haruſpex; ſed Princeps, fortunæ ſuæ nimis confidens, ab illo accelerata habuit fata, quem moriens compellavit: *Et tu mi Fili!* vid. *Svet.* Pileus, quem poſtica exhibet, ſignum erat, quod denuo Reipu-

Numus Horatii.
Ejus pretium.
Reſtitutus a Trajano.
Ejus deſcriptio.
Occaſio hujus numi.
Numus Bruti.
Pretium.
Ejus deſcriptio & Hiſtoria.
Pileus libertatis.

Reipublicæ libertas vindicata eſſet; & Appianus notat *L. 8.* in hac hiſtoria: *Pileum alius haſtæ fixum ferebat ſymbolum libertatis.* Quo ſenſu etiam Perſius canit *Sat. V:*

Hæc mera libertas, hanc nobis pilea donant.

Hic mos noſtris adhuc temporibus uſitatus. Inde vidimus, quod illæ Respubl, quæ ex jugo in libertatem plenam tranſierunt, hoc utantur ſigno; quod cernere licet in Republ. Hollandica, cujus numi ſæpius hac libertatis corona exornati ſunt. vid. Bizot. *Hiſtoire Metallique de la Repub. de Hollande.* Idem etiam obſervat Respubl. Helvetica, quæ ab Imperio Auſtriaco avulſa, ut Hollandica ab Hiſpanico. Enim vero numi Reipublicæ Venetæ hujus ſigni nullum habent veſtigium; & vulgo dicunt, quod ex hac ratione libertatis pileo non utatur, quia in libertate quaſi nata eſſet Respublica, nunquam ſervitutis jugum paſſa. Non audeo contra Sereniſſimæ Reipublicæ jura aliquid aſſerere; hoc tamen negandũ non eſt, quod inſulæ etiam Adriatici maris, in quibus exſtructa eſt hæc ſuperba maris domina, olim Imperio Romano ſubjectæ fuerint: quin imo omnes reliquæ provinciæ, quib⁹ nunc gaudet, alio imperio regebantur, ita ut libertatis pileus fortitudini ſuæ minime obſtet. In mentem venit pileus Ducis ejuſdem Reipubl. quo loco coronæ exornatus; ſane ejus forma pileo libertatis non abſimilis eſt; relinquo tamen aliis rem decidendam. Ceterum hoc pileo libertatis nullus ſtatus uti poteſt, qui Superiorem agnoſcit. Quod ſi fiat indecenter ſuperbo animo, vergit hoc in præjudicium ſummi Principis, qui membrum, juri ſuo nimium confidens, licitis mediis ad priſtinam ſubjectionis formam rediget, & pileum capiti vel haſtæ impoſitum, detrudet; ſolum enim Imperatorem ac Principes in imperio coronatos eſſe decet ac tectos.

Quo utitur Hollandia, & Helvetia, Non vero Veneta Respubl.

Pileus Ducis Veneti pileo libertatis non abſimilis.

§. III. Plures inſigniores ac rariores numi Conſulares nobis ſe ſiſtunt. Quorum potiores vel tribus verbis tantum indicaturi ſumus. In familia *Maria* duo numi æſtimandi ſunt, primus refert in antica Auguſti faciem, addictis verbis: *Auguſtus Divi F.* averſa tribus capitibus inſignita eſt, quibus in imo numi adſcriptum eſt: *C. Marius Pro. III. Vir.* Patinus iis contradicit, qui C. hunc Marium C. Fl. pro Pro-Quæſtore Triumvirum interpretati ſunt: nam ſaniori ſenſu docendum eſſe putat Pro-III. Vir, qui abſente III. Viro ejus officio fun-

Numus Marii.

ctus ſit. Quinquaginta thalerorum hunc numum æſtimant; alter vero Marii numus, in cujus antica diademate ornatum caput muliebre, cum literis S. C. triginta uncialibus valet.

Alter Marii numus.

In familia *Pompeja* varii generis ſunt numi, quos Patinus doctiſſimo commentario illuſtravit, ſed reliquos omnes ſuperat ultimus in tabula prima exhibitus, qui aureus; refert Sexti Pompeji effigiem Cnei filii in Corona civica, quam ipſi Senatus aſſignavit, ob cives profugos ſervatos; teſte Dione *L. 37.* inſcript: *Mag. Pius Imp. Iter.* In altera cernuntur duo oppoſita capita cum tripode; addita ſunt verba: *Pref. Claſ. & Ora Marit. ex S C:* nam in Sicilia his officiis fungebatur. Rariſſimus eſt, & vix pro triginta thaleris comparatur.

Numus Pompeji.

Statia Familia uno tantum memoriam conſervat numo argenteo, quique rariſſimus eſt & antecedentem pretio æquat. Antica ſignat caput Neptuni cum tridente, poſtica autem trophæum cum addita figura, quæ in gratiam recipit alteram in terram proſtratam; in imo numi legitur *Murcus Imp.* qui autem a ſcriptoribus L. Statius Murcus appellatur; vid. Liv. *L. 2.* Dionyſ. *L. 9.* Caput Neptuni ex veneratione appoſitum eſt; nam maris periculum perpeſſus eſt, ut Cicero ait *Ep. 1. L. 2. ad Attic. Hic, rumor tamen, Murcum periiſſe naufragio.*

Numus Statii Murci.

Temperare mihi non poſſum, quin unico verbo ſtultitiam hujus Murci referam. Legatus Cæſaris fuit in bello contra Pompejum; ſed exſtincto Cæſare, inter ejus interfectores, ut ſcribit Appianus *L. 2*, numerari voluit, cum tamen ejus cædi non interfuiſſet.

Ipſius ſtultitia.

Vipſania Familia duos nobis exhibet numos, qui hactenus recenſitis raritate ſunt æquiparandi: nam pretium habent triginta thalerorum, ſunt autem numi Agrippæ, qui Cæſari Auguſto intima familiaritate junctus fuit, teſte Nepote. Celebrem reddidit hunc Architalaſſum victoria navalis contra Pompejum M. & Antonium obtenta; qua etiam corona ſingulari cinctus fuit, nimirum quæ ſimul roſtrata fuit & turrita: hæc corona in his duobus numis conſpicitur; primi numi antica pars repræſentat Auguſti faciem, *Auguſtus Coſ. XI:* altera diſtingvitur capite Agrippæ dicto modo coronato. *M. Agrippa Coſ. III.* A ſcriptoribus vocatur M. Vipſanius Agrippa; infra cudentis nomen apparet *Coſſus Lentulus;* hunc numum reſtitui curavit Trajanus Imperator. Qui ſecundus eorum eſt, quos laudamus in hac Familia, nihil additum

Numi Agrippæ reſtituti.

habet,

habet, retinet antica & poſtica prioris numi formam, niſi quod in hac Imperator novo circulo addiderit nomen ſuum Imp. *Cæſ. Traj n. Aug. Germ. Dac. P.P. reſt.*

Numi Imperatorii rariores.

§. IV. Hi ſunt rariores numi Conſulares; nunc etiam Imperatorios rariores quoſdam Laconicè deſcripturi ſumus. Magnitudo omnes decorat numos, imo & pretio ornat vel potius onerat. Inde Metalliones cariores ſunt omnibus reliquis, qui inter ſe tamen differunt, nam etiam materia eſt conſideranda, quia in auro & argento rariſſimi. Pulcherrimus eſt numus aureus, nec non rariſſimus, primam æris magnitudinem æquans, quem Dn. Morellius exhibet l. c: antica refert caput Fauſtæ, Conſtantini M. conjugis, cum verbis *Flavia Maxima Fauſta Auguſta.* Sedet illa ab averſa numi parte, puerulum præ ſe geſtans, tanquam pia mater; a dextra ejus ſtat Felicitas, quam caduceus indicat; ab altera vero mulier adſtans, Pietas eſt, quæ nimbum capiti ejus impoſitum ſuſtentat; infra hinc & illinc genii alati cernuntur, coronas tenentes, quibus inſcripta ſunt verba ſine dubio, *Felicia decennalia*, partis autem ipſius epigraphe eſt, *Pietas Auguſtæ.*

Metallio aurea Fauſtinæ.

Hoc etiam notitia curioſorum dignum, metalliones reperiri ex illa materia confiatas, quam Galli *billon* vocant, jus autem civile *argentum æroſum;* rariſſima eſt, quæ Caracallæ faciem refert, cum inſcriptione: Ἀυτοκράτωρ Καίσαρ Μάρκος Αυρήλιος Cέυηρος ΑΝΤΟΝΙΝΟC CEBACΤΟC Poſticam ornat mulier ſedens conjiciens in vas quoddam ſuffragii teſſeram, læva clypeo innixa: addita ſunt verba: ΚΟΙΝΟΒΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΤΑΡCΟΥ; publici juris fecit Vaillant in *Numis Imp. p. 268.*

Metalliones ex argento æroſo conflatæ.

Caracallæ.

ſed vero palmam præripit omnibus metallionibus pretioſioris metalli; ſubærata quædam metallio argentea, quam ex gaza Regis Chriſtianiſſimi Dn. Morellius profert: nam quanquam argentea lamina maxima parte abraſa ſit, nativam tamen retinet ſuam qualitatem; primæ eſt magnitudinis, Gallieni caput refert, & in altera parte verba ΛΗΤΩΕΙΑ ΠΥΘΙΑ corona includuntur, cujus in ambitu ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Metallio ſubærata.

Gallieni.

Omnes primæ magnitudinis numi magni habentur, quanquam etiam certo tempore minores plus valeant. Nam eſt antiquariorum regula: In alto imperio numi majores minoribus ſunt frequentiores; & vice verſa in imperio baſſo hi numeroſiores ſunt illis. Extendit ſe majorum numiſmatum ſeries a Julio

Regula circa magnitudinem numorum.

 Cæſare

Nulli poſt Domitianũ primæ magnitudinis numi.

Cæſare ad Domitianum uſque, & putat Vir Cl. Vaillant nullos poſt hunc Imperatorem ex ære magno reperiri numos. Interim tamen unus alterve invenitur etiam poſt hæc tempora; qui autem pro gemmis, ut jus loqui amat, ſunt habendi. Talis eſt numus Veri Imp. primæ magnitudinis, exhibens ejus caput laureatum, cum inſcriptione: *Imp. Cæſ. L. Aur. Verus Aug.* in altero apparet Bellerophon, Chimæram debellans, cum literis *C. L. I. COR.* ſive *Colonia, Laus, Julia Corinthus.* Notandum eſt, quod quidam numi Imperatorum rari non ſint, niſi in certa ſpecie conſiderati; quidam rariſſimi ſunt omni in ære atque magnitudine; & denique quidam in omni genere ſunt communes: quidam vero plane non inveniuntur, niſi in uno metallo vel magnitudine. Numus Antoniæ erit nobis exempli loco: nam hic non invenitur in prima magnitudine; ut itaq; impleatur ſeries, ex ſecunda magnitudine oportet ut tranſeat in primam. Sed vice verſa Agrippinæ numi Germanici conjugis non inveniuntur in ſecunda magnitudine. Othonis Imperatoris numi communes quidem ſunt in argento; ſed in ære rariſſimi, cujuſcunq; ſint magnitudinis. Auguſtus longævus in tanto imperii ſui ſpatio, neſcio, quo fato pauciſſimos numos cudi curavit: nam ejus numi ſine exceptione rari ſunt, ut & illi, quos alii Imperatores de ipſo reſtituerunt. Coloniarum numi rariſſimi in auro & argento, ut & in ære primæ magnitudinis: in ſecunda magnitudine triti ſunt & vulgares. Regula autem eſto generalis, quod numi Græca epigraphe gaudentes præcellant. Sed vero Tranquillina ubique rara; rariſſima eſt cum Latina inſcriptione, ut & Otho Latinus, & Peſcennius.

Quidam numi Imp. in certa ſpecie rari.

Auguſti numi rari.

Coloniarũ numi rari in auro & arg. & ære I. magnitudinis.

Othonis numi ærei.

§. V. Perverſo ordine rem tractarem, niſi Othonis numum æneum rarioribus præponerem: nam apud eruditos utramq; paginam occupat. Deſiderium eum poſſidendi reddidit quidem celebrem, non vero vulgarem, qualis non eſt niſi in libris. Thomas Chiffletius Joh. Jacobi F. tractatum exaravit eruditum, ut ſunt Chiffletiorum ſcripta, Leopoldo Guilielmo Auſtriaco dedicatum, in quo controverſiam, an Otho æneus inveniatur? negative decidit, niſus ratione ſingulari, Erizzo & Hülſio non probata, qui putant, quod brevitas regiminis hoc impediverit. Sed Pertinax, Quintilius & Florianus, minore ſpatio regimini præfuerunt, & tamen

Chiffletius negat Othones dari.

men eorum numi ad nos pervenerunt; alio, inquam, argumento utitur Chiffletius, dicens, quod Senatus tantum poteſtatem habuerit cudendi monetas æreas priorum Imperatorum tempore; uſque dum illius autoritate caſſa & diminuta hoc jus Imperatoribus etiam attributum fuerit: enim vero Othonis tempore hoc jus ſenatui ſartum tectum adhuc conſervatum fuiſſe conſtare, & quia Senatus Othoni non faverit, utpote qui militum favore imperium arripuerat, etiam in ejus honorem numos æneos non cuſos fuiſſe. Adducit plurimos Pſeudo-Othones, quorum falſitatem merito oſtendit, ſed minutos Othonis æreos vacillante nimis argumento debellat; quum enim eorum ingenuitatem negare non poſſit, dicit, quod fuerint ſubærati numi antiqui, quibus deducta eſſet lamina argentea vel aurea. Plurimos certe eorum vidi, & haud ita pridem duos apud Virum ſingularis eruditionis & humanitatis DN. DE BIRCHT, Senatorem primarium Reip. Francofurt. meritiſſimum, ſed omnes excedebant ſubærati numi magnitudinem, cumprimis craſſitiem. Quid opus pluribus eſt, ipſe eruditus Vir Chiffletius ſuum agnovit errorem: (quod ingenuitatis ſuæ argumentum eſt, nullo modo deſtruens eruditionis famam) nam in epiſtola ad Patinum publice hanc latam ſententiam retractat, quam publici juris fecit Patinus in *Numiſmatibus Imp. fol. 131. ſeq.* in quo opere etiam ſe poſſidere Othones æreos aſſerit clariſſ. Autor. Duos porro profert Seguin. *Select. numiſm. c. IV. n. XIV. & XV.* De Græcis Othonibus nullum amplius reſtat dubium; ſed Latini etiamnum deſiderantur. Eruditus Morellius *l. c. p. 161.* profert Othonis numum Græcum ſecundæ magnitudinis ex gaza Regis Galliæ, in cujus altera caput Pacis cernitur velatum & ſpicatum, cum verbo ΕΙΡΗΝΗ; addit etiam, quod Senatus propter motus a Vitellio excitatos, nullos Latinos cuderit, *exceptis illis*, dicit, *qui Antiochiæ prodierunt cum S. C. in laurea corona*, quorum ectypon apud Stradam *fol. 43.* & Pat. *fol. 134.* cernere licet. Jobertus dum loquitur de numis unicis, ſeu de iis, quorum unicum tantum ſcimus exemplar, aſſerit Cl. Vaillantium in Italia inveniſſe Othonem æreum genuinum, ac probæ notæ primæ magnitudinis; non addit tamen, Græca an fuerit exornatus, an Latina epigraphe. Hujus autem Viri autoritas tam magna inter eruditos, ut in dubium

Minuti ærei Othones.

Chiffletius agnoſcit errorem ſuum.

Numi unici.

Otho primæ magnitudinis.

vocare nefas eſſet. De pretio hujus numi nihil ſane dicendum: nam quod unicum eſt inter amantium turbam, taxatione caret; reliqui autem Othones medii æris pro 200. thaleris venduntur. *L'on croit, que les Othons de moyen Bronze ne ſont point trop chers, quand ils ne coutent, que 30. a 40. Piſtoles;* dicit Jobertus.

Peſcennii numi. §. VI. Peſcennius Niger alterum poſt Othonem locum occupat; rariſſimus etenim numus eſt, quem vix in cimeliarchio bene inſtructo invenire licet; ejus pretium conſtituunt rerum gnari 200. thalerorum. Fuit regiminis ſui ſpatium nimis circumſcriptum: nam vix ſexaginta dies ſupplet, & hæc cauſa eſt, quod ejus numi perpauci inveniantur; Latinos non invenies, qui reſtant, Græca epigraphe ſunt inſigniti. Vidi aliquem in cimeliarchio Nob. Senatus Lipſienſis probæ notæ ac ingenuitatis indubiæ, cujus poſticam exornabat fanum. Patinus aliquem exhibet eumque elegantiſſimum, cujus antica caput Imperatoris refert laureatum his verbis: ΑΥΤ. Κ. Τ. ΠΕϹΚ. ΝΙΓΡΟϹ ΙΟΥϹΤΟϹ, ϹΕΒ. facies averſa Dianam depingit, qualis eſt, cum venationi vacat: arcum tenet tenſum, ad pedes canis decurrit, inſcr: ΚΑΙϹΑΡΕΙΑϹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΗϹ: quæ etiam Comagenorum appellatur; hæc enim Civitas Imperatorem agnovit, cui ad exitium uſque quantam potuit opem tulit maximam. Sed vero

Metallio Peſcennii argentea. gaza Regis Galliæ ſuperbit quodam Peſcennii numo, quem ſi voces unicum, non plus juſto dices; eſt enim Metallio ſive maximi moduli numus argenteus; circumdant laureatum caput Imp. hæc verba: ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙϹΑΡ. Γ. ΠΕϹΚ. ΝΙΓΡΩϹ. Δ. In altera aquila expanſa inſidet clavæ ΠΡΟΝΟΙΑ ΘΕΩΝ. Tyrus civitas hunc numum cudi curavit, cujus ſignum aquila eſt. Cl. Vaillant antiquarius Regius in Anglia ipſum vidit apud Wilhelmum Falcknerum, & triginta aureis Gallicis emit, ut theſauro regio adderet; pretium ſane viliſſimum, quo ne quidem alius æreus comparatur. Se-

Gordianorum numi. quuntur nunc Gordianorum Africanorum numi; Pater enim & Filius ſimul Auguſti ſalutati ſunt, quorum ſecundus, ante patrem victus in prælio obiit; pater vero comperta filii morte octogenarius injecto laqueo vitam finivit, cum imperium vix uno menſe & ſex diebus geſſiſſet, teſte Capitolino *c. 16.* Et

Et ex ea ratione ejus numi non ſunt frequenter obvii: Latini tamen interdum inveniuntur, quia a Senatu Imperatores declarati ſunt; ſed Græci, quorum notitia, teſte Dn. Morellio, paucos ante annos ad antiquarios pervenit, quærentis laborem fruſtrant. Iſte Græcus, quem Patinus in *Num. Impp. medii æris* Africanis falsò adſcribit, in cujus poſtica aquila ſpicam roſtro tenens, ad tertium Gordianum pertinet. Unus tantum vel alter ſupereſt. Cuſtodit cimeliarchium R. Galliæ Græcum ſecundæ magnitudinis; adſcriptum eſt capiti laureato Imp. Α. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CΕΒ. ΑΦΡ. in altera expreſſa eſt Pallas ſtans cum haſta & ægide, additus eſt numerus L. A. ejuſdem pretii eſt hic numus ac Othonis numi.

§. VII. Nulli numi fraudi falſariorum magis ſunt obnoxii, quam Gordianorum Latini, quorum pretium ſedecim eſt thalerorum. Invenerunt enim impoſtores modum; quo corrigunt inſcriptionem Gordiani tertii & verbum PIVS mutant in AFR. ipſiq; capiti ſcite addunt barbam, & ecce Gordianus Africanus Senior. Jobertus hanc docet regulam, & ut præveniatur malitiæ, ſequens conſilium impertit: *in Gordianis Africanis duplex G.G. in verbo AuGG. conſpicitur, quia ſimul Imperatores facti ſunt; Verbum Aug. vero ſimplici G. expreſſum ad Gordianum tertium pertinet, in quibus itaq; legitur Æternitas Augg. Æquitas Augg. Adlocutio Augg. numi Gordianorum ſunt Afric.* Hoc quidem non nego, ſed cur excluduntur numi genuini uni Gordiano Afr. dedicati? Eſt nobis talis indubiæ antiquitatis, cui fraus ideo corrumpere non valuit verbum *PIVS:* nam ſpacium nimis arctum eſt, ut quatuor literas continere potuiſſet, & nimis magnum pro duabus aut una nimirum PI aut P. in ejus autem poſtica legitur *Pietas Auguſti;* neſcio ſane quid obſtet, quo minus nominaſſent in poſtica unius Imperatoris virtutem, cujus faciem exprimerent ſolam. Tandem hæc regula non generalis eſt: nam vidimus Gordiani Africani numos, quorum poſticæ inſcriptum eſt: *Romæ æternæ*; ſunt & alii, in quibus certe Auguſtorum mentio non fit. Præterea titulus Gordiani tertii eſt, *Gordianus Pius Fel. Aug.* Africanorum autem *Gordianus Afr. Aug.* Impoſſibile eſt, ut *Pius Fel.* in *Afr.* mutari poſſet, ergo alia ingenuitatis nota quærenda eſt. Oportet, ut controverſiam iſtam vel uno verbo tantum

Gordiani Latini ſæpius ſunt corrupti.

Joberti remedium.

Quod limitatur.

Differentia tituli Gordiani Afr. & Gordiani Pii.

tantum nominem, quæ orta eſt circa quartum Gordianum. Prodiit etiam Pariſiis 1696. libellus, cui titulus: *L'Hiſtoire des quatre Gordians prouvée & illuſtrée par les Medailles*, in quo Autor contendit probare, contra receptam hactenus ſententiam, quatuor Gordianos Imperatores & Cæſares fuiſſe; Gordianum nimirum ſeniorem Proconſulem Africæ, ejusque filium, ambos Africanos; poſterioris hujus filium, Cæſarem a Senatu creatum, cum avus & pater Romæ declarentur, probata Africanorum electione, Auguſti; & quartum Gordianum Pium, Senioris ex filia nepotem, creatum Cæſarem, cum Balbino & Pupieno, Auguſtum imperium deferretur, iisque anno ſequente occiſis, factum Auguſtum. Præcipuum ejus argumentum petitum ex numis; arbitratur illum, qui juvenile admodum repræſentat caput ſine laurea corona, & qui inſcribitur *M. Ant. Gordianus Cæſ.* pertinere ad Gordiani ſenioris ex filio nepotem, menſe Majo factum Cæſarem cum Patre & avo Auguſti; alterum vero, qui exhibet caput laurea corona cinctum, vultumque provectioris ætatis & *Imp. Gordianus. Pius. Fel. Aug.* ad nepotem ex filia Metia Fauſtina genitum, qui cum Balbino & Pupieno Auguſtis factus Cæſar.

Opinio de IV. Gordianis.

Huic ſcripto ſe oppoſuit eruditus Cuperus *in Hiſtoria trium Gordianorum 1697. edita*; in qua multis invincibilibus argumentis demonſtrat, tres tantum fuiſſe Gordianos: nam numi adducti nihil demonſtrant, ſiquidem artificium non idem ſculpendi eſt; & ſæpe accidit, ut Imperator in uno numo appareat juvenis, in alio provectioris ætatis. Alterum argumentum autoris Gallici, ex Capitolino prolatum, eſt acclamatio Senatus: *Gordiani Auguſti, Dii vos ſervent, Ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani præturam decernimus; Nepoti Gordiani Conſulatum ſpondemus; Nepos Gordiani Cæſar appelletur; tertius Gordianus præturam accipiat.* Inde putat, quod hic tertius Gordianus alius ſit, quam Gordianus Pius, qui cum Pupieno & Balbino Auguſtis Cæſar factus menſe Julio; acclamatio autem facta eſt menſe Majo. Sed obſervat Cuperus, quod hæc acclamatio ſucceſſu caruerit ob Gordianorum mortem; eapropter menſe ſequente demum Gordianus Cæſar factus.

Hanc opinionẽ refutat Dn. Cuperus.

§. VIII. Hic Gordianus tertius tritus eſt in numis & vulgaris; conjux tamen Auguſta, Sabina Tranquillina raris-

Tranquillinæ num.

rariſſime invenitur, inprimis cum Latina epigraphe; in argento triginta valet uncialibus, in ære magno quadraginta, in medio vero quinquaginta, ut aliqui volunt. Exhibet hujus Auguſtæ pulcherrimum numum Dn. Morell. ex gaza Svarzburgica; refert poſtica tres Gratias nudas, cum verbo ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΩΝ. Eſt nobis Tranquillinæ numus genuinus, minoris æris, cum hac inſcriptione; ΦΥΡΙΑ ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ, CEB. Averſa oſtendit figuram dextra gubernaculum, læva cornu copiæ geſtantem, cum verbo CAMIΩN: ubi etiam ille cuſus eſt, quem explicat docto commentario Dn. Morell. *p. 193.* Singularem hujus Auguſtæ numum vulgavit erud. Sperlingius 1688, quem ſimul eruditiſſimo commentario illuſtravit; refert altera numi pars Deam nudam Venerem, citharam in ara poſitam pulſantem, cui plectrum in manu dextra inſigne; adjecta ſunt verba: ΕΠΙ. ΑΙΛ. ΑΡΙΣΤΟΝ. ΕΙΚΟΥ. ΤΕΡΜΗΝΩΝ. h. e. ſecundum Sperlingii explicationem, *ſub Ælio Ariſtonico Sacerdote templi, Germenſes hanc ſtatuam, Tranquillinæ honoribus dicatam in templo ſuo reponi juſſiſſe.* Dn. Sperlingii Numus Tranquillinæ.

Sed clariſſ. Nicaſius in Diſſert. *de Numo Pantheo Hadriani c. III. p. 18.* de hac explicatione ſequentia habet: *Venerem pro Apolline Pythio accepit nuper vir alioqui eruditiſſimus, quod illi quodammodo condonandum videtur; nudus enim omnino, ut Venus, effingitur Apollo, & cum capillitio ſatis mulieri conſentaneo.* Hic filum abrumpere decet; ſpecialiora enim perhibere nec tempus nec occaſio concedunt; inprimis raritatem anticarum explicare, ſingulare requireret ſtudium. Nicaſii emendatio.

De auro uno verbo notandum, quod ſeries in hoc metallo non perficiatur, ſiquidem Auguſtarum quarundam numi in eo deſiderantur: nam nulla invenitur *Orbania, Paulina, Tranquillina, Mariniana, Cornelia ſupera.* In auro ſeries non perſpicitur.

Rariſſimi ſunt ſequentes, qui non niſi magno pretio comparantur: *Pompejus Cæſar, Poppæa, Domitia, Plotina, Martiana, Matidia, Pertia, Julianus, Peſcennius Niger, Gordiani Afr., Æmilianus.* Rariores aurei.

In argento, cujus ſeriem integram ferme contexere licet, ſequentes cæteris ſunt rariores: *Druſus Tiberii, Poppæa, Plotina, Matidia, Pertinax, Didius Julianus, Manlia Scantilla, Didia Clara, Peſcennius Niger, Gordiani Afr., Tranquillina.* Rariores argentei.

Numi ſigno quodam inſuper notati.

§. IX. Non poſſum ſuperſedere, eorum etiam numorum mentionem injicere, qui vel literis vel alia figura inſuper ſunt notati; quemadmodum etiamnum cernitur, ut numus in alia terra cuſus per ſignum valoris pretium recipiat; quæ conſvetudo in Moſcovia inprimis obſervatur: nullus enim noſtrorum uncialium ibi valet, niſi ipſi Moſcoviticum ſignum ſit impreſſum, quod groſſi Miſnici magnitudinem æquat, & medium numi occupat. Galli hos numos appellant *Medailles ſons marquées.* In numis Romanis vel literæ videntur impreſſæ vel figuræ; non autem conveniunt autores, quis genuinus earum ſit ſenſus. In quibuſdam cernitur N. PROB. quod explicatur *Nota Probatæ monetæ*; in aliis N. CAPR. h. e. *Nota Cuſa A Populo Romano*; in Auguſti numo obſervavit Jobertus C. A. R, quod declarat *Cuſa A Romano Populo*; & Tiberium ſe poſſidere dicit, cui literæ R. M. impreſſæ; & ſine dubio denotant, *Reſtitutio Monetæ.* Haud ita pridem Agrippæ numũ obſervavi, in cujꝰ antica circa Neptuni caput hæc nota TI AV. cujus ſenſus eſt, *Tiberius Auguſtus.* Poſſidet hunc numum ſummæ eruditionis Polyhiſtor & Medicus Noricus, Gothofredus Thomaſius, Jac. Fil. qui raris virtutibus, patriæ & loci domicilii ſingulare ornamentum eſt & delicium, cujus ſeleƈtiſſimam pariter ac copioſiſſimam bibliothecam & cimeliarchium, non ſolum admirari; ſed etiam iis uti mihi haƈtenus licuit; quod publice non poſſum non deprædicare: quæ illius virtus eo gratior eſt, quo vitium communius eruditis, invidere aliis ſuos theſauros. Cæterum numi Romani non ſolum literas habent ſecunda vice impreſſas, ſed etiam figuras. Cimeliarchium inſtruƈtiſſimum Senatus Lipſienſis horum numorum quoſdam cuſtodit; obſervavi in æreo caput Fauſtinæ, &, quod mirum eſt, in aureo numo etiam impreſſam figuram: nam hæc ſigna æri ferme tantum propria ſunt. Dn. Morell. Gordianum tertium exhibet, in cujus capite cernitur nota monetalis triangularis; addit etiam incomparabilis Vir Caracallæ numum cum tali nota; de qua ita diſſerit: *Nota monetalis capiti Caracallæ adfixa* ΝΙΚΗΝ *ſeu victoriam ſignificat, a Nicæenſibus, a quibus numus ipſe obſignatus, addita ſub ſecutis Imperatoribus, ne in uſu publico moneta rejiceretur.* Conſentiunt Antiquarii unanimiter, quod literæ hæ & figuræ tantum de pretio teſtentur numi; quod nec noſtro quidem deſiit

Literæ impreſſæ; earum explicatio.

Figuræ impreſſæ.

Hæc ſigna impreſſa tantum in ære inveniuntur.

deſiit tempore: nam hi numi ad rariores pertinent. Hæc ſufficiant pro inſtituto noſtro; quod fuit, ex melioribus autoribus iisdemque noviſſimis, contexere notitiam Veteris Numiſmatis. Si vel noviter reperta, vel aliorum accuratior opinio his prævaleant, quiſque pro ſua benignitate excuſabit poſitiones in diſciplina facta, quæ nondum eſt exculta; tandem eas corrigendi potentiam cuique lubenter concedimus.

Hi numi ad rariores pertinent.

§. X. Locuti ſumus de Numis antiquis rarioribus: Coronidis loco quoſdam noſtri ævi adjicere licet; quos doleo, quod non redacti ſint ab experto viro in volumen ac publicati. Nam ita comparata eſt res humana, lynceis oculis exoticas res ſuſpicimus, & in propriis, iisque interdum longe pretioſioribus, talpis ſumus cæciores. Vir quidam eruditione & experientia clariſſimus, celebris eſt, qui huic labori ſolus ſufficit, Lipſienſium nimirum Antiquarius Dn. Muhlmannus, qui multa millia ectypa ex charta confecta noviſſimorum numorum poſſidet; quorum pretium ac raritatem melius intelligit ac quiſpiam alius. Erudito orbi gratiſſimum exhiberet officium, ſi theſaurum huncce publici juris faceret; quod hic publice expetere nobis liceat. Maximus quem unquam fere mundus vidit numus, Haffniæ conflatus eſt; eum tamen excipio, quem loco dotis Princeps Gallica Regi Angliæ ſponſo attulit, cujus pondus fuit aliquot centena ducatorum millia: qui vero auri maſſa potius nominandus eſt, ex *l. quotiescunq; 27. C. de Suſceptor.* Chriſtina Sveciæ Regina, ut ponderandi incommodum tolleret, laminas oblongas æneas, quæ interdum ulnæ magnitudinem ſuperant, in anterioris partis meditullio & quatuor angulis ſignavit; ſed hæ laminæ ad ſignatum æs pertinent, non vero ad numiſmata, quæ totam ſuperficiem uno iconio obſignatam habeant oportet. Magnus Danicus numus a Chriſtiano V, glorioſiſſimæ memoriæ, ſignatus, ex quo navalis victoria triplici corona roſtrali Heroem Pium, Juſtum, Felicem cinxit; typi monetales a Rege ipſo aſſervati fuerunt; quo factum, ut reliqua Europa eum videndi copiam non habuerit. Vidi illum in gaza regia auro & argento efformatum. Jacobæus tandem Conſiliarius regius, eruditione & reliquis virtutibus Vir æternæ memoriæ, ejus delineationem publicavit in eruditiſſima Muſei Regii deſcriptione

Numi quidam rariores noſtri ævi.

Totius mundi maximus numus.

A Chriſtiano V. Daniæ Rege percuſſus.

Deſcriptio ejus a Dn. Jacobæo.

Sect. V. Tab. XXX. n. 18. p. 98, 99. Ex illa heic ſiſtam: nam dignum judicavi, ut æri inciſus hanc lucubrationem coronet; longe enim ſuperat numum *Julius-Löſer* dictum, cujus pondus decem unciarum eſt. Explicationem ex ipſo Jacobæo hauries quaſi ex fonte: *Numus hic aureus magnitudine & elegantia inter numiſmata omnia Europæa maxime conſpicuus, pondere unciarum octodecim, partas tribus prœliis navalibus victorias præ ſe fert, quas totus extollit orbis & ſera poſteritas commemorabit. In prælio primo prope Olandiam A. 1676. die 1. Jun. cum claſſe Svecorum navium quadraginta a Creuzio Architalaſſo educta, Trompius Batavus, qui claſſem ſuam noſtræ junxerat & maris Danici præfectus Nicolaus Julius, ea fortitudine conflixerunt, ut navis prætoria Svecorum coronæ nomine inſignita, & 140. tormentis bellicis inſtructa, ſimul cum Architalaſſo Creuzio, & conſerta militum manu incenſa perierit. Altera magnitudine proxima Enſis regni appellata, & tormentis 92. onuſta, ſimul cum præfecto maris Ugola, qui noſtros fortiter primum ſuſtinuerat impetus flammas concepit, & octo aliæ magnitudinis haud ſpernendæ, vel captæ, vel tumulis arenarum illiſæ fuerunt. Reliquæ per fluctus incertos ſparſæ Stockholmiam cum trepidatione reverſæ ſunt, ſuisq; metum, nobis præmium virtutis, victoriam reliquerunt. In pugna ſecunda prope Langelandiam A. 1677. menſe Junio haud meliorem experta eſt fortunam Svecorum claſſis, quam Architalaſſus Seeblad eduxerat. Eo quippe fervore, cum a clauſtris Gotenburgicis per mare Balticum iter tentaret, a præfecto maris Danici Nicolao Julio excepta eſt, ut navis prætoria ſimul cum Architalaſſo Seeblad, & quinque aliis molis vaſtæ navigiis bellicis, præter minores alias, nobis præda extiterint. Conflictus tertius in ſinu Codano ſeu Mari Baltico anni ejusdem menſe Julio fortunam quoque Regis noſtri Auguſtiſſimi teſtatur, & laudes ævo omni perennaturas ebuccinat. Claſſis quippe Svecica, licet navium numero noſtræ multo ſuperior, ita ab Architalaſſo Daniæ Nicolao Julio diripi, atteri, vaſtari viſa eſt, ut ſine unica noſtræ in pugna jactura, undecim naves bellicas mole ſua turribus, caſtellisq; maris ſimillimas noſtrorum fortitudine captas amiſerint; tres alias magnitudinis inſignis flammis combuſtos, minores innumeras, quæ manu militum catapultis, parmis, verutis, victu & commeatu onuſtæ, vel captas vel incenſas.* Ter magna victoria maximo ſane numo digna! opto interim, ut tanti Herois ſucceſſor, ſive Salomon Filius Davidis Patris, vel augeat

Julius-Löſer.

Triplex Danorum victoria navalis.

Prima prope Olandiam.

Secunda prope Langelandiam.

Tertia in ſinu Codano.

gazam

gazam ſuam longe majore numo; aut quod præcellit; PACE ſit DIVES, innumeris triumphis potiore, FRIDERICUS REX, CUJUS ADJUTOR DEUS EST.

§. XI. Inter meos reperio numorum genus, qui eo pretioſiores ſunt, quo rariores inveniuntur. Duplex numos parandi modus eſt, fundendo nimirum & cudendo; addunt impoſtores tertium, ſi numi exſtantiam ſculpendo efformant ſine igne; ſcalpro mei quidem ſunt elaborata torevmata, ſed eum in modum, ut tabulæ æri inciſæ parentur, quo melius res percipiatur, ipſum numum hic imprimi curavi; quem merito ſuſpiciat Lector curioſis oculis: *Henricus* eſt *ſecundus Angliæ Rex, Dux Normandus* &c. Angliæ enim originem debent, ubi juſſu Jacobi I. magnæ Britanniæ Regis, parati ſunt, ut ſeriem conſtruerent Regum Angliæ; quorum numi, cumprimis antiquiorum, non inveniuntur; hoc modo ſatisfecit deſiderio, Rex eruditus. Inventum nitidiſſimum eſt; una forma enim & ſpecie delectant oculos. Rariſſimi ſunt, etiamſi noſtro ævo facti: nam in his obtinet, quod mentiuntur de Romanis, nimirum quod quivis num⁹ proprio ſuo marculo ſignatorio cuſus fuerit, quem poſtea ſtatim ruperint, ne duo numi æquales ex una prodirent matrice. Noſtri Anglici iconium conſvetum ignorant præter artificis manum, quæ in illis omnem lineam novo ſtudio formavit; etſi duos poſſideam ejuſdem faciei, qui ad amuſſim ſibi invicem ſunt æquales. Sunt mihi ſeptem: Heinricus II. in duplo, Edward. II. Henricus III. Henricus VIII. Jacobus I. & ejus ex filia nepos, Carolus Ludovicus Elector Palatinus.

Singulare numorum genus Anglicum.

Inſculpti numi.

Jacobi Regis juſſu parati.

Unici ſunt numi.

§. XII. Non inconſvetum eſt, ut plures numi ad unam pertineant hiſtoriam, ex quibus nullo, ſine jactura totius connexionis, carere poſſumus. Sint exempli loco unciales illi ſex Luneburgici, qui a campana ipſis impreſſa, Glocken-Thaler vocantur; eorum deſcriptionem ſuppeditat eruditiſſimus Vir, Dn. Tenzelius in illo ſapientiæ & eruditionis theſauro, quem ſingulis menſibus edidit *Anno 1693. m. Julio.* Hic tres thaleros unius argumenti proponam, qui rariſſimi ſunt & ad paucorum notitiam pervenerunt. Quum anno 1588. Rex Angliæ, ut appoſite vocatur Eliſabetha femina ſupra ſexum fortis, erudita, ſapiens, iſtud mundi gubernaculum Philippum II, inaudita felicitate prælio vinceret navali;

Plures numi ad unã hiſtoriam.

Tres unciales Anglici.

celebravit hunc triumphum numo, cujus anticæ ipſius Heroinæ facies impreſſa; poſtica vero exhibet vincentem Anglicam & victam Hiſpanicam claſſem, cum inſcriptione:

Heſperidum Regem devicit virgo.

Hiſpani numum imitati ſunt eundem, & clanculum multa millia exemplaria in Anglia vulgaverunt, his verbis tantum inſcriptioni additis:

Heſperidum Regem devicit virgo; negatur,
Eſt meretrix vulgi.

Sed Regina iſtis ſuppreſſis, eorum loco quoſdam ſubſtituit denuo mutata inſcriptione;

Heſperidum Regem devicit virgo; negatur,
eſt meretrix vulgi. Res eo deterior.

Ut verum fatear retorſio non vindicat Reginæ injuriam, quin imo illam magis auget.

Uncialis Mansfeldicus: Bey GOTT iſt Rath und That.

§. XIII. Porrò famoſus eſt Uncialis Mansfeldicus, cui ſuperſtitio neſcio quales & quantas tribuit virtutes: Fertur enim illum præcipitationem impedire. Opinionis vim vel ſtultitiam mirari ſatis non poſſum. Thalerus ille quem vulgo laudant ex una parte refert S. Georgium equitem, Draconem debellantem; ut ingenuitatis ſignum habeat, oportet ut ejus poſitio ſit à dextra ad lævam, ut lancea a Dracone caſſa in terra conſpiciatur, ut eques gladium ſtrictum ſupra caput elevet. Verba myſtica parmæ Mansfeldicæ in altera numi pagina inſcripta leguntur: BEI. GOTT. IST. RATH. VND. THAT. Annorum tandem numerus addictus eſt; ii autem tantum valent, qui ab anno 1601. ad annum usque 1611. cuſi ſunt; inter quos illi, qui numero impari gaudent, reliquis præſtantiores ſunt. Sed conſulant melius ſuperſtitioni ſuæ miſeri! Nam genuinus hic numus, quem his virtutibus præditum eſſe credunt, Talismannus eſt ſeu amuletum paucis cognitum; quod mihi videre ſemel tantum licuit. Adverſa ejus pars ſiſtit S. Georgium Equitem à dextra ad lævam, lancea perforantem draconem; ſub anteriore equi pede lævo, in genua procumbens cernitur virgo in forma minuta, quæ circumſtantiæ ad fabulam pertinent; inſcripta ſunt verba: *S. Georgius Equitum*

Genuinus ille Talismañus eſt.

Ejus deſcriptio.

Patro-

Patronus. In averſa numi pagina navis cum Chriſto dormiente expanſo velo fluctibus agitata expreſſa eſt ; inſcriptio eſt : *In tempeſtate ſecuritas.* Hic eſt genuinus ille thalerus S. Georgii, quem in hunc finem conflavit ſuperſtitio, ut equitantibus proſit. Reliqui Mansfeldici intentione hacce carent, omnes verò Virtute prætenſa.

Uncialis Haſſiacus : Beſſer Land und Leut &c. Genuinus nunquam percuſſus eſt.

§. XIV. Nihil dicerem, ſi intactum præterlabi paterer thalerum famoſiſſimum, Haſſiacum, quem verba reddunt celebrem : Beſſer Land und Leut verlohren/ als einen falſchen Eyd geſchworen. Commonefacti ſint omnes, quod talis uncialis nunquam extiterit ; nam potentiſſimus quidam Princeps, hujus rei curioſitate ductus, ad Sereniſſimum Haſſiæ Landgravium exarari juſſit literas, quibus petiit, ut inſtrueretur de certitudine facti ; cui reſponſum fuit, quod omnes libri monetarii hujus thaleri nullam facerent mentionem ; inde ſuppoſititium illum eſſe nullum reſtare dubium. Plures vidi, omnes improbo. Superius Cap. XIV. adduxi numum, cujus altera pars novo fraudis genere ſculpta fuit, ille referebat hujus thaleri ſpeciem ; nam antica, quæ genuina erat, faciem exhibebat Wilhelmi V. Haſſiæ Landgravii ; in averſa, quæ ſculpta, manus cernebatur dextra, digitis ad juramentum præparatis ; caveæ, quam Martis vocant inerat oculus apertus, compoſita erat inſcriptio his verbis : Beſſer Land und Leut verlohren/ als ein falſch Eyd geſchworen. Alium vidi, in cujus prima parte Eques S. Georgii cum inſcriptione : *Commiſi Domino, & ipſe faciet!* Altera in parte arbor videbatur abſciſſo ramo, quam ſolis radii illuminabant, cum jam repetita inſcriptione Germanica. Plures inveniuntur alii ejuſdem farinæ, quos in medium trahere conſulto ſuperſedeo. Unicus autem cenſura ſpecialiori dignus eſt : in antica conſpicitur facies Philippi Magnanimi, qui unà cum Johanne Friderico ejusdem cognominis Saxoniæ Electore, primum religionis bellum ſeculo ſuperiore ſuſtinuit. A dextra ad lævam verſa figura eſt cataphracta, regimenti radium gerens dextra, circumſcriptio ita ſe habet PHILIP. D. G. LANDG. HASSIE. C. K. D. 3. N. A. 1552. FIERFE. Idem annus eſt, in quo fortitudine generi, Mauritii Saxonici, ex cuſtodia Cæſaris liberatus fuit ; libertatem nactum hunc uncialem cudi curaſſe fingunt, quia in cuſtodia noluit juramento ſe Cæſari obſtringere,

Cujuſdam ſuppoſititii deſcriptio.

Alius ejuſdem farinæ.

ſtringere,

ſtringere ad ingrata. Poſticam replent quinque ſcutula Haſſiaca in crucis formam poſita, quæ lingua heraldica ita explicantur: Les cinq ecuſſons, au revers ſont, poſez en ſautoir: Dont celuy du milieu eſt d'azur au Lion burelè d'argent & de gueules, dé dix pieces: qui eſt le Landgraviat de Heſſe. Celuy du côte droit d'en haut eſt d'or, au Leopard Lionné de gueules, couronné d'azur: qui eſt le Comte de Gazenelebogen. L'Ecu d'enbas du méme, coté êt de ſable a une Etoile d'or, coupé ſur le meme metail; qui eſt le comté de Zigenhein. L'Ecu du côte gauche d'en haut eſt coupé de ſable & d'or, le ſable chargé de deus Etoiles d'or: qui eſt le Comte de Nidda. Celuy du côte gauche d'en bas, eſt de gueules, a deus Lions Leopardes d'or, l'un ſur l'autre, qui eſt le Comté de Diez. Intercalatæ ſunt hæ quinq; literæ initiales: P. S. E. D. S. Quod quidem ſignificat: *Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.* Inſcriptio eſt illa famoſa: BESS. LAND. V. LVD. V. LORN. ALS. EN. FALSCH. AID. GESCHWORN. Hic uncialis numus pro genuino habitus fuit, ita ut ipſe teſtis ſim, comparatum fuiſſe pro 130. thaleris; nam cuſus eſt & mirum in modum æmulatur ſuperioris ſeculi fabricam, & Principis, quem refert, ſimilitudinem. Sed arcanam hujus fraudis hiſtoriam communicabo, ut ſibi caveant incauti amatores: Homo, qui aliorum ſimplicitate lucrum captabat, audiens, quod in voto omnium ſit iſte Haſſiacus Uncialis, ſubdolè illum cudi curabat, & amico exemplar miſit, expetens ejus judicium de theſauro, quem fortuitò reperiſſe prætendebat. Ille, cum ei ſuboleret facinus, negabat genuinum eſſe uncialem, quia genuino interpoſitæ eſſent literæ: S. E. D. S. P. quibus hic carebat; quod ſignum tamen tantùm deſiderabat, ut falſarium fraudis arguere poſſet; nam fictitiæ ſunt literæ, ut ipſe uncialis. Paulò poſt impoſtor denuò comparebat, ſuamq; in inveniendo felicitatem deprædicabat, producens ſimul numum omnibus numeris impoſturæ completum: ſed alter per teſtimonium omni exceptione majus, nimirum per quinq; has literas fictas fraudem demonſtrabat, & eas tali modo explicabat: Still. Ein. Dein. Schelmiſches. Prägen. Antequam miſſum facimus thalerum huncce, tot ſtrophis involutum; recreationis ergo adducere libet explicationem, quam tentavit Vir haud

Marginalia: Ejus pretiũ enorme. — Hujus falſi hiſtoria. — Literarum S.E.D.S.P. genuina interpretatio.

haud mediocriter doctus, nimirum Dnus Artis in Diario Hamburgenſi ſeu *Journal de Hambourg. Tom. II. du Lundi*, 29. *Avril. A.* 1695. *p.* 73. Ibi enim circa explicationem circumſcriptionis in Antica ſollicitus eſt, & cum ibi reperiantur literæ Majuſculæ initiales C.|K. D. 3. N. difficili Minerva & reluctante omni probabilitate hunc ſenſum extorquere ſatagit: *Captivitate, Redemptus. Die. 3. Novembris.* Ipſe quidem dubitat de ingenuitate explicationis, quia non 3, ſed 4. Novembris libertati redditus fuit Princeps. Dubium ſane ipſi eruditæ enodationi haud abſimile. Pertinent enim hæ literæ ad titulum Principis, & ita ſunt explicandæ: Comes. Katimelib. Diz. Zigenheim. Nidda. quod ſtylus curiæ comprobat, & parmulæ in altera thaleri parte repertæ, quas tamen ipſe autor explanavit. Eadem felicitate literas ſcutulis hisce interpoſitas intellectui reſtituit; ſequentia namque parturit: SE. D. S. P. *SE. Dolo. Seductus. Prodiderat;* ſeu: *SEductus. Dolo. Se. Prodiderat.* Ex quo videre eſt, quam egregie allucinari poſſit fragilitas humana, ſi ingrediatur obſcuritatis labyrinthum. Rhythmum Germanicum ita intelligendum vult autor: ac ſi Philippus inſtrueret Imperatorem, quod melius ſit, totum perdere Imperium, quam pejerare & fidem fallere; reſpiciens iſtud, cum Imperator promitteret Philippum *ſine ulla captivitate* (ohne einige Gefängnüß) dimittere, quod poſtea interpretatum fuit: *ſine perpetuo carcere*, (ohne ewige Gefängnüß) ut nota eſt hiſtoria.

§. XV. Pedem hic figo; aſt vocat officium! Numus memorialis.

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.

Gaudeant omnes, quorum dies includunt terminum ſingulis centenis annis demum reducem, quem Romani ſpectaculis, ludis & libationibus ſalutabant, & ad eos videndos felices ſuperſtites hac formula invitabant: *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neq; viſurus eſt.* Quod itaq; ſemel fit, ſolenniter fiat. Pium Votum necto pro ſtabilitate pacis, pro religionis incrementis, pro Patriæ quiete, quam ament boni Cives, quanquam remotiſſimi; pro omnium ſalute, ut etiam nobis bene ſit. Mos eſt Lutetiæ Pariſiorum & Londini receptus, ſtrictoque jure obſervatus; cum pacis

Perſ. Sat. V. *venere dies, unctaque feneſtra*
diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
portantes violas,

ut tota Civitas in gaudium ſolvatur publicum; & ſub pœna decem aureorum, omnes domus nocte flagrent lætitiæ flammis. Subjicimus legi huic nosmetipſos; & ne pœnam dare cogamur aureorum, intermiſſi gaudii rei, nummo celebramus feſtum inſtar Romanorum, de nummis qui ſcripſimus. In prima Numiſmatis facie finximus *Janum bifrontem laureatum*, ex utraque parte barbatum; in terra *fracta* cernuntur *arma*; Lemma, quod numi anima, ex Virgilio animatiſſimo Autore deſumtum:

Virgilius. *Aſpera nunc poſitis miteſcant ſecula bellis.*

Stylobatæ hæc inſcriptio memorialis inſculpta eſt:

MoDo hoC paCato
Felix Seculi
Faſtorumq;
reparatio.

Alteram numi partem emendationi Calendarii dicavimus, quæ prima ſeculi occupatio fuit, & felicia tempora præſagit, quia bene jam ſunt ordinata. Saturnus tempus hîc denotans, vetus Julianum; & Aſtrologia ſeu temporis computatio, ſtylum Gregorianum exprimens, temporis circulum tenet, non unius ſerpentis, ſed duorum ſibi invicem mordentium caudas; nam tot faſti, non niſi nomine differentes, unum temporis nunc obſervant curſum; ex Perſio noſtro addimus:

Sat. V. *Concordia fata duorum.*

Scutum Aſtrologiæ hanc præ ſe fert notam:

Calendarium Novum,
1582. Menſ. Octobr.
4. D. ♃.
15. A. ♀.
Litera Dominicalis ex G. *fit* C.

Apud

Apud Saturnum ſequentia marmori incidit Genius:

Calendarium Emendatum.

1700. Menſ. Febr.

18. G. ☉.

Martius.

1. D. ☽.

Litera Dominicalis ex G. fit C.

Obſervavimus hisce, quo die & menſe, ſuperiori & hoc ſeculo, mutatio ac renovatio facta ſit. Notatu, imo admiratione dignum eſt, *Literam Dominicalem* hac undecim dierum ejectione eandem transformationem paſſam eſſe, ac Gregoriani ſtyli introductionis tempore, cum decem delerentur dies: ſiquidem ambabus vicibus fortuito caſu ex G facta eſt C. Faxit DEVS, ut mox ſequatur ipſius rei Dominicæ concordia. Ne vacuum detur, extimam oram Ovidii verſu, cum præcedentibus connexo, exornavimus:

Fitq; quod haud fuerat, momentaq; cuncta novantur.

Fauſta ſint atq; Felicia!

Sphalmata, quæ, ob Auctoris abſentiam, in Tractatum hunc irrepſerunt, ita corrigantur.

Pag.	Lin.	legatur:	Pag.	Lin.	legatur:
2	8	*quid fas optare.*	23	2	*Hepatizon.*
—	32	*χρῆμα.*	24	14	*Lutet. Pariſ.*
4	penult.	*Diſcorſi.*	26	10	*toni.*
7	13	*Cæl. Rhod.*	Verſ. fin. pag.		*Nummos; quorum.*
9	3	*quadringentos.*	—	ult.	*glutto.*
—	10	*ſopra.*	28	34	*quadringentis annis.*
10	15	*Hic ſilentio,*	33 post med. in marg.		*a Romanis uſurpabantur.*
12	33	*ut pecunioſi eſſent.*			
—	35	*Argentini.*	48	5	*editiones.*
13	28	*fecerint.*	—	7	*Chariſium.*
17	4	*Caſſiodori.*	51	30	*Cotta.*
18	22	*inſervivcrint.*	57	16	*telluris.*
—	antepenult.	*ipſarum miſereretur.*	58	31 & 32	*in Truculento ita habet: De mina.*
21	4	*Gazophylacio.*			

Pag.	Lin.	legatur:
71	27	*numi Philippici.*
81	6	*ſuperbia ſua.*
87	11	*rigoroſi.*
92	32	*ſcobe auri.*
120	8	*inſtructa ſerie.*
122	36	*Ancus, Tullius.*
123	7	*Livineia.*
133	23	*cujus facies.*
134	5	Δημαρχικῆς.
144	11	Γνώμη.
—	12	Δημαρχικῆς
149	8	*ſed altero.*

Pag.	Lin.	legatur:
161	Cap. XX. §. I. l. 5.	*viam ad aliquid.*
171	18	*in inferos.*
173	19	*mari circundata.*
—	31	*palma.*
177	10	*numerandi.*
186	8	*declararentur.*
190	35	*combuſtas.*
192	27	*adjectus eſt.*
193	32	*ejusdem nominis.*
195	4	*reperiantur.*
—	9	*ſane ipſi.*
—	10	*abſimile. Pertinent.*

DIS-

I. I.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

VNO NVMMO

EXPLANANS

CAPVT QVARTVM

TRACTATVS

DE

VETERIS NVMISMATIS

POTENTIA ET QVALITATE.

DISSERTATIO JURIDICA

De

VNO NVMMO.

CAPUT I.

Pecunia mundum regit. Cur Romani per Seſtertios numeraverint. Rerum pretia unde deſcendant. Juris Naturæ principium eſt ORDO VNIVERSALIS. Rerum pretia ab ordine deducuntur. Pœnæ in jure definitæ certo modo pretia ſunt. Pecudes loco pœnæ. Hæc pœna in æs mutata. Argenti Ratio in Jure. Aurum in jure uſurpatum. Valor nummorum æreorum. Argenteorum. Aureus Juris veteris ac hodierni, aliaq; computandi ratio in Jure. Pecuniæ ratio in Foris, cumprimis in foro Saxonico.

§. I.

OMne hujus mundi negotium auro dirigitur & argento finitur. Corrumpuntur hoc neceſſario malo aræ, inde ſimoniæ crimen; flectuntur tribunalia, obſervante hoc Lege repetundarum; vincuntur fortalitia, nam quis reſiſtet armatis aureis? Et hæc deſtruens peſtis communis reipublicæ familiaris redditur ſocietati: Data fides aurum reſpicit; amicitia auro conſervatur; eſt deaurata nuptiarum laſcivia. In ſumma non nocent purpura induta crimina, nec vectigal latrinaceum cauſam olet. Eſt iſtud Troji epitomatoris veriverbium: *Quo ſe fortuna, eodem & favor hominum inclinat*; quod Græci ita exprimunt: — Pecunia mundum regit. — L. 2.

χάρις πολιτῶν πρὸς τὸ τύχης ῥέπει.

Quid ſit ſecundarum rerum conditio ſeu fortuna, non cujus-

vis

vis eadem eſt reſponſio; uno tamen verbo diſſenſum componam : *Quo ſe pecunia eodem & favor hominum inclinat.* Aureum habemus ſeculum, non quidem iſtud, quod acceptum referimus Naſoni *in Metam.* ſed aliud propriiſſimo verborum ſenſu notatum; Splendent palatia; micant veſtes; ſuperbiunt currus & carpenta ; colliguntur aurei in folle; imo anima ipſa redolet aurum.

Ovid. L. 2. de Art. Am.

Carmina laudantur, ſed munera magna petuntur,
dummodo ſit dives Barbarus ille placet.
Aurea ſunt vere nunc ſecula : plurimus auro
venit honos : auro conciliatur amor.
Ipſe licet venias Muſis comitatus Homerus,
ſi nihil attuleris, ibis Homere foras.

Quam morum corruptionem non unius ſeculi, ſed ævi univerſi, Arbiter etiam pro more, hoc eſt ſatyrice, perſtringit;

In Satyr.

Quisquis habet nummos ſecura naviget aura,
fortunamq; ſuo temperet arbitrio.
Uxorem Danaën ducat ipſamq; licebit,
Acriſium jubeat credere quod Danaën.
Carmina componet, declamet, concrepet omnis :
& peragat cauſas ſitq; Catone prior.
Jurisconſultus PARET, NON PARET, Habeto;
atq; eſto quicquid Servius & Labeo.
Multa loquor quidvis numis præſentibus opta,
& veniet, clauſum poſſidet arca Jovem.

Rem ita deſcripſerunt Poëtæ, ex vero, depoſita Poëtarum virtute : ſed videntur mala, penetrantur, non corriguntur; imo in pejus ruit prava libido. Eapropter ſi qui ſint, qui bonis regulis inſtruere ſatagunt, ſpeculationi non imitationi ſcribunt. Depingat itaque ſeculum aureum Poëta Italus nitidiſſimo colore, hoc eſt paupertatis, dum canit;

Che ſpernar i tresòr e non curar l'oro :
queſto é ſeculo d'or queſto é treſor !

Erit ac manebit pecunia prius, virtus poſt numos; imo hæc interdum penitus negligitur. Conſervantur Comercia tot pecuniarum ſummis. Quævis res ſuo pretio conſtat, quæ non ſemper valore aut neceſſitate, ſed frequentius numorum copia judica-

judicatur, cujus pronunciatio titillat aures vanorum. Sæpius meditatus ſum, cur Romani per ſeſtertios numeraverint, quæ minima prope erat moneta & computationi incommoda; ſed hoc factum eſſe cenſeo, ut multiplicata ſumma auditus melius impleretur avaritia: nam triginta duo millia Seſtertiorum, mille noſtrorum uncialium valent. Numero ac ſtylo tenui *VNVM* proponam *NVMVM*, qui varia negotia in jure noſtro determinat, & antiquitatis non ultimum argumentum eſt. Nummi enim omnia ſunt plena etiam in jure noſtro, quod cumprimis numiſmaticas hominum actiones reſpicit. Cur Romani per ſeſtertios numeraverint.

§. II. Rerum pretium numi ſunt: unde vero deſcendat rerum pretium, digna res eſt, quam accuratiori oculo intueamur. Primum principium eſt rerum proportio & Menſura, quæ adeo diffuſa eſt, ut ſtellarum curſus, elementorum commixtio, variatio temporum, actiones hominum & animalium ibi reperiantur. Imo generalis regula eſt nulla exceptione limitata, quod omnia conſiſtant pondere, numero & menſura, quæ decenter fiant. *Lib. Sapient. cap. XI. verſ. 22.* Multum Doctores diſputant de principio juris naturalis, ſunt ſolliciti quidam, ut Bellum omnium adverſus omnes defendant; quærunt alii in amore proximi; alii in ſocietate; alii alibi; ſed nimis arcte includitur jus, quod univerſæ naturæ eſt, & quod non tantum hominibus, ſed omnibus animalibus, omnibus plantis, omnibus rebus præſcriptum: nam natura non hominum natura eſt ſed univerſi totius. Quid autem eſt regula, ſeu juris præceptum? Eſt norma, ſecundum quam debemus vivere, agere, pati. Quodcunque igitur fit incerta proportione, obſervat quandam regulam, nulla autem eſt regula, quin reſpiciat jus, quod dictitat nobis hanc regulam. Obſervat Sol curſum regularem, ergo ſecundum legis regulam currit; ſtellæ moventur ordine, ergo ordinatam obſervant motionem. In atmoſphæra venti, pluviæ, tonitrua non confuſe, ſed certo modo, certis temporibus obſervantur: In globo terræ vegetabilia, mineralia, ſenſitiva ſeu animalia naſcuntur, creſcunt, decreſcunt, moriuntur ſecundum juris præcepta. Non ergo dicere vereor, quod ſolidum juris naturalis principium atq; fundamentum ſit Ordo Vniversalis ſeu juſta proportio agendi, in quibuscunq; rebus, quo modo moventur pondere, nume- Rerum pretia unde deſcendant. Juris Naturæ principium eſt Ordo Universalis.

ro & menſuræ. Quemadmodum autem nullus ordo reperitur ſine ordinatore; ita hoc principium noſtrum, Sanctiſſimum Deum, ter Optimum Maximum Creatorem, & Potentiſſimum rerum creatarum Conſervatorem, Autorem agnoſcit. Hoc ſane ſolidiſſimum fundamentum eſt debellandi, vincendi Atheos, ſi qui dentur in orbe, nam

Non levis eſt ceſpes, quin probet eſſe Deum.

Si autem quis eſſet diabolicæ hujus protervitatis, inſpiciat quæſo renaſcentia arborum folia, conſideret motum, qui illas producit, & dicat, an motio ſine motore eſſe poſſit ſeu ſine ſpiritu agente? Sed vero hæc motio non ſola adeſt, ſed ordo inſimul cum illa conjunctus; nam deponit arbor hyemis tempore folia, ut novis inveſtiatur veris, inde motio ordine fit per ſpiritum in materia, ſive per agens in paſſione. Hæc ordinis diſpoſitio omnibus rebus, ut dixi, indita eſt, prout earum proportio iſtud requirit; unum gradum conſtituunt craſſiores materiæ: Terra, ut producente gaudeat proportione; Aqua & aër, ut fluidi ſint & in craſſiori terra ſecundum ordinem operentur; Ignis autem ſpiritui proxima materia, ut certa proportione calefaciat & imprægnetur, incerta vero conſumat ac deſtruat. Plantæ viſibiliorem ſiſtunt ordinis obſervantiam, in certa genera diviſæ, vocantur a tempore & nulla confuſione ſemper apparent. Animalia generis & qualitatis ordinem non mutant; moventur ordine, creſcunt ordine, agunt ordine. Si etiam hominum libido illum turbare velit, quaſi ex maledictione, ab inſtituto detinetur. Exemplum ſit in mulis; adeo diſplicet naturæ hæc heterogenea aſini & equi commixtio, ut intereant oporteat ſine prole. Non denegavit animalibus quibusdam ſocietatis ordinem jus naturæ. Quis ignorat formicarum & apium Rempublicam? In educatione quandam ordinis legem obſervant animalia inſtar hominum, homines tamen majori modio acceperunt hunc ordinis numerum; nam ut dominarentur omnibus animalibus, ratione opus erat exquiſitiori, cujus analogum minime gentium animalibus nego & eorum condemno hypotheſin, qui machinas eſſe contendunt. Multo ſale perfricata eſt cujusdam Galli meditatio nomine d' Her, qui in Epiſtolis ſuis

appo-

appoſite hanc ſententiam perſtringit; etiam horologia, inquit, ſunt machinæ, ſed conjuncta non procreare valent ſui ſimilem, ut canis canem. Ea tamen homines inter & animalia differentia eſt, ut hæc obſervent ordinem obedientia, hi vero voluntate. Haud itaque abſurda eſt Juſtiniani Imperatoris definitio, dum *pr. J. de Jure N. G. & Civili* dicit & *l. 1. §. 3. ff. de Juſt. & Jur.* confirmat: *quod jus naturæ ſit, quod natura omnia animalia docuit.* Nolo tamen Juris vocabulum in tali ſenſu accipere, quo ſoli homini proprium eſſe dicunt. Vid. Grot. *de Jure B. & P. L. 1. c. 1. §. 11.* Satis eſt, quod animalia omnia ſecundum iſtam regulam vivant, quam præſcriptam habent a natura, ſive ex impulſu id faciant ſive ex voluntate; nam certo reſpectu quam maxime juris capacia non ſunt, ſi hominis excellentiam illis opponere velis. Hoc autem negandum non eſt, quod in illis ſit jus naturæ & quidem perfectiſſimum quatenus ipſis convenit. Nolo itaque Salmaſii ſententiam meam facere, qui in *lib. de Uſur. c. 9.* dicit, *quod in beſtiis tantum appareat juris aliqua imago;* ſi hoc eſſet, earum operationes non naturæ eſſent, quæ ordine ubique operatur ſive juſtitia. Imago tamen juris eſt, comparative nimirum cum hominum juſtitia, quæ pro habilitate ſubjecti excellentior ſane eſt & perfectior. Sed ut redeam ad homines: hi ex ordine diſcunt, quod omnis virtus ſeu conſervatio in illo reperiatur, & quod vitia eæ actiones ſint, quæ omiſſo ordine peraguntur. Eapropter ſocietatis ordinem primo obſervant; qualis enim eſſet confuſio, ſi quivis ſecum tantum, ſeu contra omnes vivere contenderet? Coaleſcunt ex neceſſitate confuſionis & ordinis commodo ſocietates magnæ, ut & illæ parvæ, Paterna, herilis & quæ ſunt ſimilia. In magna illa ordo dictitat, ut homines conjunctim habitent. Impoſſibile autem eſt, ut omnes imperent, nam hoc pejus eſſet ipſa priſtina confuſione, eapropter ordo deſiderat, ut eligant aut ſuperiorem aut ſuperiores. Horum poteſtas non effectu differt ab unius poteſtate, ſed modo, ita Magnatum mandatum aut unius principis unum idemque eſt. Societatis conſtitutio tantum ordinem obſervat externum & craſſiorem, ſubtiliores actiones, ſi civis cum cive negotia gerit,

quæ non ſemper externis legibus determinantur, primario ordinis inſtrumento, amore nimirum, diriguntur. Per hoc dictitat ordo, quod omnis offenſio ſit prohibita, quæ non ſolum in civem peccat, ſed in ordinem univerſum, qui ſingulos conſervatos eſſe cupit; nam omnis interitus, ordinis eſt corruptio. Primæ Juris naturalis regulæ ſemper facilioris ſunt interpretationis; ita in ſenſus incurrit, quod nemo ſit occidendus; ſed caſus remotiores confundunt interdum hominum ingenia, ut hic affirmative ille negative ſentiat; nam adeo imbecille eſt ingenium humanum, ut interdum perſpicua allucinetur. Inſidiantur rationi philavtia & alia vitia clanculum tecto modo; quod ſi adeſſet ratio actu primo, ad ſecundum non deduci poſſit, natura enim furca etiam expulſa tamen usque recurrit; ſeu ut Seneca loquitur: *Natura ſupprimitur non corrigitur.* Etiamſi dilucidum ſit principium, principi eſt præſtanda obedientia, tamen non ſine obſcuritate quæritur, an Tyrannus ſit interficiendus? A Salmaſio & Miltone hæc quæſtio ante aliquot annos agitata, non deciſa fuit, cum hic malam cauſam bene, ille bonam cauſam male defenderet. In ejusmodi dubiæ deciſionis quæſtionibus ordinis ratio obſervanda eſt, & quæcunque ſententia iſtum lædit, merito rejicienda.

Rerum pretia ab ordine deducuntur.

§. III. Ex eodem principio ordinis nunc rerum pretia determinanda ſunt, eſt autem pretii fundamentum, ex Puffendorffii ſententia *L. V. c. 1. §. 4. de Jure Nat. & Gent. Aptitudo rei vel actionis, qua aliquid mediate aut immediate conferri poteſt ad vitæ humanæ neceſſitates.* Pretium ipſum *eſt quantitas moralis ſeu valor rerum & actionum, in commercium venientium, ſecundum quam illæ invicem parari ſolent.* Ordo enim præcipit, ut alter alteri inſerviat. Seu poſtquam res per dominii acquirendi modum occupatæ ſunt, & alter eget cujusdam rei, qua abundat alter, ut cuivis ex ordine ſatis fiat, ſiſtitur ab una parte res, ab altera parte pretium. Res autem æſtimatur dupliciter phyſice ac moraliter. Phyſice, quando conſideratur res in ſua natura, habito reſpectu ad aliam rem phyſicam: ita pretioſior eſt Bos avicula, avicula muſca, argentum ære, aurum orichalco. Quatenus autem res vel actiones aliquem uſum hominis neceſſitati præſtant, æſtima-

æſtimatio eſt moralis, & ſic etiam pretium morale; hoc reſpectu ferrum pretioſius auro eſſe poteſt avicula bove. Neceſſum eſt, ut quædam proportio ſit inter pretium & rem ipſam, quæ pro pretio datur; nam ſi hæc non adeſt, læditur ordo, qui in proportione conſiſtit: ſive autem res detur pro re, ut in permutatione ſive pecunia, ut in venditione, pretium ſemper eſt, ſi naturaliter conſiderare velimus. Ita ea res, quæ venalis eſt, rei locum occupat; iſtud autem, quod datur pro hac re venali, loco pretii eſt. Hoc bene ordinatum pretium Juſtum appellant JCti, *l. 35. ff. de E. V. l. 26. §. 4. ff. de minor.* & ideo dicitur juſtum, quia convenit in juſta proportione cum re vendita. Dividitur in pretium *legale* & *vulgare*. A legibus definitum eſt *legale*, utputa ſi frumento, carni, cereviſiæ publicum conſtituitur pretium, hoc κατ' ἐξοχὴν juſtum eſt, quia publica autoritate definitur: In hoc omnis exceſſus injuſtus, & læſus ad reſtitutionem agere poteſt, licet læſio dimidium juſti pretii non excedat. *Vulgare* communi hominum æſtimationi relinquitur. In hoc pretio non requiritur, ut exactiſſima ſit proportio rem venditam inter ac pretium; ſed contrahentibus circumveniri licet usque ad dimidium, *l. 2. C. de reſc. emt.* Lauterb. *ad tit. de contrah. empt. n. 18.* Ziegler *de Jurib. Maj. p. 779. 780. & 781.* Nam in commerciis ultra id, quod res ex vero valet, non injuſte plus exigitur, quia illi, qui ejus negotia gerunt, operas adhibent, nec non periculum ſuſcipiunt; interdum etiam merces per longum temporis intervallum quieſcendo, aut vitia contrahunt aut pecuniæ uſum conſumunt, inde iſtud, quod intereſt, alio loco repetendum; quod ſi modum non excedat ordinis, juri contrarium non eſt; nam quaſi ex negotio geſto damnum alter alteri reſtituit, ne corrumpantur commercia, ex quibus Reſpublica bene ordinata incrementum capit ac lucrum. Hæc itaque eſt pretii natura, ut ſtricte ſumatur pro pecunia, quæ in emtione & venditione intervenit, *l. 1. ff. de rerum permut. §. pretium J. de Emt. Vendit.* Enim vero in latiori ſignificatione etiam conductioni adſcribitur, ut videre eſt *in l. 28. §. 1. D. Locat.* Sæpius etiam pretium pro mercede uſurpatur, ut *in l. 10. in fin. ff. de acquirend. poſſ. l. ult.*

§. ult. D. ad L. Rhod. de jact. l. 51. §. locavi. l. 58. ff. locat. Nec non operarum pretium vocatur *in l. 52. §. fin. ff. pro ſoc.*

Pœnæ in jure definitæ certo modo pretia ſunt.

§. IV. Quia de pecunia nobis palmario hic ſermo, quæ loco mercedis, ſeu ob aliam cauſam in negotiis juris intercedit, ejus ſummas quaſdam, in jure definitas, congerere operam dedi; ſed indaganti mihi vix alia in juris codicibus pretia ſe ſiſtunt, quam pecuniariæ pœnæ, quæ etiam certo modo vocari poſſunt pretia: Nam quia in jure non raro præmia virtutis pretia vocantur, ut *in l. 2. §. & generaliter. ff. de vi bon. rapt. l. 2. §. ult. D. de injur.* cur abſonum eſſet vitiorum pœnas pretia vocare? Attamen interdum etiam alia occaſione jus numos definit, quos noſſe juvat, ut valeamus accuratius diſſerere de numo unico. Mundum in cunabulis ſi aſpiciamus, pecunia certe nullum invenit locum; Contenti erant mortales iis rebus, quas a natura accipiebant: Si vero aliquis novo deſiderio alterius rem appetebat, res pro re dabatur; inde antiquiſſimus cum permutatione mercandi modus. Pretioſiſſima cimelia erant pecora, quæ victui & amictui ſufficiebant. Quum itaque cives contra leges peccarent publicas, quod delictum capitali pœna non erat coërcendum, multa dabatur pecuniaria; hoc eſt: pecudum certam ſummam exhibere debebant, quia pecude pretioſius nihil erat antiquis. Romani antiquiſſimis temporibus dividebant pœnam in *multam ſupremam & multam minimam*, ut A. Gellius refert *Noct. Attic. L. 11. c. 10.* de multa ſuprema ita loquitur: *Multam, quæ appellatur ſuprema, inſtitutam in ſingulos duarum ovium, boum triginta, pro copia ſcilicet boum proq; ovium penuria*; nam erat Italia eo tempore armentoſiſſima, non adeo dives ovibus. De minima pœna ita pergit: *Minima autem multa eſt ovis unius, ſuprema multa eſt ejus numeri, cujus diximus: ultra quem multam dicere in ſingulos jus non eſt, & propterea ſuprema appellatur, id eſt ſumma & maxima.* Obſervari ſolet, quod oves genere virili appellentur, ſi multæ loco ponantur, ita M. Varro loquitur: *M. Terentius, quando citatus, neque reſpondit, neq; excuſatus eſt, ego ei unum ovem multam dico.* Idem etiam obtinuit apud Germanos, qui diu ignoraverunt pecuniæ uſum, ut in *c. 1. de veteris numiſm. pot.* diximus, ita ut Taciti temporibus non alios Theſauros cuſtodirent,

Pecudes loco pœnæ.

dirent, quam quos in pratis paſcebant. Ea propter eorum pœna numero pecudum conſtituta erat, quod nobis ſcriptum reliquit Tacitus *in libro de moribus Germanorum. Levioribus delictis*, inquit, *pro modo pœnarum, equorum, pecorumq; numero convicti multantur.* Hic populus in puniendis criminibus ſatis erat acerbus, quia *nemo ibi vitia ridebat nec corrumpere nec corrumpi ſeculum vocabatur*; ſic proditores & transfugas arboribus ſuſpendebant; ignavos & imbecilles, & corpore infames, injecta inſuper crate, mergebant; elegantem addit Tacitus rationem: *Diverſitas ſupplicii illuc reſpicit, tanquam ſcelera oſtendi oporteat, dum puniuntur flagitia abſcondi.* Interea homicidium ob bellacem gentis animum, quaſi delictum minus conſiderabatur ac puniebatur: *Luitur enim*, narrat ille, *etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitq; ſatisfactionem univerſa domus.* Quæ pœna pecuniaria erat, quia divitiæ hoc tempore ſecundum pecudum numerum judicabantur. Poſtquam autem hominum protervitas in metallorum avaritiam ſe verteret, etiam juris regulæ, loco pecudum, in definienda quadam ſumma vel pœnæ vel alius negotii æreis utebantur aſſibus, nam æs inter metalla familiam quaſi ducit. Non quidem jus Juſtinianeum hoc metallo utitur, quia ejus conſtructionis tempore jam in deſuetudinem abierunt priſtini mores; ſed aliis ex autoribus rem demonſtrare valemus. Iſta pœna, quæ ſuprema erat vel minima, ſuperius declarata, loco pecudum per Legem Ateriam poſtea ære ſolvebatur; Rationem legis & numerum æris his verbis adfert A. Gellius l. c. *Adigebantur boves ovesq; alias precii parvi alias majoris: eaq; res faciebat inæqualem multæ pœnitionem, idcirco poſtea lege Ateria conſtituti ſunt in oves ſingulas æris deni, in boves æris centeni.* Quæ ſumma ſecundum noſtram computationem minima erat: nam ovis tribus valet groſſis miſnicis, & bos unciali cum quadrante. Duodecim Tabularum LL. etiam aſſium obſervant rationem, aliqua lex harum Tabularum ſequentia determinat in injuriarum punitione: *Si injuriam faxit, alteri viginti quinque æris pœnæ ſunto.* Hæc pœna nimis mitis erat, ad pravam coërcendam hominum libidinem, inde etiam Labeo Juriſconſultus in commentario ad has leges, illam improbat, adſerens hiſto-

Hæc pœna in æs mutata.

riam de Lucio Veratio, qui homo egregie improbus pro delectamento habebat, os hominis liberi manus ſuæ palma verberare. Eum ſervus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans: & quemcunque depalmaverat, numerari ſtatim ſecundum XII. tabulas, viginti & quinque aſſes jubebat. Pœna aſſium æris gravis pœna dicebatur, unde etiam Livius L. V. ait: *Denis millibus æris gravis nos condemnat.*

Argenti ratio in jure.

§. V. Argentum quemadmodum medium temporis ſpacium occupat in hiſtoria Romana; ita etiam ejus obſervantia tempore Conſulum in legibus adhibita fuit; ſic ſentit Contius JCtus *in diſput. juris c. 16. Imperatores omnes ad aurariam rationem pecuniam omnem fere numeratam æſtimant; ſicut mediæ jurisprudentiæ Autores ad argentaria, id eſt, ad ſeſtertiam, quæ Denarii ratione erat uſitatior. Veteres vero LL. & pœnæ ad ærariam ſive aſſium rationem.* Si itaque negotia mediæ ſint hujus jurisprudentiæ, ſeu leges latæ ſint hoc tempore, reſpiciunt cumprimis nummos ſeſtertios. Tam ſtricte autem in claſſes dividere non poſſum metalla, quin interdum in mediæ ætatis legibus, aurum; in ultimæ, argentum inveniatur. Occurrunt ſeſtertii hinc inde in jure noſtro; §. 2 *J. de ſucceſſ. lib.* Legem Papiam refert, qua cautum, ut ex bonis ejus, qui ſeſtertium 100000. patrimonium reliquerat, & pauciores quam tres libros, virilis pars Patrono deberetur. Inde numo ſeſtertio mancipio dare dicitur, numo ſeſtertio conducere, *l. 46. ff. locati. l.* 10. *in fin. ff. de acquir. poſſeſſ.* numo ſeſtertio vendere *l. 66. ff. de jure j.* Numo ſeſtertio bona debitoris alicui addicebantur: Donabatur ſeſtertio numo, *l. ult. C. de donat.* de quibus ſingulis fuſius dicturi ſumus. De mutatione pœnæ aſſium in ſeſtertios, poſtquam Romanorum facultates creverint, vid. Cujac. *obſerv. L. 19. c. 31.* Hoc etiam notandũ, eſt, quod Romani in tributis imponendis argentum tantũ exegerint, ita enim Plinius habet, *L. 33 c. 3. Sed præter alia equidem miror, Populum Romanum victis gentibus in Tributo ſemper argentum imperitaſſe non aurum.* De quo reddi poſſit ratio, quia plurimas provincias tempore Conſulum non Regum ſubjugaverunt.

Aurum in jure uſurpatum.

§. VI. Aurum in digeſtis ac Codice nec non Novellis ſæpenumero legitur, ſiquidem omnes fere pœnæ, omnes aliæ circa pecuniam definitam conſtitutiones aureis exprimuntur

numis

numis, *§. 3. I. de ſucceſſ. libert. definit* quod libertus plus quam centum aureos habeat oportet, ſi ſucceſſioni Patroni locus ſit. Qui Prætoris album corrupit, delictum pœna luet 500. aureorum *l. 7. 8 9. de juriſd.* ita enim habet lectio Florentina, quam probant Cujacius *L. 10. obſerv. 10. l. c.* Weſenb. *ad h. l. n. 13.* ibique Hanius Meierus *in Collegio Arg. h. t. th 55.* Hillig. *ad Donell. lib. 15. cap. 24 lit. R.* Haloandrina vero lectio & vulgata competere vult ad pœnam quinquaginta aureorum, quam defendunt Donell. *L. 15. c. 25. in f.* Schneidew. *ad §. 12. de alb. cor. n. 26.* Oltendorp. *claſſ. act. n. 6* Prævalet tamen prior lectio, cum majori pœna vindicanda ſit Magiſtratus contemta autoritas. Propter paupertatem prohibitum eſt accuſare; Quis autem pauper ſit, definit *lex 10. ff. de accuſat.* ſcil. qui minus quam quinquaginta aureos habet. Sepulchri violatio variis aureorum ſummis punitur. Hac actione illi, ad quem res pertinet, nunquam minus quam 100. aurei adjudicantur *l. 3. §. 8. ff. de ſep. viol.* competit extraneo ad 100. aureos; contra doloſum ſepulchri inhabitatorem ad 200. aureos actori applicandos, *l. 3. pr. h. t.* l. 12. *de V. S. pr. de ſep. viol.* vid. plura *in l. 1. ff. de fugitiv. l. libertis, ff. de in jus vocando. l. 2. ff. ad L. Jul. de annon.* Aurei ſolidi etiam meminit *l. 1. & l. 3. C. de aleatoribus.* quem alibi explicaturi ſumus. Heic tamen notandum venit, quod in Codice & Novellis ſolidi numerentur per libras; ita *l. 4. C. de modo mult.* præcipit multare usque ad quinquaginta libras auri: Quin imo Impp. inferioris Imperii etiam per uncias aurum numerant, ut *in l. 6. pr. C. de mod. mult.* in qua hæc leguntur. *Eos, qui ordinario provincias jure moderantur erga eorum perſonas, ultra duarum unciarum auri ſummam condemnare non patimur.* Nec non *l. un. C. de arg. pret. quod theſ. infertur* meminit libræ argenti: valde autem obſcurum eſt, an maſſa hic intelligatur argenti rudis, an vero pecunia ſignata appenſa, quod ultimum vix concedere poſſum primo ſignatæ pecuniæ tempore, facile autem tempore Arcadii & Honorii, qui hanc legem tulerunt. Cæterum Jus Romanum tempore Imperii Inferioris, nil niſi aurum continet, inde ibi reperitur *Aurum publicum, negotiatorium, coronarium, luſtrale glebale, oblatitium, largitionale; auraria penſitatio, præſtatio functio, aurarius canon.* Ille per pondus numerandi modus,

etiam

etiam noſtris temporibus receptus eſt, ita in noviſſimis Imperii conſtitutionibus Marcarum mentio injicitur; Frider. *in c. 1. verſ. ſi quis vero auſu temerario*, & §. *de pace tenend. int. ſubdit. 2. F 53.* Aureæ Bul. Car. IV §. *deteſtandos* §. *cæterum*, & §. *decernimus hac imperial. Conſtit.* Frid. III. *A.* 1442. §. *item den derſelbigen*/& in aliis imperii conſtitutionibus.

Valor numorum æreorum. §. VII. Neceſſum eſt, ut de valore & natura hactenus memoratorum numorum paulo diſſeramus. As, prima Romanorum moneta ærea erat, tota ac ſolida, ut Varro *in L.8.de L. Lat.* teſtatur, inde etiam ait, quod as ſimplex ſit. Ab hac aſſis proportione multiplicatio monetæ & ejus diviſio deſumta eſt. Ita in ære multiplicando habemus dupondium, tripondium & longe majores ſummas, quas jam alibi expoſuimus. In diviſione autem numerantur Semis, Triens, Quadrans, cum multis aliis minoribus. Fuit Romanorum ſtatus monetalis duplex, ſcil. rudis æris, & ſignati; ille rudis æris tamdiu continuavit, usque dum vel a Jano vel a Saturno, vel Servio, vel alio etiam æs ſignatum fuit. Erat autem a principio ejusdem quantitatis tas ponderis, & as pecuniæ, quia as nondum ſignatus ponderatus fuit ſeu appenſus. Nullus ſcriptorum reliquit, quod unquam ponderis imminutio facta ſit ante iſtam, quam Plinius notavit *Hiſt.nat. L. 33. c. 3.* Quoad valorem nihil aliud adjicere licet, quam quod alibi ex computatione Hoſtii & Melanchthonis notavi, nimirum quod decem aſſes tres groſſos Miſnicos valuerint ſive unus as tres

Argenteorum. numulos Miſnicos cum tribus quintis. Moneta argentea Romana varia etiam fuit; Maxima vocabatur Denarius a numero Denario, quia inde a principio talis numus decem aſſium æſtimabatur. Ejus dimidia pars vocabatur Quinarius, qui quinque aſſes valebat; dimidia vero Quinarii pars eſt ille famoſus Seſtertius, qui omnem paginam non ſolum apud hiſtoricos, ſed etiam in jure occupat. Erat autem Denarii quarta pars, unde etiam dicebatur, quaſi aſſis tertius, nam duos aſſes cum dimidio comprehendebat. Hic Seſtertius ſemper exprimitur, quando numus abſolute ponitur, ita ut ſubintelligatur numus Seſtertius. Cur autem Romani plus hunc numum amaverint ac Denarium, jam ſupra explicavi. Non quidem inficiandum eſt, quod etiam verbum numus aliam

mone-

monetam argenteam notaverit, quemadmodum alibi diximus; nam ex Plauto diſcimus, quod etiam numus fuerit, ſecundum excellentiam ita dictus, duarum drachmarum ſeu tot Denariorum, qui octuplo major eſt numo vulgari ſive Seſtertio. Interdum etiam numi verbo Denarii intelliguntur, quod colligitur ex Cicerone *in IV. Verrina*, ubi modo quinque millia nummum, modo quinque millia Seſtertium dicit, Sandalium adnumeraſſe Apronio juſſu Verris. Plura exempla notavit Budæus; qui tamen contendit, quod nummus abſolute poſitus Seſtertium ſignificet. Quod etiam ſæpius in jure obſervatur, nam ſi numus abſolute ponatur, numus eſt Seſtertius. Cujacius vero *Obſerv. L. 19. cap. 31.* putat, quod non denotet Seſtetium, niſi expreſſe id per aliam rationem pateat. Seſtertius reſpectu valoris ex proportione quam agnovimus, quarta pars eſt trium groſſorum Miſnicorum, inde valet novem numulis Miſnicis, ſeu quod fere idem eſt tribus crucigeris. Hanc tamen proportionem nemini obtrudo; nam ſi dicendum, quod res eſt, ſatis ambigitur, qualis valor veteribus ſit attribuendus numiſmatibus, ſiquidem quivis pro ſuo captu rem interpretatur.

§. IX. Omni difficultate implicatus eſt aureus ſive ſolidus, nam qualis & quantus ille fuerit? non niſi magnus Apollo determinare poteſt. Aureus juris veteris ac hodierni, aliaque computandi ratio in jure.

Rei diſcolor uſus;
velle ſuum cuiq; eſt nec voto vivitur uno.

Rem alibi tetigi: Summo tantum digiti hic repetenda eſt, ita tamen ne ſit crambe bis cocta. Multi de hac re ſcripſerunt, ut Georg. Agric. *L. 1 de pond. & monet.* Covarruv. *tract. de vet. numism. c 3.* Jacob. Cujac. 19. *obſerv.* 31. Henn. Hamel. *de action. cap. 31. n. 29.* Savot. *Diſcours ſur les medalles antiq. Part. III.* Gronovius *in L. 3. de Seſtert. c. 8.* aliiq; complures, ſed quivis ſuo ſenſu abundat, de valore reſpectu argenteæ monetæ res expedita eſt. Nam ita Dio habet *l. 55.* Χρυσοῦν γὰρ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα τὸ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμενον κατὰ τὸ ἐπιχώριον ὀνομάζω. h. e. *Aureum ego quoq; nummum illum, qui valet Drachmas XXV pro communi more appello;* Drachma autem idē eſt, ac Denarius. Quod pluribus argumentis corroborare neceſſum non eſt. Erat autem aureus in jure notus, qui mille Seſtertios valebat, meminit hujus *§ 3. J. de ſucc. lib.* ubi expreſſe dicitur, *legis Papiæ ſummam interpretati*

pretatiſumus,ut pro mille Seſtertiis unus aureus computetur. *In lege 25. §. ult. ff. de SC. Silan.* pœna ejus, qui aperuit tabulas contra Edictum,eſt centum aureorum,quæ verba Paulus *L. 5.* explicat, centum millia Seſtertium. Inſurgit Hotomannus contra hunc & priorum locum *in diſſertat.de aureo Juſtinianorum*, putans; quod nihilominus Seſtertii centum, aureum efficerent, quia hi loci corrupti eſſent: Verum enim vero neſcio quo argumento hoc demonſtrari poſſit, inde huic ſententiæ ſtamus, donec contrarium majori efficacia prabatur. Accedit etiam,quod in edicto de albo corrupto ita extet ſcriptum: *In publicum quingenta millia Seſtertium dare damnas eſto*, quod concordat cum lectione Florentina, quæ *quingentorum aureorum* legit quod ſupradictam ſummam efficit, ſi aureus ſit mille Seſtertiorum. Vid. plura ap. Cujac. *obſerv. L. 13. c.31*. Antonius Sichard. *ad §. 12. J. de Act. n.* 21.contendit,quod Trebonianus omnes pœnas Edictorum ſecundum hanc proportionem redegerit, nimirum, aureo mille Seſtertios adſcribendo. Ad pondus aurei quod attinet,illud ipſum eſt,quod maxima difficultate laborat, nam in hoc definiendo deſudant DD. Plurimi conſentiunt, tempore priorum imperatorum, aureum fuiſſe didrachmum,ſive quartæ partis unciæ,quod pondus æquat duorum denariorum; Inde Ducato noſtro hodierno duplo major eſſet, & ejusdem fere ponderis ac *Piſtola* Hispaniæ,*Lovis d'or* Galliæ,*Doppiæ* Italiæ, aut *Libra ſterlingorum* Angliæ; Gronovius vero *de Siſtert.L.3.cap.8.* novam ſectatur opinionem,nam multis argumentis probare ſatagit, quod aureus noſtro ducato duplo & quaſi dimidiato major fuerit. Ad hanc confuſionem accedit aurei viciſſitudo, nam modo iminutus fuit,modo reſtitutus,de quo jam alibi actum. Concurrit tandem ipſa aureorum differentia; Antiquarii tres aureos,pondere diverſos notant: Primus eſt drachmæ pondere percusſus: alterum vocant ſextulam; quod unciæ Romanæ ſexta pars ſit: Tertius eſt pondere duorum denariorum, plures adhuc vide ap. Hoſt. *Rei,num. L.V.c.2.* Sextula illa *aureus legalis* dicitur,quia Imperator *in l. quotiescunq; C. de Suſcept.* mandat, quod libra auri, in ſeptuaginta duos ſolidos feratur accepta; intelliguntur autem, per computationis neceſſitatem ſextulæ. Ex hac ratione ſolidum ſeu aureum juris Romani, jus noſtrum hodiernum ignorat. Eſt autem ſolidus & aureus in jure

unum

§.fin. J. de pœn. tem. litig. juncta *l. pen. ff. de in jus voc.* Quomodo autem hodie ſumatur aureus in jure, noſſe magis conducit. Numerus eorum inſignis eſt, qui putant, quod pro aureo ſit intelligendus Ducatus, ſive aureus Hungaricus. Vid. Weſenb. *in parat. ff. de donat. n. 6.* Richt. *deciſ. 22. n. 29.* Zieriz. *ad ſanct. crim. art. 157.* Quam ſententiam Beſoldus *in Theſ. pract.* amplectitur, ad cujus confirmationem hanc addit rationem: demonſtrat nimirum, quod ante trecentos annos florenus ſive ein Gulden/Ducatus fuerit, & quod tantum ſequentibus temporibus inter Rhenanum aureum & Hungaricum differentia ſit orta. Verbum Gulden ſine dubio a Gold proficiſcitur; inde credo, quod antiquis temporibus auream tantum denotaverit monetam: hodie autem ſecundum excellentiam certam ſpeciem argenteæ monetæ exprimit. Verbum Florenus Italicæ eſt originis; nam Reipubl. Florentinæ nummi aurei Floreni vocabantur, quod vocabulum omnibus aureis nummis poſtea impoſitum fuit. In praxi itaque obtinet, quod, ſi aurei vel ſolidi reperiantur in veteribus inſtrumentis ſeu diplomatibus, nec non in legibus pœnalibus, aurei Rhenani intelligantur. De quibus plura tradunt Moller. *1. ſemeſtr. 32.* Gail. *2. O. 39.* Aliter vero ſe habet res in furto, ibi enim jura mitiorem elegerunt viam, quæ proniora ſunt ad liberandum quam condemnandum. *cap. 3. in f. X. de prob.* Nam in Conſtit. crimin. Carolin. *art. 157.* definitur magnum furtum, ſo der Diebſtal fünff Gulden oder drüber werth/ne itaq; hominum vita ob levem ſummam interiret pœna, vix divino jure confirmata, hos florenos ſeu Gulden. Dd. aureos Hungaricos interpretantur. Vid. Bocer. *in tract. de furt. c. 5. n. 44.* Wurmſ. *1. obſerv. tit. 50.* Gœddæus *ad l. 132. de V. S.* Hahnius ad Weſenbec. *in tit. de furt. n. 15* diſſentit a Weſenbecio, qui in Conſtit. Friderici circa furtum quinque ſolidos pro tot Hungaricis explicat: nam cum Borcholt. *ad tit. de pact. c. 2. n. 14.* qui loco Hungarici aſſem populariter intelligit, ita, ut quinque ſolidi ibi ſint quinque aſſes, ſive groſſi Miſnici; quod autem amplius non attendendum, ſiquidem Carolina Conſtitutio comuni ſuffragio a Dd. aliter explicatur. Qualis ſit inter Florenum Rhenanum & Hungaricum differentia docent *Conſtitut. Imper. d. Anno 1559. & ſeqq.* nimirum aureorum liga & pondus

Aureus hodiernus.

dus ita ſe habet, ut 72. libram conſtituant & auri puri 18. carata, 16. grana habeant. Quod denuo confirmatum eſt *Conſt. Imper.* 1576. Ex marca puri auri cudi poſſe volunt. 93. Rhenanos. Ducatis Hungaricis hæc præfinita eſt liga in dictis Conſtitutionibus, ut 67. libram conficiant; in auro puro habeant 23. carata & 8. grana, vid. Sixtin. *de Regal. cap.* 10. *n.* 37. Bocerus *cap.* 3. *n.* 17. Si Imperatores hodierno tempore pœnam imponunt, iſta fit per marcas auri, quod vocatur lötiges ſeu glötiges Gold / quod nihil aliud eſt, quam aurum obryzum ſuo loco jam deſcriptum, nimirum per ignem purgatiſſimum. Marca hujusmodi in Camera ſumitur pro 72. Rhenanis vid. Copus. *deciſ.* 5. Knich. *ad jus Saxon. non prov.* Libra auri jam antiquiſſimis legibus continebat 72. ſolidos, ut videre eſt *in l.* 5. *C. de ſuſcept.* ſed differentia eſt inter hodiernam illam libram & antiquam: Libra argenti æſtimabatur aureis ſive ſolidis quinq; *l. un. C. de arg. pret.* Ad argenti vero Marcam hodiernam quod attinet, illam æquant novem floreni cũ dimidio Coloniens valoris; quorum quilibet continet 60. crucigeros: Vide Müntz *edict.* §. Zum erſten. Valde autem Marcarum ratio ſuperioribus temporibus in Germania noſtra in uſu fuit, ut fere omnia per marcas argenti computarentur. Marca autem rurſus in ſuas partes, ut olim As dividebatur, vid. Marq. Freh. *L. 6. de re monet. c. 2. in fin fol.* 41. Quomodo ſit dividenda auri marca & argenti, habet Tilem. Fries *L.* 1. des Müntz-Spiegels. Verbum Marca deſcendit a Marcha, de quibus cumprimis videatur Dn. du Cange *in Gloſſario mediæ ac inf. latin.* Hujus vocabuli meminit text. *in cap. conſtitutus. d. proc.* ubi legitur *unam Marcham ſterlingorum.* Diſtinguunt Dd in Marcham uſualem & legalem. Uſualis ſecundum cujuscunque loci conſuetudinem differt; legalis vero eſt uniformis quoad omnes & conſtituitur octo unciis auri; quælibet uncia valet octo Ducatos ſecundum Bart. *in l. quoties. C. de ſuſcep.* itaque Marcha ſecundum diſpoſitionem juris continebat Ducat. 64. Hæc autem amplius non ſunt in viridi obſervantia; nam quid opus eſt incertam veterum JCtorum opinionem ſequi, cum leges recentiores rem decidant.

§. IX. Operæ pretium eſſe duxi monetam aliquatenus explicare; quia alias multa obſcura ſunt, tam in hodierno quam antiquo jure. Quemadmodum autem quævis in Germania provincia ſuo ſingulari utitur jure; ita etiam ſecundum diverſitatem judiciorum nomine ac diviſione differt moneta ibi recepta. Jus Saxonicum longe lateque celeberrimum ac uſitatum, in ipſa Saxonia variarum introducit ſpecierum uſum in foro. Scripſit de hac re Fachſius *L. 1. diff. 70. num. 3.* Item Terminus *c. 63.* præ ceteris vero Georg. von Rothſchütz in Unterricht von Muntzen/ Schillingen und Pfennigen. *part. II. art. 22.* hanc rem ſatis perſpicue proponit. Numeratur itaq; in ipſa Saxonia diſtincto modo; nam in quibusdam locis Miſnica numerandi ratio obtinet; in aliis vero Saxonica, quorum differentia hæc eſt: Nummuli Miſnici duodecim groſſum valent, Saxonicorum vero nummulorum tantum ſex groſſo imputantur, ita, ut nummulus Saxonicus duplo major ſit Miſnico. Eapropter etiam in judiciis ea bene ſunt obſervanda, quæ antiquitus recepta, ne confundatur valor. Quinimo in ipſa Miſnica moneta differentia occurrit; nam nummuli ſunt vel veteres vel novi, recepta tamen eſt in communi vita conſuetudo illis uti nummis, quorum 12. groſſum implent: differentia autem inter veteres & novos numulos eſt, ut 6. & 8., ſeu 3. & 4. Duodecim aut ſedecim numi, ut dictum eſt, faciant groſſum ſeu Schilling; nam hoc eſt vocabulum technicum in judiciis, de cujus valore JCti Lipſienſes ita reſponderunt. Auf eure an uns zugeſchickte Frage; ob nehmlich die Wort in der Churfürſtl. Landes Ordnung *pag.* 44. und 61. das Deuben/ die unter 3. Schilling/ das iſt/ weniger denn 4. Groſchen werth/ in die Erbgerichte gehörig ꝛc. von ſchlechten und gemeinen Groſchen/ deren jeder 12. Pfennig gilt/ oder von ſolidis und ſolchen Schillingen/ welche für einen Gulden/ oder nach Sächſiſcher Conſtitution, Ungariſchen Goldgulden gerechnet wird/ verſtanden werden ſoll/ darüber ihr unſere Rechts-Belehrung gebethen habet; Erachten wir nach fleiſſiger Verleſung und Erwegung derſelben/ daß in Rechten gegründet und erkennet ſey/ daß die Churfürſtl. Landes Ordnung ſub rubr. Was zu Ober-Nieder-oder Erbgerichten gehörig ꝛc. Vermöge des klaren Buchſtabens von keinen andern Schillingen/ denn ſolchen deren einer 16.

Pecuniæ ratio in foris, imprimis Saxonico.

Pfennige gültig / und alſo drey vier Silbergroſchen machen / zu verſtehen ſeyn / V. R. W. Computatio igitur ſecundum veteres numűlos hæc eſt, ut dictus Rothſchützen inſtituit: Duodecim nummuli faciunt denarium Schilling dictum, viginti Schilling conſtituunt libram ein Pfund/hoc eſt, decem groſſos & ſex nummulos veteres. Totum Wergeldum, efficit octodecim libras ſeu Pfund / hoc eſt, octo neu Schock / ſeu 12. fl. 12. gl. ſeu etiam 24. alt Schock. Dimidia pars Wergeldi facit quatuor Silberſchock / ſeu 11. fl. 9. gl. h. e. 12. alte Schock. Secundum communem valorem, ein neu Schock / nihil aliud quam duo thaleri cum dimidio, ſeu 60 groſſi. Ein Altſchock / vero hujus tertia pars eſt, h. e. quinque ſextæ thaleri vel 20. groſſi; Ergo libra ſeu Pfund valet uno thalero duobus groſſis & octo nummulis. Secundum hanc computationem in dicaſteriis Saxonicis utplurimum judicatur. Si vero per novos nummulos numeratur, computatio hæc eſt: Duodecim faciunt denarium Schilling dictum, viginti Schillinge ſupplent libram, ſeu Pfund; octodecim libræ unum Wergeldum, quod in hac computatione valet ſex neu Schock / aut octodecim Altſchock: eapropter libra accurate hic abſolvitur viginti groſſis ſeu quinque ſextis Thaleri. Alia judicia alias inſtituunt computationes, alioſque agnoſcunt nummos; quos omnes congerere & explicare noſtri inſtituti non eſt, ſiquidem jam præter ſpem prima meditatio excrevit in magnitudinem ipſius diſſertationis æmulam.

CAPUT

CAPUT II.

Negotia cum uno nummo. Quid dicis cauſa ſit. Res mancipi quales ſint; Res nec mancipi. Ceſſio comunis transferendi modus. Mancipatio quid ſit. Forma mancipationis, in qua unus nummus ſeu æs & libra. Effectus mancipationis. Emancipatio uno nummo facta. Adoptio per æs & libram. Mancipii venditio. Tria teſtamentorum genera. Teſtamentum calatis comitiis. Teſtamentum procinctum. Teſtamentum per æs & libram. Nexus in generaliori ſignificatu. Nexus ſtricte ſumptus. Liberatio per æs & libram. Seſtertius nummus in mancipationibus adhibitus. Donatio per unum nummum. Vnus nummus ſeu viliſſimum pretium in cauſa plus petitionis. Qualem vim habuerit Mancipatio. Non ſemper dominium tranſtulit. Nec in omnibus legis actionibus adhibita. Legis actiones, non coram quovis Magiſtratu peractæ fuerunt. Reſolutio Legum obſtantium in mancipationis materia. Cur venditio & locatio uno nummo facta prohibita. Explicatio legis famoſæ 66. ff. de jure dot.

§ I.

NE veſtibulum ipſi ædificio *ἀσύμμετρον* ſit, recta via nos accingamus ad illa negotia, in quibus unus nummus in jure noſtro occurrit, & qui interdum ſimulatum pretium conſtituit. Quanquam hæc quoad maximam partem in deſuetudinem abierint, memores tamen ſumus illius Senecæ *L. 6. de Benef. cap. 1. Etiam quod diſcere ſupervacuum eſt, prodeſt cognoſcere.* Ad intellectum etenim juris facit, ut ſciamus, quæ permiſſa ſint uno nummo. Negotia cum uno nummo.

Aut ſi quid Maſuri Rubrica vetabit.

Populus Romanus Armis, ingenio, Virtutibus, nulli orbis terrarum ſecundus, non ſolum ſolicitus erat, ut proprio ingenio quantum poterat, maximam adhiberet ſolertiam, qua ſceleribus fundatum imperium Virtutibus conſervare poſſet; ſed etiam omnem movebat lapidem, ut externarum nationum beneplacita & ſagaciores leges civibus præſcribere iisq; finibus fortiſſimis Rempublicam circumſcribere valeret. In-

victa etenim eſtReſpublica,quæ armis decorata eſt atq; legibus firmata, ut eleganter dicit ſumus noſter Legislator Juſtinianus. Eapropter Romanos non pigeret itinera ſuſcipere maxima, legationes mittere graves, ut ab aliis nationibus accerſerent conſtitutiones ſolidiſſimas; a Populis inquam, quibus ipſi poſtea ſubjectionis præſcripſerunt normam. Nemo ſane ignorat, quod decem conſtituti viri, per quos peterent leges a græcis civitatibus, ex quibus primo conſtruerent decem, ſequenti vero anno duodecim tabulas. Hinc trahunt nomen LL. duodecim tabularum, *l.* 2. §. *4. 5. ff. de O. J.* Laudabile ſane inſtitutum eſt, cujus ope vel alieno commodo vel alieno periculo cautus quis fieri poteſt. Quod haud minori ſucceſſu ab Imperiali Civitate Noribergenſi obſervatum fuit: ſiquidem & hæc a ſereniſſima Republica Venetorum leges tutelares petiit An. 1506. cum venetiis Ducis Titulo inſignitus eſſet Leonhardus Lauredanus, quas etiam accepit, & inſigni felicitate poſtea civibus obſervandas præſcripſit. Dum hæc perpendo, miror ſane, quo caſu factum, quod in jure Romano quædam inveniantur ſolennitates, quæ commodo publico obſtant, & non niſi difficultatem parent. Hujus farinæ eſt illud ipſum negotium, quod per æs & Libram geritur. Quod erat ſpecies quædam venditionis, per quam antiquiſſimi Romani omnia fere negotia gerebant. Eapropter Ariſtoteles ait: *Quod ea res veterum morum duritiem redoleret, quibus omnia emebant veteres atque etiam ſuas uxores, vero non fucato pretio, nilq; niſi arma & venditionem ſcirent*, vid. Contii *Diſp. c. 16.* Et ſic omni tempore auro corrumpebantur mores & vincebantur difficultates obſtantes, quemadmodum appoſite Græcus Poëta canit:

Ἀργυρέαις λογχαῖσι μάχου πάντα κρατήσεις.

Cui latinum iſtud exacte & verbatim correſpondet:

Argenti pugna telis, atq; omnia vinces.

Quid dicis cauſa ſit. Hæc ſolennitas dicebatur *dicis cauſa* venditio, & ut ait Modeſtinus ὁσίας χάριν; non ut alii putant λόγου χάριν, νόμου χάριν. quod vetus Modeſtini interpres non male tranſtulerat, *puritatis cauſa.* Varro *L. 5. Ling. L.* hanc *dicis cauſa* locutionem antiquam eſſe dicit, ac idem ſignificare, quam dicis imo. Hotomannus, qui circa originem hujus vocabuli ſolicitus fuit,

fuit, conjicit *dicis* a recto ſeu nominativo *Dex* declinatum eſſe: *Dex dicis*. Quod verbum a *Dico* deſcendit, ut *Judex judicis* a *judico*, ſeu etiam *Index indicis* ab *indico*. Varro enim demonſtrat, quod *Judex* idem ſit ac jus dicens, inde verbum eſt compoſitum ex jure & dex; dex vero hoc modo idem ſignificat, quod *licens ſeu dicatio*. Soſipater, dum de natura hujus verbi diſſerit, contendit, illud eſſe indeclinabile, ut affatim, ſponte, nequaquam, ergo. Ejus ſenſus genuinus eſt ac leviter, defunctorie vel utcunque aliquid facere, quo in ſenſu uſurpatum eſſe cernimus a Modeſtin. *l. 13. D. de excuſat. tut.* Turnebius vult, quod trahat ſenſum ab his, quæ ut religione defungamur, utcunque facimus, *cum ſimulata olim in ea pro veris haberentur, & qualiacunq; fere pro optimis.* Inde quod apud JCtos dicitur luſorie, perfuſorie, translatitie, defunctorie munere fungi, id apud vetuſtiores dicis imo & dicis cauſa vocabatur; nam antiquiſſima eſt locutio, quemadmodum illa negotia ipſa, quæ dicis cauſa peragebantur. Haud raro hæc loquendi formula apud latinos ſcriptores obvia eſt, *in l. 1. D. ad SCt. Syll.* dicit Vlpianus: *Excuſantur ſervi, qui auxilium tulerunt ſine dolo malo: nam ſi finxerit quis auxilium ferre, vel dicis gratia, nihil hoc commentum illi proderit.* Idem reperitur ſenſus in *l. 4. ff. commodat.* & apud Plinium *L. 37. cap. 2.* Vocatur etiam *ad pompam vel oſtentionem*, quemadmodum loquitur *l. 3. §. 6. ff. commod.* Vid. imprimis notas Gothofredi ad hunc §. & legem ſequentem.

§. II. Ante omnia Venditio dicis gratia facta, ſeu mancipatio conſideranda venit, quæ erat rerum mancipi. Quales fuerint hæ res mancipi, docet Vlpianus *Inſt. Tit. 19.* nimirum: *Prædia in Italico ſolo*, (quæ adquirebantur mancipatione, traditione, uſucapione, in jure ceſſione, adjudicatione;) *tam ruſtica, qualis eſt fundus: quam urbana, qualis eſt domus. Item jura prædiorum ruſticorum: velut via, iter, actus & aquæductus.* Erant autem res mancipi etiam mobiles, inde pergit Vlpianus: *Item ſervi & quadrupedes, quæ dorſo collove domantur, velut boves, muli, equi, aſini*; excipit porro Vlpianus quædam animalia, quæ non ſunt res mancipi: *cæteræ res nec mancipi ſunt* pergit, *Elephanti & Cameli, quamvis collo dorſove dominentur, nec mancipi ſunt, quoniam beſtiarum numero ſunt.* Cur autem hæc animalia

Res mancipi quales ſint.

malia non ſint res mancipi,colligi forſitan poteſt, ex Iſidoro dum dicit: *Mancipium eſt quicquid manu capi, ſubdique poteſt: ut homo, equus, ovis. Hæc enim animalia ſtatim ut nata ſunt, mancipium eſſe putantur: nam & ea, quæ in beſtiarum numero ſunt, tunc videntur mancipium eſſe, quando domari ſive capi cœperint.* Verbum mancipare, unde originem trahit mancipium, derivant Grammatici a manu & capio, quemadmodum legimus in *l. 3. §. 3. ff. de ſtat. homin. Mancipia vero dicta, quod ab hoſtibus manu capiantur.* Quapropter etiam aliæ res, quæ manu capiebantur, mancipia ſunt dicta; immobiles autem non niſi improprie res mancipi dici poſſunt. Sumitur in jure mancipare pro vendere, adpropriare. Idem etiam eſt mancipare, quod quidem Bachovius negat, vide tamen Vin. *ad §. 1. J. de Teſtam. ordin.* ſtricte vero ſumitur pro liberorum dimiſſione ex patria poteſtate, ut mox videbimus. Omnis certe alienatio ita fit, ut aliquid per manum capiatur, vel adquiratur. Cicero *in Topic.* habet *mancipio dare*; Tacitus autem *mancipio accipere.* Mancipium late ſumptum, cujuslibet rei dominium, quod per nexum adquiſitum erat, appellabatur; inde mancipatus venditus apud Paulum *l. 1. ſent. §. ſervus per met. de integr. reſt. Servus per metum mancipatus quicquid adquiſierit, vel ſtipulatus ſit, ei acquirit, qui vim paſſus eſt.* Nec rarus eſt loquendi modus: *Mancipii ſui eſt.* nec non: *mancipii ſui non eſt.* hoc eſt, ſui juris eſt; & non eſt. Nam quia mancipia capta erant, ſui juris eſſe non poterant; nullo alio autem quam ſibi ipſi obnoxii ſunt ſui tantum mancipii. A rebus mancipi differebant, Provincialia bona, quæ ſtipendiaria & tributaria erant, nec mancipi habebantur, quia propria non erant eorum, qui ea poſſidebant, propter ſtipem & tributum, quod pendebant Principi & populo, quaſi non manciparentur eorum dominio, ut not. Briſſon. *in Lexic.* Hanc tamen differentiam inter res mancipi & nec mancipi Juſtinianus Imperator ſuſtulit in Codicis titulo *de uſucapione transformanda, & de ſublata differentia rerum mancipi & nec mancipi.* Mancipatio itaque tantum erat rerum mancipi. Ceſſio autem erat communis transferendi modus & rerum mancipi & nec mancipi; quemadmodum Ulpianus notat *in frag. Tit. 19. In jure ceſſio,* inquit, *commu-*

Res nec mancipi.

Ceſſio communis transferendi modus.

communis alienatio eſt & mancipi rerum & nec mancipi, quæ fit per tres perſonas, in jure cedentes, vindicantes, addicentes. In jure cedit dominus, vindicat is, cui ceditur, addicit Prætor; ſex enim, Ulpiano autore, ſunt acquirendarum rerum modi: emancipatio, traditio, uſucapio, in jure ceſſio, adjudicatio, lex; duo autem tantum ſunt quibus res a dominio noſtro in alienum traducuntur, mancipatio ſcil. & in jure ceſſio, contra quod Paulo viſum eſt *in l. 28. ff. de V. S.* addens etiam uſucapionem; ſed Cicero magnus JCtus *in Topic.* tantum nominat mancipationem & ceſſionem & quidem recte. Modum cedendi plenius deſcribit Cajus *in comment. inſtitutorum*, qui locus a Boëtio allegatur: nam in ea, quæ extat, ejus inſtitutorum epitome non reperitur, nec ab Ulpiano in fragmentis notatus eſt. *In Jure ceſſio*, Caji ſunt verba, *fit hoc modo; apud Magiſtratum populi Romani, vel apud Prætorem, vel apud Præſidem provinciæ is, cui res in jure ceditur, rem tenens ita vindicat. Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo. Deinde poſtquam is vindicaverit, Prætor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet, quo negante aut tacente, tunc ei, qui vindicaverit, eam rem addicit, idque legis actio vocabatur.* Solent etiam DD. ſoliciti eſſe, quibus verbis peteret Prætor, an contra vindicet, & ex notis apud Probum tam Contius in *Diſp.* quam Gothofredus *in notis ad locum prædictum* Ulpiani ita eum petiiſſe arbitrantur. A. F. A. h. e. *Anne Fias Autor*; vel etiam ita. A. T. D. Q. C. V. h. e. *Anne Tu Dicis, Qui Contra Vindicaveris*, ut etiam eſt apud Tullium *pro Muræna*, ubi obſervante Contio, *Contra* pro *Cauſa* videtur legendum. Formulam addicendi Prætoris hanc fuiſſe contendunt JCti antiquarii Q. N. H. E. H. P. E. V. A. h. e. *Quando Negas Hunc Ego Hominem Præſenti Et Vindicanti Addico*, vel potuit ea formula ſic concipi. Q.N.A.N.N.H.E.H.P.E.V.A h. e. *Quando Neque Ais Neque Negas Hunc Ego Hominem Petenti Et Vindicanti Addico.* Ex quibus colligunt DD. in rei vindicatione non ſatis fuiſſe, poſſeſſorem negare intentionem actoris, ſed præterea eam debuiſſe contra vindicare *arg. §. 3. J. de act. ibi Poſſeſſor aut Dominum ejus ſe eſſe dicat.*

§. III. Ut audivimus, per ceſſionem tam res mancipi quam nec mancipi acquirebantur. Mancipatio autem ſpecies erat alienationis, rarum tantum mancipi; ut in ejus deſcri- Manciaptio quid ſit?

deſcriptione legimus apud Ulpianum, qui dixit: *Mancipatio propria ſpecies alienationis eſt & rerum mancipi.* Equidem verbum *ET* indigitat aliquam connexionem, inde colligi poſſet, quod ſit legendum, rerum nec mancipi & rerum mancipi; verum recte monet Gothofredus, quod hæc particula & ſit diſpungenda. Dicebatur hæc mancipatio etiam Nexus, ut infra videbimus. Competebat autem non ſolum civibus Romanis, verum etiam Colonis, ut videre eſt apud Ulpian. c. l. *Mancipatio locum habet inter Cives Romanos, & Latinos colonarios Latinosq; Junianos, eosq; peregrinos, quibus commercium datum eſt.* Qui Latini colonarii fuerint? explicant DD. quod fuerint coloni miſſi in colonias Italicas, ad quorum ſimilitudinem Latina libertas introducta eſt, quæ poſtea in civitatem Romanam transfuſa per *l. un. C. de Latina libertate tollenda, & per certos modos in civitatem Romanam transfuſa*, quæ libertas lege Junia introducta erat; inde etiam vocabantur Latini Juniani. Hæ coloniæ præſtabant cæteris provincialibus, ſolisque Romanis civibus inferiores erant, utpote ſuis conditoribus. Hi tamen belli civilis autores fuerunt, cum eò miſſi eſſent, ut provinciales in officio continerent, ut Thalæus explicat ad allegatam legem unicam. Variæ tandem coloniæ hoc jus Italicum ob bene merita in rempublicam acquiſiverunt: ita Tyriorum coloniam, unde Ulpiani origo, donavit Divus Severus hoc jure. Plures numerat idem Ulpianus *in l. 1. ff. de cenſib.* Erat tamen differentia quædam inter colonias, quæ Latinorum erant, & eas, quibus jus Italiæ dabatur; ex hac ratione dicit Aſconius, quod coloniæ Latinorum honoratiores fuerint, quam quibus jus Italiæ dabatur. Cives autem Romani, in colonias Latinas proficiſcendo civitatem Romanam amittebant, ut ait Cicero pro Cecinna. Sequentibus vero temporibus, per conſtitutionem Imperatoris Antonini, omnes qui in orbe Romano erant, cives Romani effecti ſunt *l. in orbe. ff. de ſtat. hom.* Dabatur etiam Mancipatio peregrinis, quibus commercium datum eſt, quod ideo factum eſſe Cicero *pro Cecinna* adſerit, quia Sylla ita quibusdam ademit civitatem, ut non ſuſtulerit horum nexa atque hereditates. Modus Mancipationis, in quo inventuri ſumus *UNUM* noſtrum *NUMUM*, nunc eſt inſpiciendus, quem Ulpianus *in Frag. tit. III.* ita deſcribit: *ea fit cer-*

tis verbis libripende, & quinque teſtibus præſentibus. Clarius tamen explicat rem Boëtius ex Cajo ita ſcribens. *Mancipatio eſt imaginaria quædam venditio, quod ipſum jus Romanorum eſt civium; eaque res ita agitur: Adhibitis non minus quinque teſtibus, civibus Romanis puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit; Hunc ego hominem ex jure Quiritum meum eſſe ajo, iſque mihi emtus eſt hoc ære atque ænea libra: idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quaſi pretii loco,* Gothofredus rem ita deſcribit: *hæc ſolennitas fuit, qui mancipium accipiebat, æs tenens ita dicebat: Hunc ego hominem ex jure Quiritum meum eſſe ajo, isque mihi emtus eſt, hoc ære æneaque libra, deinde ære percutiebat libram, idque ei dabat, a quo mancipium accipiebat.* Ex quibus ſatis liquet, quæ antiquiſſima mancipationis fuerit ratio, nimirum, quod fuerit venditio quædam imaginaria, interveniente uno numo & quidem ab initio aſſe æneo, qui as appenſus illi dabatur, qui mancipia in alium transtulit. Cur autem as fuerit appenſus? hoc jam dixi, quia nimirum æs nondum ſignatum apud Romanos appenſum fuit, & ab hoc tempore quamvis poſtea æs ſignatum ſit, tamen ad conſervandam antiquitatem, aſſem cuſum appendebant. Adhibebatur libripens, ac ſi æs nunquam ſignatum fuerit, & hoc fiebat propter formam a jure præſcriptam, quam nemo niſi legislator mutare poterat. Ex hac autem conſvetudine non ſequitur, quod Romani aſſes etiam ſignatos primo appenderint. Plinii enim verba, quæ profert *L. 33. c. 3. ſeu ſect. 13.* bene intelligenda ſunt. *Librales, unde nunc etiam Libella dicitur, & Dupondius, appendebantur, aſſes. Quare æris gravis pœna dicta. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur, item impendia, & dependere. Quin & militum ſtipendia, hoc eſt, ſtipis pondera, diſpenſatores, libripendes dicuntur: qua conſvetudine in his emtionibus, quæ mancipii ſunt, etiam nunc libra interponitur. Servius æs primus ſignavit.* Dum Plinius aſſes librales nominat, non putat iſtos ſignatos; ſed loquitur de tempore nondum ſignati æris, quo nimirum æs per pondus, as dictum, diſtributum eſt. Nam antiquior eſt as ponderis aſſe pecuniæ. Alibi jam plura ea de re dixi. Hic occurrunt alia loca obſtantia. Feſtus pecuniam in cella Dei repoſitam,

Forma mã-cipationis jus in qua un' numus.

poſitam, impenſam vocatam fuiſſe ait; quod nondum eſſet penſa ſed tantum ſtipata. Aſt pecunia veteribus omnia bona dicebantur, ergo etiam nondum ſignatum æs. Seneca *in epiſtolis* ita dicit: *Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, vel auro argentoque ſuſpenſo, nec in theſauro ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate.* Loquitur autor de pecuniæ immenſa ſumma, quam, ut ego nullus dubito, Romani conſervandi temporis cauſa, appendere, ſicut & nos facimus cum ducatis. Et jam ſuperius demonſtravi, quod auri & argenti libræ inveniantur in jure. Quin imo Romani interdum menſi ſunt numos, ut Horatius de Vmidio refert. *L.* I. *Satyr. I.*

-- -- nec facias, quod
Vmidius quidam, non longa eſt fabula, dives
ut metiretur numos: ita ſordidus, ut ſe
Non unquam ſervo melius veſtiret.

Hoc autem nullatenus iis prodeſt, qui appenſos fuiſſe ſignatos aſſes contendunt. Non ſemper mancipatio, ſeu ad pompam venditio, numo æreo ſeu aſſe librali expediebatur; nam invenerunt ſolertes antiquitatis indagatores, quod temporibus ſequentibus, etiam ſeſtertius numus adhibitus fuerit. Primo Romani nullam aliam habebant monetam, quam æream, poſtea etiam argenti uſus invaluit, ut Plinius docet allegato loco. Quo factum ſine dubio, quod as libralis, in mancipatione in ſeſtertium mutatus fuit. Ita etiam in hoc negotio videre eſt metallorum ſucceſſio, ſiquidem aſſis numus denotat ſummam Romæ antiquitatem, ſeſtertius vero Conſulum tempus ſeu medium; quos gradus ſupra ex Contio notavi. Veriſimile videtur, quod omnia negotia, quæ aſſe & libra expediebantur, ſucceſſu temporis etiam ſeſtertio numo terminata fuerint. De quo alio loco dicturi ſumus. Atque hoc modo pleniſſimo & optimo jure dominium in accipientem transferebatur plene ſcilicet jure Quiritum; cum alioqui bonitarium duntaxat transiret. Quo accommodandum illud Horatii:

Si proprium eſt quod quis libra mercatur & ære.

Differt in eo mancipatio a mancipio venditione, quia mancipatio cujuscunque alienationis ſpecies eſt. Et id efficit

efficit, ut dominium transferatur plenum; Mancipio venditio autem in vera venditione fiebat, ut evictio præſtaretur, quod mox videbimus. Effectûs mancipationis.

§. IV. Mirum eſt, quod in manumiſſionibus ſervorum Romani non etiam hunc modum adhibuerint, cujus antiquiſſimam ſpeciem refert Cujac; *Obſ. L.* 14. *c.* 27. ſed oportet, ut expedita fuerit aliis tantum ſolennitatibus tanquam legis actio, *l.* 77. *ff. de R. I.* Interea emancipatio liberorum conſideranda eſt, quæ hac ſolennitate, antiquiſſimo Reipublicæ Romanæ tempore peragebatur. Nam, ut diximus, plurima negotia haud alia ratione peragi poterant, inde etiam Boëtius teſtatur; *Quamcunque rem lege XII. tabularum aliter quam per hanc ſolennitatem non potuiſſe alienari.* Quemadmodum mancipare idem eſt ac manu capere, ita emancipare eſt e manu dimittere, libertati reſtituere; Feſtus *L.* 5. manumittere quidem proprie de ſervis dicitur, ſed diſcrimen hocce non uſque quaque obſervatur. Veteres hoc verbo emancipare utebantur eodem ſenſu ac mancipare, nimirum pro vendere, alienare, ut Plinius ſcriptum reliquit *in epiſt. L.* 7. Elegans eſt loquendi modus Plauti, dum dicit, *emancupo me tibi*, h. e. *me a me manumiſſum me tibi trado*, quod ad noſtrum ſenſum pertinet. Emancipationes liberorum olim fiebant triplici modo, qui ſucceſſive obtinuerunt, ut Imperator Juſtinianus docet *in §.* 6. *J. quibus modis Pat. Pot. ſolvit.* Antiquiſſimus modus, qui per imaginarias venditiones & intercedentes manumiſſiones celebrabatur, heic loci eſt; ſecundus per Imperiale reſcriptum ab Anaſtaſio introductus *l. ult. C. de emancip. lib.* tertius a Juſtiniano propoſitus, ſublatis reliquis omnibus, recta via coram competente Judice. *Dionyſius Halicarnaſſeus L.* 2. refert, quod jam tempore Romuli emancipatio per venditionem obtinuerit; quam obſoletam antiquitatem nequicquam eruere conor, niſi ad LL. XII. Tabularum confugiam, quæ tanquam fons antiquitatis legum, etiam de hac re diſpoſuerunt, & quidem in tabula quarta. Reliquit iſtud Ulpianus JCtus *in fragm. Tit. X.* ubi ſimul totum negotium hujus emancipationis verbis directis exponit; *Ita enim,* ait, *liberi parentum poteſtate liberantur emancipatione, id eſt, ſi poſtea quam emancipati fuerint, manumiſſi ſint. Sed filius quidem ter*

Emãcipatio per æs & libram ſeu uno nummo facta.

mancipatus, ter manumiſſus ſui juris ſit. Id enim lex Duodecim Tabularum jubet his verbis: Si pater Filium ter venundarit, filius a patre liber eſto. Cæteri autem liberi, præter filium tam maſculi quam fœminæ, una emancipatione manumiſſioneque ſui juris fiunt. Cajus vero *Inſtit. L. 1, T. VI. §. 4.* totam ſolennitatem fuſius exhibet, nimirum in emancipationibus præter certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius appellatur. Ergo iſte naturalis pater filium ſuum, fiduciario patri mancipat, hoc eſt manu tradit, a quo, fiduciario patre, naturalis pater unam aut duos numos (ſingulare enim hic eſt, quod etiam duo numi interveniebant) quaſi in ſimilitudinem pretii accipit, & iterum eum acceptis numis fiduciario patri tradit. Hoc ſecundo & tertio fit, & ſic de patris poteſtate exit. Quæ tamen mancipatio ſolebat coram præſide fieri: ubi quinque teſtes, cives Romani, in præſenti erunt, & pro illo, qui libripens appellatur, i. e. ſtateram tenens, & qui Anteſtatus appellatur, alii duo, ut ſeptem teſtium numerus impleatur. Anteſtatus, pater fiduciarius dictus eſt, & proprie is erat, qui teſtato, id eſt, teſtibus adhibitis conveniebatur: ſicut denunciatus dicitur, cui fit denunciatio *l. venditor. ff. de re judic.* Tamen cum tertio mancipatus fuerit filius a patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut ei a fiduciario patre emancipetur, & a naturali patre manumittatur: ut ſi filius ille mortuus fuerit, & in hereditate naturalis pater, non fiduciarius ſuccedat. Fœminæ vel nepotes maſculi ex filio una emancipatione de patris vel avi exeunt poteſtate, & ſui juris efficiuntur. *l. 8. §. 1. ff. de injuſto rupto.* Vidimus in hoc negotio, quod libripens jam in deſuetudinem aberit, inde etiam de numi ſpecie nihil certi dicere licet. Reor, quod pro contrahentium beneplacito, quivis numus æreus, argenteus, aureus adhiberi potuerit, ex quo nimirum rigor antiquitatis jam mitigatus fuerit. Hæc emancipatio dicebatur fieri contracta fiducia; & hoc modo explicandus eſt *§. ult.* J. *de leg. agn. ſucceſſ.* Nam ſolebat pater naturalis ſibi cavere de filio poſt tertiam mancipationem ſibi remancipando, itemque de cæteris liberis ſibi remancipandis: quo ipſe potius eos manumitteret, & jura Patroni conſequeretur, quam extraneus manumiſſor ſive emtor ille imaginarius. Juſtinianus Imp. vero abſurdum eſſe cenſuit *in l. 6. C. de Emancipat. liber.* quod figu-

figurentur venditiones in liberas perſonas, & quam ob rem, dicta lege, juncto §. 6. *J. quibus mod. jus pat. pot. ſolv.* hanc abrogavit conſuetudinem, & alias inextricabiles circumductiones & injurioſa rhapiſmata. Quibus fiduciarius pater ſeu Anteſtatus ſibi venditum filium iterum manumittebat. vid Pichard *ad Inſt. Tom. I. p. 49.*

Mancipatio venditio per unum numum.

§. V. Eadem ſolennitate peragebatur etiam Adoptio. Notum eſt *ex §. 1. 2. 3. J. de Adopt.* quod alia ſit arrogatio, alia adoptio. Arrogatio erat perſonæ ſui juris adoptio, quæ cum cauſæ cognitione fiebat in Comitiis Curiatis: totam ſolennitatem exhibet Gellius *L. 5. c. 19.* vid. etiam Cic. *pro Dom.* Nam rogabantur adoptans & adoptandi, inde etiam Adrogatio dicebatur. In ſtatu Monarchico hoc peragebatur per Reſcriptum Principis, quoniam poteſtas populi penes ipſum erat *l. 17. ſeq. ff. de Adopt.* Ulpian. *tit.* 8. *§.* 4. Per as & libram vero ſola peragebatur adoptio nimirum filiifamilias, vel qui adhuc in poteſtate erat; nam mancipatio in hoc negotio locum ſortiebatur. Rem deſcriptam reperimus apud Gellium *citato loco: Adoptantur autem, quum a parente in cujus poteſtate ſunt, tertia mancipatione in jure ceduntur; atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio eſt, vindicantur:* idem confirmat *l. 11. C. de Adopt. Veteres circuitus in adoptionibus, quæ per tres emancipationes & duas manumiſſiones in filiis, aut per unam mancipationem, cæteris liberis fieri ſolebant.* Audivimus in præcedente liberorum emancipatione, quo ibi tertia manumiſſio etiam adhibita fuer, ſcilicet ut libertatem nanciſceretur filius, hic autem duæ mancipationes tantum erant, quia manebat in tertii poteſtate. Cæteri liberi per unam tantum mancipationem ex poteſtate parentis exibant, quemadmodum etiam audivimus in emancipationibus liberorum. Hoc jus patrem ex lege Quiritum habuiſſe teſtatur Ulpianus *l. 1. §. 2. ff. de rei Vindic.* Ejusmodi adoptionis illuſtre vidimus exemplum apud Suetonium *in Auguſto: Auguſtus*, inquit, *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram, emptos a patre Aggrippa.* Nam quia mancipatio erat, per unum numum peragebatur. Potuit autem ſummo jure Imperator domi adoptare nullo alio Magiſtratu adhibito, quia ipſe erat ſummus Magiſtratus.

Adoptio per mancipationẽ ſeu cum uno numo.

§. VI.

§. VI. Nunc etiam ea ſunt inſpicienda, quæ obtinebant, quando res *Mancipio vendebatur*, quod ſummam juris antiquitatem iterum ſapit. Sciendum autem eſt, quod olim duplex jus obtinuerit, jus Quiritum & jus commune gentium. Jus Quiritum erat, quod civium Romanorum cauſa proprie ita inſtitutum erat, ut peregrini omnes ejus plane inexperti eſſent, vel ut Juſtinianus loquitur *§. 3. de Jur. nat. Quiritum jus id dicitur, quo Quirites utuntur.* Hoc jure primo tantum gaudebant cives Romani, uſque dum etiam omnes Romani Imperii ſubditi, per Conſtitutionem Antonini, cives effecti fuerint. Ad hoc jus pertinebat etiam poteſtas *mancipio vendere.* Quales ſolennitates non niſi civibus Romanis permiſſæ erant. Cum itaque Cicero Licinium Archiam, civem Romanum, probare vellet: *His temporibus,* inquit, *quæ tu criminaris, ne ipſius quidem judicio in civium Romanorum jure eſſe verſatum & teſtamentum fecit, ſæpe noſtris legibus, & adiit hereditates civium Romanorum &c.* Eſt igitur mancipio vendere eas res, quæ mancipi ſunt, ita vendere *libra & ære* adhibitis, ut evictionis periculum præſtetur, & hæc venditio dicebatur jure Quiritum facta. Venditio vulgaris erat, ſi quando res vendita vulgariter evinci poterat; hoc ſenſu Varronis locus eſt intelligendus, cum ait: *ſi mancipio non datur,* id eſt, ſi res non acquiritur per jus Quiritum. Explicat autem Cicero *in orat. pro Muræna* qualem effectum hæc venditio habuerit, *Quod ſi in iis rebus repetendis, quæ mancipi ſunt, is periculum judicii præſtare debeat, qui nexu ſe obligavit, profecto etiam rectius, &c.* Tandem Plautus etiam plura loca proponit huic parallela, qui rem inſigniter declarant. *In Perſa* ita canit:

Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur
Mancipio, neque promittet neque quisquam dabit.

& paulo poſt:

Nihil mihi opus eſt litibus
niſi mancipio accipio; quid eo mihi opus mercimonio?

mox; *Nihil periculi videtur*
ne metuas.
Ne quis vero ex Arabia penitiſſima perſequatur eam.

Item

Item, Dorpalus:

Age judica propugnariter.

Segar, *Prius dico, hanc mancupio nemo*
tibi dabit, jam ſcis.

Item:

Ille quidem jam ſcit, quid negotii geſſerit,
Qui mihi furtivam meo periculo vendidit,
Argentum accepit: adiit: qui nunc ego ſcio.
An jam aſſeratur hæc manu? quo illum ſequar?
In Perſas? nugas.

Formam negotii jam ſupra audivimus, nimirum adhibebatur libra & æs. Sine dubio etiam interveniebant quinque teſtes & libripens, quia in omni mancipatione adhibebantur. An vero ſequentibus temporibus loco æris ſeſtertio uſi ſint? affirmare non dubito. Differentiam autem hujus venditionis a vulgari juvat accuratiori oculo inſpicere. Inerat ipſo jure huic ſolenni venditioni dupli ſtipulatio, inde etiam Paulus *L. 2. ſenten. c. 16.* ſcribit: *Quod ſi mancipatio adhiberetur, & res poſtea evinceretur, venditorem auctoritatis nomine duplo tenus obligari.* Ut itaque brevibus rem exponam: in mancipatione evictionis periculum præſtabatur propter formam adhibitam, in vulgari vero regulariter non præſtabatur. Ne autem hanc deſereret juris ſubtilitas, contràctui venditionis expreſſa ſtipulatio adjiciebatur de duplo præſtando, ſi forſan res fuerit evicta. Ita enim Varro habet *L. 2. de re ruſt: Si res mancipio non datur, dupla promitti ſolet: aut ſi ita pacti, ſimpla.* Fuit autem hæc ſtipulatio olim frequentiſſima, ad reprimendam venditorum temeritatem *l. 4. §. ſi is qui. ff. de V. O.* & dicebatur pœnalis ſtipulatio, quemadmodum Ulpianus dicit, *duplari pœnam in l. qui tabulas in pr. ff. de furt.* Diſtingvebatur vero, an res pretioſa fuerit nec ne? ſi pretioſa fuerit, ut puta margarita, veſtis ſerica, vel etiam ſervus, duplam promitti oporteret, ut Ulpianus inſtruit *in l. 37. ff. de evict.* Eadem lex diſponit *§. 2. ſi ſimplam pro dupla per errorem ſtipulatus ſit emtor, re evicta conſecuturum eum ex emto, quanto minus ſtipulatus ſit.* Reſpectu hujus duplæ ſtipulationis, oppoſitive venditio ſimplaria dicitur *l. 48. ff. de ædilitio edict.* Tandem hæc dupli ſtipulatio ita quotidiana & uſitata fuit, atque, ut Ul-

pianus dicit aſſidua, ut etiam ſi forte amiſſa fuiſſet, nihilominus in actionem exemto, propter bonæ fidei naturam, tacite veniret *l.* 31. *§. quia aſſidua ff. de ædilitio l.* 2. *D. de evict. l.* 11. *§. Caſſius D. de act. emti.*

Olim tria teſtamentorum genera.

§. VII. Venditio ſymbolica per as & libram non ſolum in his, quæ explicavimus, negotiis obtinebat; verum etiam in ipſa hæreditatis translatione locum inveniebat, quam quoque rem heic loci noſtram facere conſultum erit, ſcil. *ut nihil antiquitatis penitus ignoraretur,* quemadmodum Juſtinianus loquitur. *Nam quamvis in horum ignorantia nihil ſit periculi; tamen ad cognitionem hiſtoriæ juvat, & ut intelligatur, quemadmodum paulatim temporis proceſſu hæc mutata ſint;* Theophili ſenſus eſt *§. 1. Inſt. de Teſt. ordinand.* Populus Romanus, qui jura interdum mutabat, ut Reipubl. ipſius faciem, olim tria teſtamenti factionis genera obſervabat, quemadmodum Juſtinianus nervoſe rem propoſuit *§. 1. J. de teſtam. ordin.* Primum teſtamentorum genus pacis & otii tempore uſitatum, appellabatur *Calatis comitiis*; ſecundum cum in prælium exituri eſſent, *procinctum* dicebatur; tertium autem, quod noſtrum eſt, fiebat per *mancipationem*, h. e. per imaginariam venditionem, *ære & libra* interveniente. Plures ſunt autores, qui hanc rem declaravere, ut Briſon. *L. 1. ſelect. c. 7.* Roſin. *antiquit. Rom. L. 3.* aliique: nam non ſolum JCti hanc antiquitatem nobis ſcriptam reliquerunt, ſed hiſtorici vel ſcriptores aliarum rerum. Ulpianus JCtus, antiquitatis theſaurarius *T. XX.* ita rem deſcribit: *Teſtamentorum genera fuerunt tria; unum quod Calatis Comitiis, alterum, quod in procinctu, tertium, quod per æs & libram appellatum eſt. Illis duobus teſtamentis abolitis hodie ſolum in uſu eſt, quod per æs & libram fit.* Agellius idem confirmat *L. 15. Noct. Attic. c. 27: Tria genera teſtamentorum fuiſſe accipimus, unum quod calatis comitiis in populi concione fieret: alterum in procinctu, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur: tertium per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhiberetur.* Quanquam duo priora genera ad nos non pertineant, tamen ex connexione cauſæ illa per tranſennam quaſi adſpicere liceat, ſcilicet ut promtius poſtea nobis ſit dignoſcere ex qua ratione tertius modus, per æs & libram conficiendi teſtamenta, invaluerit. Tria cumprimis apud Romanos comi-

Teſtamentum calatis comitiis.

comitia fuerunt; *Curiata, Centuriata, Tributa.* Antiquiſſima fuerunt Curiata; omnibus autem generale nomen erat *Calata comitia.* Romulus primo urbem in curias diviſit, inde quæ peragebantur populi ſuffragio, curiis convocatis, in curiatis comitiis id fieri dicebatur: in his comitiis Reges ceterique Magiſtratus creati fuerunt. Servius ſextus Romanorum Rex, Romanos diviſit in certas claſſes, quæ claſſes a centenario numero, vel a cenſu Centuriatæ vocabantur; inde etiam *Centuriata comitia.* Sine dubio ultima comitia, propter inſtitutoris proximiorem autoritatem magis frequentabantur. Tandem A. V. C. CCLXIII inſtituta ſunt *Tributa comitia,* quæ iterum, tanquam ultima, cæteris erant frequentiora; de his videantur Cicero, Livius, Dionyſius Halic. aliique. Horum comitiorum differentiam docet Lelius Felix ab Aulo Gellio citatus d. l. *Quum ex generibus hominum ſuffragium feratur, curiata comitia eſſe; quum ex cenſu & ætate, centuriata; quum ex regionibus & locis, tributa. Centuriata autem comitia intra pomœrium fieri nefas eſſet; quia exercitum extra urbem imperari oporteat; intra urbem imperari jus non ſit: propterea centuriata in campo Martio haberi, exercitumque imperari præſidii cauſa ſolitum; quoniam populus eſſet in ſuffragiis ferendis occupatus.* Jus habendi Comitia ſolis Magiſtratibus fuit in cauſis civilibus, ita vero, ut Patritiis & majoribus Magiſtratibus Curiata & Centuriata convocare liceret: Tribuni plebis vero, Tributa etiam inſtituebant. Attamen eorum convocationes, non comitia, ſed concilia ab antiquis ſcriptoribus vocantur. *Is qui non univerſum populum,* dicit Gellius *L. XV. c. 27. ſed partem aliquam adeſſe jubet, non comitia, ſed concilium edicere debet. Tribuni autem neque advocant Patritios, neque ad eos referre ulla de re poſſunt: Ita ne leges quidem proprie, ſed plebiſcita appellantur, quæ Tribunis plebis ferentibus accepta ſunt; quibus rogationibus antea patritii non tenebantur, donec Q. Hortenſius dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur.* In rebus vero eccleſiaſticis ſive ſacris, etiam Pontifices jus habebant Centuriata & Curiata comitia celebrare. Quæ autem Calata comitia fuerint, hoc torquet eruditorum ingenia; adeundi ſunt Nicol. Gruchius & Carol. Sigonius, qui de Comitiis plenius ſcripſerunt. Putat quidem Vinnius

nius *in Comment. ad Inſt. §. 1. de Teſtam. ordin.* quod tantum Curiata fuerint Comitia, *non fuere centuriata,* dicit, *alioqui ſequeretur, nec in urbe teſtari Quirites potuiſſe, nec omnino primis temporibus teſtari ante tempora Servii, a quo primum centuriata Comitia inſtituta ſunt. Multo minus putandum eſt, hæc comitia tributa fuiſſe: quippe quorum uſus nullus fuit ante judicium Coriolani.* Quis autem Vinnio indicavit, quod in his comitiis teſtamenta facere licuiſſet, in aliis non? potius credo, quod teſtamenti factio omnium comitiorum fuerit materia communis: nam Comitia a Felice, non adeo a materiis ibi tractandis diſtinguuntur, quam a convocandi modo, & oportet Vinnium non legiſſe Gellium, ab ipſo tamen citatum, qui l. c. diſertis verbis rem decidit: *Calata Comitia eſſe, quæ pro collegio pontificum habentur, aut Regis aut Flaminum inaugurandorum cauſa, eorum autem alia eſſe curiata, alia centuriata. Curiata per lictorem curiatim calari, id eſt, convocari; centuriata per cornicinem,* ſcil. calari, *iisdem comitiis, quæ calata appellari diximus, & ſacrorum deteſtatio, & teſtamenta fieri ſolebant.* Tributorum comitiorum hic quidem nulla fit mentio, veriſimile autem eſt, quod etiam in his non excluſa fuerit Teſtamentorum materia, utpote quæ tota die occurrebat. Quum itaque celebrabantur hæc comitia, inter alia etiam teſtamenta proponebantur. Viglius exiſtimat, quod ex poſt facto, vicem horum teſtamentorum ſuppleverint ea teſtamenta, quæ inſertis precibus Principi offeruntur, juxta *l. omnium 19. C. de Ordinand. Teſtam.* ex hac quidem ratione, quia per legem regiam Princeps quodammodo totum populum repræſentat. *l. 1. ff. de Conſtit. Princ.*

Teſtamentum procinctum, ſeu militũ.

§. VIII. Hic modus teſtamentorum ſatis tutus erat, ſi quidem fiebant teſtamenta in conſpectu totius populi, ita ut nullum falſum ſubeſſe potuerit. Sed vero, ſi belli periculum immineret, oportuiſſet, ut cives ſeu milites ſæpius ſine teſtamento in campum Martiam ſe contuliſſent; quia Comitia antea memorata tantum certo tempore convocabantur: quod tanquam beneficium ipſis minime adimendum erat, qui patriam defenderent, & periculo vitæ ſuæ Reipublicæ tranquilitatem ſtabilirent. Inde alius modus teſtamentorum militibus tantum proprius obtinuit, puta *Teſtamentum, procinctum.* Fieri illa poterant quocunque tempore, quo nimirum neceſſitas belli

belli id exigebat; ea propter maxime differunt a teſtamentis *calatis comitiis*, quorum præfinitum tempus ita deſcribit Theophilus *§. I. J. de Teſtam. ordin. Teſtamentum Calatis comitiis, tempore pacis fiebat bis in anno hunc in modum: Præco univerſam circumibat civitatem conclamans, & totus populus congregabatur, & ita, qui volebat, teſte populo, teſtamentum ſcribebat: inde Calatis comitiis dictum eſt. Nam calare vocare eſt: comitia congregatio, quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum eſt teſtamentum Calatis comitiis.* Placuit quibusdam Latinitatis patronis, hanc loquendi formulam *teſtamentum procinctum* in dubium vocare, & malunt, ut dicatur teſtamentum in procinctu, ſed quodvis ſua autoritate nititur. Ulpianus *Tit. XX. de Teſtam. alterum quod in procinctu dicit.* Theophilus autem, dum iſtud deſcribit loco allegato, ſic loquitur: *Procinctum vero teſtamentum eſt, quod fiebat, quum in prælium eſſent exituri: nomenque ab habitu, in quo teſtamenta faciebant, ſortitum eſt, procinctus enim dicitur, qui accinctus eſt, & paratus ad confligendum cum hoſte. Nam cum in incerto eſſet, an redituri eſſent, teſtamento prius facto in prælium exibant.* Non tamen, monente Vinnio *loco cit:* veteres locuti ſunt, ac ſi procinctum vocarent ipſum teſtamentum, ſed illum tantum, qui iſtud faceret; & ab hoc procinctu milite vocabatur *procincta Claſſis* a Feſto. *Procinctus* pro exercitu, item *procinctus adventans* Ammianus *L. 18.* Sagis enim cincti olim pugnabant, quo expeditiores eſſent. Triplicia autem ſecundum varium expeditionis ſtatum erant militum teſtamenta. Primum hoc noſtrum eſt procinctum, quando nimirum ſcuta ſumerent, ac contra hoſtem moverent. Hujus teſtamenti formam ita deſcribit Plutarchus *in Coriol: Erat eo tempore mos Romanis prælium inituris, ſcutaque ſumtoris* περιζώννυσθαι τήβεννον, *præcingere togam ſimulque* διαθήκας ἀγράφους, *teſtamento ſine ſcripto facere, & tribus aut quatuor audientibus heredem nuncupare.* Quæ omnia plenius videbis in *J. de Teſtam. Milit.* Eo ipſo autem dum pugnaturi eſſent, acie nimirum formata, & irruente hoſte ipſis reliquum erat tempus nuncupandi teſtamentum, quod appellabatur endo procinctu, vel in procinctu. *Gloſſa Lat. Græc. endo procinctu,* ἐζωσμένοι ἐν πολέμῳ habet; veriſimile eſt, quod etiam hic pauciores teſtes, nimirum duo ſufficerent, Vid. Vinnium *in*

Comment. ad Inſt. l. c. l. 24. l. 40. ff. de teſt. milit. §. 1. J. de teſt. milit. ibique Theophilus ſcribit, quod unus ſufficiat. Tertium teſtamenti genus, in ipſo conflictu fiebat. In articulo ferme mortis ipſo, militi licitum erat heredem inſtituere, atque de patrimonio diſponere, privilegiato modo nullo plane adhibito teſte, ut videre eſt in *l. 15. C. de teſtam. milit:* nam Imperator Conſtantinus illis permittit, *ut, quomodo poſſint ac velint, teſtentur: nec uxorum, cum voluntatem patris reportaverint, meritum aut libertas dignitasve quæratur. Proinde ſicut juris rationibus licuit, ac ſemper licebit, ſi quid in vagina aut clypeo, literis ſanguine ſuo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inſcripſerint gladio ſuo, ipſo tempore, quo in prælio vitæ ſortem derelinquunt, bujusmodi voluntatem ſtabilem eſſe oportet.* Enim vero pro circumſtantia rerum teſtis hic omittendus non eſt, unus tamen ſufficiet; *Vix eſt enim, ut cujusquam manus ex hujusmodi ſcriptura adeo noſci poſſit,* notat Gothofredus *ad banc legem.* Acceperunt hanc libertatem milites a J. Cæſare; mox autem Titus Domitianus & Nerva pleniſſimam indulgentiam contulerunt. *v. l. 1. ff. de teſtam. Milit.* Cæterum teſtamenta procincta in deſuetudinem abiiſſe, dicit jam ſuo tempore Cicero *l. 2. de nat. Deor.* hoc autem puto intelligendum eſſe de nomine, non vero de re ipſa, ſiquidem, ut audivimus, ſemper privilegiata fuerunt militum teſtamenta. Inter ſingularia privilegia, quæ militibus conceſſa erant a Romanis (militaris enim hæc Reſpublica militum ſtipendio civium quærebat ſalutem,) inſigne erat, illudque rariſſimum, quod milites notis poterant conſcribere teſtamenta. Nam nec civili, nec prætorio jure teſtamentum valet, quod conſcriptum eſt notis; ſed vero militis teſtamentum hoc modo exaratum valet autoritate *l. 40. ff. de Teſtam. milit.* Paulus enim JCtus tale inſtrumentum validum eſſe dicit, *quia milites, quoquo modo velint, teſtari poſſint.* Inde accurate obſervat Cujac. *Obſerv. L. III. c. 3.* militis teſtamento per notas ſcripto, bonorum poſſeſſionem recte decerni, *ſecundum notariam:* nam licet edicto non promittat Prætor, niſi bonorum poſſeſſ. ſecundum tabulas literis perſcriptas; tamen ut hoc decreto datur bonor. poſſ. *ſecundum nuncupationem l. ult. C. de Codicil. l. 2. C. de Bon. Poſſeſſ. ſec. Tab. Secundum voluntatem* inteſtati ex imperfecto teſtamento *l. ſi duobus §. ſi prius ff. de bon.*

Bonorum Poſſ. ſecundum notariam.

bon. poſſ. con. tab. Nec non heredis nomine, poſt conſummationem teſtamenti ante mortem teſtatoris incaute deleto; *ſecundum voluntatem,* ut Cujacius putat; ita etiam hæc bonorum poſſeſſio daretur *ſecundum notariam.* Eſt autem Notaria brevis quælibet atque compendiaria ſcriptio: quo verbo utitur ſæpe Auguſtinus *in collationibus operis breviculi;* & Apulejus *L. 7. de Aſino aureo.* Frequenter etiam autores Notaria dicunt; Plutarchus *in Catone* eas deſcribit, quas ſuo tempore σιγλὰς vocatas fuiſſe memorat Juſtinianus in Græca Pandectarum autoritate. De Siglis videatur B. Dn. Linkii, præceptoris quondam mei, cujus cineres nunc veneror, *peculiaris diſſert.* Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. IX. Nunc videndum, qualis fuerit teſtamenti factio per æs & libram, & ob quam cauſam fuerit introducta, quæ certo reſpectu etiam ad nexum pertinuit, ut infra dicturi ſumus. Nimirum per teſtamentum procinctum militibus quidem proſpiciebatur, non vero aliis civibus, qui improviſo morbo impliciti, vel intereſſe non poterant comitiis, vel per temporis intervallum excludebantur, quia, ut jam ex Theophilo audivimus, tantum bis in anno celebrabantur. Quin imo totus ſexus amabilior excludebatur a teſtimenti factione: nam Gellius *L. 5. c. 19.* expreſſe dicit, *Quoniam & cum feminis nulla comitiorum communio eſt.* Ita non potuiſſent teſtamenta facere, quæ tamen reſtrictio ipſi juri naturali contraria fuisſet. Igitur tertius teſtandi modus inventus fuit, qui quovis tempore aptus erat, & etiam a feminis exerceri poterat. Dicebatur hic modus teſtamentum *per æs & libram*, quemadmodum hoc ſenſu hæres dicebatur *per æs & libram.* Cicero *L. 2. de Leg.* Hoc fieri tantum poterat per emancipationem, unde etiam Gellius *L. 15. c. 27.* dicit *per familiæ emancipationem.* Rem pro more ſuo, id eſt, accurate deſcribit Theophil. Inſt. *l. c: Ob hæc igitur,* ſcil. antea adducta incommoda, *tertia ſpecies inventa eſt, quæ dicebatur per æs & libram. Fiebant autem per emancipationem. Porro emancipatio eſt imaginaria venditio, in hunc vero modum vendebatur: Quinque aderant teſtes & libripens, cives Romani, hique puberes. Atque his præſentibus, is, qui ſucceſſor defuncti erat futurus, patrimonium morituri emebat, verba quædam dicens ſolennia, quæ nunc fruſtra ſit referre: & imaginarii pretii nomine, nummum vero domino dabat,* Teſtamentum per æs & libram, ſeu uno numo.

apel-

appellabaturque is, qui emebat familiæ emtor. Deinde ordinabat moriens, quid poſt mortem ſuam fieri vellet, dicebat enim familiæ emtori, ſive heredi: Huic volo dari fundum, illi domum, alii centum ſolidos. Supervacuum eſſet, ſi heic aliquid addere vellem de teſtibus, de libripende, de numis; ea enim omnia ex negotiis præcedentibus liquet. Hoc ipſum negotium nihil aliud erat quam mancipatio, & quanquam Theophilus ea omittat ſolemnia verba, nulla tamen ſunt alia, quam quæ ex Boët. in Top. Cicer. jam adduximus, nimirum: *Qui mancipio accipit æs tenens ta dicit: Hunc ego hominem,* hanc ego hæreditatem *meam eſſe ajo, eaque mihi emta eſt hoc ære æneaque libra, deinde ære percutit libram, indeque æs ei dat, a quo mancipio accepit, quaſi pretii loco.* Nimirum quia Romanis extra comitia teſtamenta facere non licebat, tamen per hanc venditionem imaginariam eundem effectum ſortiebantur, ſcilicet ut bona in eum transferre poterant, cui faverent. Sed circa hanc etiam teſtandi rationem, periodus quædam obſervanda venit; nam hoc modo, ut apud Theophilum legimus, hæres & venditor erat, & heres ſimul. Quia autem non leve incommodum inde oriebatur, aliam invenerunt viam, qua obviam ibant huic malo: quod ex fonte iterum hauriamus, nimirum ex Theophilo, ita enim pergit: *Tertium genus per æs & libram paulatim ſperni cœperat. Nam cum idem familiæ emtor eſſet & hæres, pro certo habens is ſe heredem futurum, in dominum hereditatis comparabat: unde complures pro veteri more familiæ emtorem adhibebant, qui imaginaria emtione patrimonium morituri emeret: ſed teſtator ſeorſum in tabulis aut chartis, quem ſibi heredem eſſe, ſcribebat.* Expedita res erat; mancipatio ſolebat fieri etiam hoc modo, uno numo, & nihil immutabatur, quam quod emtor tantum eſſet manceps fiduciarius, hoc eſt, qui tenebatur mortuo teſtatore genuino heredi, qui ſcriptus erat a teſtatore exhibitis tabulis clauſis, hereditatem reſtituere. Formalia, quæ hoc modo peragebantur, Ulpianus notavit *Tit.* 20. § 9. *In teſtamento,* inquit, *quod per æs & libram fit, duæ res aguntur, familiæ mancipatio, & nuncupatio teſtamenti. Nuncupatur teſtamentum in hunc modum: Tabulas teſtamenti teſtator tenens ita dicit; hæc uti his tabulis cериſve ſcripta ſunt, ita do, ita lego ita teſtor, itaque vos, Quirites, teſtimonium præhibetote. Quæ*

nun-

nuncupatio & teſtatio vocatur. Quod ſi paulo accuratiori oculo aſpicere velimus, nihil aliud erat, quam teſtamenti factio ordinaria, & tantum ex ea ratione adhibebatur venditio, ne in comitiis fieret. Hoc teſtamentorum genus ſatis diu obtinuit, & duobus alteris longius fuit; ita enim dicit Imperator §. 1. *J. de teſtam. ordinand*: *Illa priora duo genera teſtamentorum, ex veteribus temporibus in deſvetudinem abierunt: quod vero per æs & libram fiebat, licet diutius permanſerit, attamen partim & hoc in uſu eſſe deſiit.* De teſtamento procincto jam diximus. Teſtamentum calatis Comitiis jam Labeonis tempore deſiit; nam dicit apud Gellium Lib. 15. c. 27. *iisdem comitiis & teſtamenta fieri ſolebant*; & loquitur in præterito. Certum eſt, quod jam Ulpiani tempore exoleverint, ut ipſe dicit *T. XX. §.* 2. ejus tamen tempore adhuc vigebat teſtamentum per æs & libram: *hodie ſolum in uſu, quod per æs & libram.* Solum nimirum reſpectu horum trium: nam contendunt DD. quod etiam ſecundum formam a Prætore introductam, & juris mixti eo tempore teſtamenta quoque fierint, ut colligi poteſt *ex. l.* 22. *§.* 4. *l.* 30. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Verba Imperatoris in allegato paragrapho. *partim & hoc in uſu eſſe deſiit,* non ſunt intelligenda, ac ſi Juſtiniani tempore ejus ſpecies conſervata fuerit, cum libra & ære, ſed quia heredis quoq; inſtitutio huic negotio inerat, remanſit ea tanquam fundamentum omnium teſtamentorum *§.* 34. *J. de leg.*

§. IX. Subtilem etiam tangamus rem, quid nimirum *Nexus* ſit: nam & *nexus datio* expediebatur uno numo antiquis temporibus; ſciendum autem eſt, quod nexus dupliciter ſumatur, vel in ſenſu generali vel in ſenſu ſpeciali; ad prioris ſenſus intellectum requiritur, ut ſciamus, quid ſit Abalienatio? Hæc autem eſt vetus negotium juris civilis, id eſt, civium Romanorum proprium, peregrinis hominibus non commune, quo perfecta rei alicujus alienatio ſignificabatur, ut Briſſonius notat *in Lexico.* Itaque Ulpianus *l.* 67. *ff. de V.S*: *Abalienatum*, inquit, *non proprie dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet: venditum tamen recte dicitur.* Quibus verbis nexus in ſpeciali ſignificatione excluditur, ut mox videbimus. Abalienationis ſpecies recenſet Cicero illuſtris ille JCtus, ita *in topic.* ſcribens; *Abalie-*

Nexus datio per unum numum.

Nexus in generaliori ſignificatu.

lie-

lienatio eſt ejus rei, quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in jure ceſſio, inter quos ea jure civili fieri poſſunt. Ex quo loco videmus, quod nexus traditio in generaliori ſenſu ſumatur, ita ut comprehendat modum generalem transferendi dominium plenarie: ſed hic locus Ciceronis ſatis difficilis eſt, nam dicit: *Traditio eſt rei mancipi*, ſuperius autem ex Ulpiano didicimus *T. XIX.* §. 7. *quod traditio ſit alienatio rerum nec mancipi*, quæ certe verba ex diamentro obſtant Ciceroni; ſed notandum eſt, quod Cicero non ſimpliciter dicat *traditio*, ſed *traditio nexu.* Inde recte concludendum, quod intelligat per hanc traditionem nexu, mancipationem ipſam, quæ mancipi rerum eſt. Quo verbo, mancipationem ſignificari, Boetius non aperte quidem *in Topic. Cicer. ad hunc locum*, ſed tamen ita ſcribit, ut per bonam conſequentiam ex illis fluat. Cum enim nexus formulam ritumque ex Cajo Jurisconſ. deſcribit, dicit *nexum ad mancipationem pertinere.* Ergo ex his prolatis apparet, quod nexus in generaliori ſignificatione idem erat, ac mancipatio. In alio ſenſu etiam dicitur nexa res, quæ pignoris nomine eſt obligata. *l. 1. §. ſi quis. ff. ne vis fiat ei. l. 22. §. 1. ff. de jure fiſc. l. 7. C. de edict. act. pign.* Nexum facere idem eſt ac pignori obligare *l. pen. C. ſi al. res pign.* Nunc etiam videamus, qualem ſenſum nexum habeat, ſi ſtricte ſumatur, & hoc liquet ex Varrone *L. 6. de LL.* qui Manilii ſenſum refutat, & Mucii Scævolæ recipit; ejus verba hæc ſunt: *Nexum Manilius ſeu Mamilius, ſcribit omne, quod per æs & libram geritur, in quo ſunt mancipi. Mucius Scævola, quæ per æs & libram fiunt, ut obligentur, præterquam ſi mancipio dentur. Hoc verius eſſe ipſum verbum oſtendit, de quo quæritur.* Totum negotium ſic eſt explicandum: Manilius ita nexum ſumebat, quemadmodum Cicero, ſcil. pro cujuscunque generis mancipatione; Scævola vero in ſtrictiori ſignificatu ſumebat nexum a nectendo, non pro translatione dominii, ſed tantum pro obligatione, quam quis habebat in rem. Pergit enim Varro, & rem declarat exemplo: *Idem quod obligatur per libram, neque ſuum ſit inde pro pecunia, nexum dictum. Liber, qui ſuas operas in ſervitute pro pecunia, quam debebat, nexus vocatur, ut ab ære obæratus.* Certe ſi dicendum, quod res eſt, Scævola accuratiori modo nexum hic ſumit, cujus hæc videtur fuiſſe ratio: In mancipatione ipſa, ſeu nexu, in generaliori ſignificatione teſtibus quin-

Nexus ſtricte ſumtus.

quinque præſentibus & libripende, ceteriſque prolatis verbis, rerum dominia transferri acquirique poterant; ſemel autem translato dominio, etſi quædam reliquiæ obligationis, inito contractu ſuperſtites remanſerint, nexus tamen ideo dici minime poſſunt: nam totum negotium jam erat per hanc mancipationem ſolutum. Nempe, alter habebat rem, quam alter amplius retrahere non poterat; ille verus dominus erat irrevocabiliter, alter vero verſabatur in ſtatu privationis ſine recipiendi ſpe. In hoc autem noſtro nexu ad tempus tantum contrahebatur obligatio, & contrahentes ita nexi erant, atque ſibi invicem obligati, ut certo modo iterum nexus ſolveretur. Modus contrahendi hunc nexum idem erat ac mancipationis: nam ita apud Varronem audivimus, *quæ per æs & libram fiant, ut obligentur, præterquam ſi mancipio dentur*, h. e. numus unus adhibebatur, quinque teſtes, libripens cum ſtatera. Certæ hujus nexus ſpecies erant; quo etiam referri poſſunt teſtamenta per æs & libram: nam hæc teſtamenta ad nexum fiebant, nimirum, ut venditor familiæ reſtitueret heredi familiam. Communiſſima erat ſpecies, nexus datio & ipſi adhærens liberatio. Hoc probat apud Feſtum *L. 12. L.* Ælius Gallus, cum ait: *In eorum, quæ necti dicuntur, genera ſunt hæc: teſtamenti factio, nexidatio, nexi liberatio.* Nexidatio erat, qua ſcilicet ſe quis nectebat creditori, ob æs alienum bona fide ſerviturus, quoad ſolidum perſolviſſet; eapropter *Nexus* proprie quis dicitur, qui ita contraxit. Sic dictus, quod necteretur, id eſt, in compedibus aut nervo vinctus, & clauſus teneretur, ut ſcribit Livius *L. 8.* Duriſſima namque erat nexorum conditio, eandem ferme habebat in eos dominus poteſtatem ac in ſervos. Inducit enim Livius *L. 2.* eorum quendam, qui queritur, ſe in ergaſtulum & carnificinam pro ſervitio ductum eſſe. Atque ideo hæc & aliorum aliquot fœneratorum crudelitas creationi Tribunorum plebis occaſionem dedit, ut idem Livius perhibet, vide etiam Dionyſ. *Lib. 6. & 10. & l. 2. §. 2. ff. de Orig. Jur.* Tactum eſt in ſeceſſione Cruſtum crina, notante hoc Varrone *L. 4. de LLat.* Refert etiam Livius *L. 8.* ob unius fœneratoris L. Papyrii libidinem ſimulq; crudelitatem inſignem, ſancitum fuiſſe, ne quis amplius, niſi, qui noxam metuiſſet, donec pœnam lueret, in compedibus, aut nervo teneretur:

pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſe.

Liberatio per æs & libram.

§. X. De Liberationibus, quæ etiam hujus nexus ſpeciem faciunt, autorum eſt unanimum fere ſilentium. Non ignorat quidem jus vocabulum, ſiquidem *ex l. 57. ff. de leg. I.* diſcimus; quod liberare ſit luere, & nexum pignoris ſolvere; unde liberare prædia, eſt ſervitutem debitam remittere, & certo reſpectu liberatio & ſolutio unum idemque eſt *l. 47. ff. de V. S.* Conſulto autem id factum fuiſſe videtur, quod disjungantur in Digeſtorum & Codicis rubrica: *De ſolutionibus & liberationibus.* Solutio enim naturalem obligationem tollit, & pecuniaria eſt; Liberatio tanquam verbum generalius, cæteros omnes modos, quibus obligationes nexu contrahuntur, diſſolvit ac dimittit; ita pertinent ad liberationem confuſio & compenſatio. In noſtro ſenſu vero liberatio ad nexum in ſpecie ſic dictum pertinet: nam quemadmodum nexus contrahebatur, ita etiam ſolutum eſſe recte credimus. Quanquam ne Feſtus quidem, qui liberationem ad nexum pertinere *L. 12.* adſerit, aliquid de hac re reliquerit. Sed vero ex Varrone l. c. ſcimus, quod nexus, qui hic intelligitur, ære & libra, & aliis ad unum nummum pertinentibus ſolennitatibus, contractus fuerit; nimirum *eo modo debitor creditori ſe ſiſtebat, ob æs alienum bona fide ſerviturus, quoad ſolidum perſolviſſet, & iisdem ſolennitatibus, quibus contractus fuit, iterum diſſolvebatur,* h. e. Ære ſeu uno numo, & libra, & libripende & quinque teſtibus præſentibus. Non tantum ſic nos arbitramur; verum etiam Livius graviſſimus ſcriptor hujus ſolennitatis autor eſt, qui de Manlio Capitolino ita ſcribit: *Inde rem creditori palam populo ſolvit libraque & ære liberatum emittit.*

Triplex Romanorum matrimonium.

§. XI. Non ſine ratione dixit Ariſtoteles, ut ſupra audivimus, quod Romani omnia venditione ſive mancipatione expedirent, adeo ipſa matrimonia. Quæ materia heic loci a nobis tractanda eſt. Erant nimirum tres contrahendi modi matrimonia: *Uſu, Farre & Coemtione.* Cicero quidem *in Topicis* duo tantum genera proponit, cujus verba hæc ſunt: *Si ita Fabiæ pecunia legata eſt a viro, ſi ea uxor mater facta eſſet; ſi in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus eſt enim uxor: ejus duæ formæ: una matrum familiarum; hæ ſunt, quæ in manum convenerunt; altera earum, quæ tantummodo uxores ha-*

ben-

bentur. Sed vero Cicero potius ab effectu diviſit matrimonia, quam a forma, ſiquidem Dionyſ. Halicarnaſſeus *L. 1. Antiquit.* omnibus nuptiis far interveniſſe aſſerit. Farre autem & coemtione in manum veniebant non vero uſu. Tres ſpecies nuptiarum meminit Arnob. *L. 4. contra gentes*, & Boët. *in Topic. Cicer.* Quænam fuerit forma matrimonii confarreati, refert Ulpian. *Tit. IX: Farre convenitur in manum, certis verbis & teſtibus X. præſentibus, & ſolenni ſacrificio facto, in quo panis quoque farreus adbibebatur.* De farre multa profert Briſſonius *de ritu nuptiarum.* Effectus hujus confarreandi modi erat, quod mulier ſtatim e patris poteſtate in viri manum tranſibat. Quod colligitur ex Taciti verbis *L. 4. Añal. cap. 16: Et quando exiret e patrio jure, qui id flaminium apiſceretur, quæque in manum flaminis conveniret.* Nam fiebant nuptiæ farre per Dialem flamen, Servio autore *L. 1. Georg.* Quemadmodum autem confarreatione jungebantur, ita per diffarreationem divortia facta ſunt. Ita habet Sex. Pomp. *L. 4: Diffarreatio genus erat ſacrificii, quo inter virum & mulierem fiebat diſſolutio.* Alter modus contrahendi matrimonium plenum, per coëmtionem celebrabatur. Coëmtio quidem etiam ad adoptiones pertinebat, ut colligitur ex Ulpian. *T. XI. §. 5.* vid. etiam Cont. *in Diſp. c. 12. ſub fin.* hinc dicitur *coemtio ſenum, & ſenes coemtionales.* Primario tn. hoc verbum ſibi vindicat, Matrimonium coemtum. Majores fœminæ ſeu Matres famil. vel farre conjungebantur vel hoc modo; nam quæ uſu contrahebantur matrimonia, fœminæ minores erant, quæ non erant in poteſtate viri, ut Matres famil. inde Boëtius *in Topic. Cic.* ait: *Majores fœminæ erant, quæ ducebantur per coemtionem: quæ vero uſu minime. Coemtio fiebat, cum ſeſe in communicando, vel, ſi mavis, coemendo, invicem interrogabant: Vir, an ſibi mater familias eſſe vellet, illa reſpondebat, velle. Item mulier, an vir ſibi pater familias eſſe vellet, ille reſpondebat, velle. Itaque ſic mulier viri conveniebat in manum: & vocabantur hæ nuptiæ per coemtionem.* Sed ſpecialia unius numi omiſit Boëtius, quæ ex Varrone ſunt petenda, cujus verba Nonius refert *cap. de Doct. ind.* ex MSto allegato ab Hotomanno *in Obſer. de rit. nupt. vet. c. 24: Nubens Mulier tres ad virum aſſes ferebat, atque unum quidem, quem in manu tenebat, tanquam emendi cauſa marito dare ſolebat; alio quem in pede babebat in foco Lari-*

Matrimonium Farre.

Matrimonium per coemtionem uno numo.

 Lari-

Larium familiarium ponere; tertium in ſacciperio cum condidiſſet reſignare ſolebat, & ita dicebatur matrimonium per æs & libram contractum. Quia mancipatio erat per æs & libram celebrata, recte concludimus, quod etiam quinque teſtes cum libripende adhibiti fuerint. An etiam in diſſolutione hujus matrimonii, unus numus intervenerit? non abſonum eſt quærere, quia etiam farre contracta matrimonia farre ſolvebantur; & liberationes per æs & libram inſtitutas eſſe reperimus eodem modo, quo etiam nexusdatio fieri ſolebat. Forſan ad hunc ſenſum trahenda ſunt Nonii ultima verba; quod cum tertio numo uxor reſignaverit. Hujus matrimonii per coemtionem contracti, hinc inde poetæ etiam mentionem injiciunt: Plaut. *in Bach.* notanter dicit: *Nunc mulier me tibi emancupo, tuus ſum.* Quam conſvetudinem etiam confirmat Servius explicando Virgilii verſum *L. 1. Georg:*

Teque ſibi generum Thetis emat omnibus undis.

Galli Briſſonii tempore conſvetudinem eandem obſervabant, dum in contrahendis matrimoniis tredecim numos ſolverent. Antiquis Germanis notum erat pretium quoddam nuptiale centum ſolidorum, ut ex *Tit. 6. 9. & 17.* Legum Saxonicarum patet, quæ videre ſunt in Balluzii *Capitular. Reg. Francor.* Certe etiamnum baſis ac fundamentum matrimoniorum eſt numus. Supereſt, ut tribus verbis tantum diſſeram de matrimonio uſu contracto. Dicebatur autem uſu uxor, cum mulier ita collocabatur viro, ut is nullum jus præter uſum in eam haberet, inde non erat materfamilias, ſed tantum jure naturali uxor. vid Hotomann. *l. c. c. 25.* Erat uxor major filiæ loco: hæc vero ad uſum & liberorum tantum cauſa ducebatur. Non autem erat pellex, aut concubina, ut quidam volunt *ex l. Maſurius ff. de V. S.* Intererat enim, quo animo eam apud ſe vir haberet, uxoris an concubinæ loco? ſolo enim delectu concubina ab uxore ſeparatur, inquit Paul. *L. 2. ſent.* & Ulpianus ait; concubinam deſtinatione æſtimari *l. pen. ff. de Conc.* Aliter autem, nempe procreandæ ſobolis cauſa, dicebatur uxor, imprimis ſi ingenua ac honeſta, maritali honore dilecta *l. 16. §. quoniam ff. de his quibus, ut indig.*

Matrimonium uſu contractum

§. XII.

§. XII. Hæc ſunt negotia, quæ ære & libra expedita fuiſſe, in autoribus veteribus legimus. Reſtat, ut etiam ea conſideremus, quæ uno ſeſtertio numo expedita erant. Non vero ea ſunt negligenda tanquam præſuppoſita; quod æreus numus quidem inventus fuerit tempore Regum, & poſtea ſatis diu in vim ſymboli uſurpatus, ſed quod tempore Conſulum ejus loco numus ſeſtertius adhibitus fuerit in omni mancipationis ſymbolico actu, quod confirmat Vitruvius *L. 1. c. 14.* dicens: *Numo ſeſtertio mancipio dedit.* Occurrit autem talis ſeſtertius numus in donationibus: nam antiquis temporibus etiam prohibitum erat donare ſine aliqua ſolentate, ſiquidem totum jus eo tempore magis difficultatem quam regulam continebat. Erat autem hæc ſolennitas neceſſaria, quoties res, quæ donabatur, erat mancipi; nam ſine mancipatione res mancipi, nec vendi, nec donari poterat, quemadmodum notat Contius *in Diſp. c. 15.* Antiquiſſimus donationis modus fiebat per as & libram, quod extra dubitationis aleam poſitum eſt, ſiquidem totius mancipationis ſolennitas ſine eo, ſine quinque teſtibus & ſine libripende peragi non poterat, vid. Ulpian. *Tit. XIX. §. 3.* Quod autem fuerit etiam donatio mancipationis pars, ex eo apparet, quia erat alienatio, omnis autem alienatio fiebat per mancipationem. *Mancipatio propria ſpecies alienationis eſt rerum mancipi;* inquit Ulpianus *d. l.* Quonam vero tempore loco æris in mancipatione ſeſtertius introductus fuerit, nos latet, quam quod obſcuriſſimum, opinionem tamen noſtram infra dicturi ſumus. Sine dubio hoc factum eſt, cum Romani inciperent a juris tyrannide abhorrere, & ejus labyrinthum ad rectam convertere viam. Cujus initium factum eſt ſub Conſulibus; Imperatores ipſi manus adhibuerunt, ſed & quantum adhuc ſcatet Augiæ ſtabulum, expectandus eſt Hercules. Magnus Cujacius JCtus ſine pari, qui antiquitatis ærugine, incredibili ſolertia elucidationem juris erueret, *in Obſerv. l. X. c. 3.* producit inſcriptionem urbis Romæ veterem, in qua mentio injicitur donationis per ſeſtertium numum, quæ ita ſe habet: HOC. MONVMENTVM. L. TITVRIVS. SABINVS. SE. VIVO. DONAVIT. L. SANIO SYMPHORO. MANCVPAVITQVE. SESTERTIO. NVMO. VNO. In qua continetur, quod

Seſtertius numus in Mancipationibus adhibitus.

Donatio per unum numum facta.

quod donatio per mancipationem facta ſit, & quidem uno numo, quod idem confirmat *l. ult. C. de donationibus*; quæ etiam inſtruit, quod eadem verba ſolennia adhibita fuerint, ac in mancipatione cum ære & libra, quæ forte eadem fuerunt, quæ ſupra ex Boët. ad Cicer. Topic. adduximus. De hoc ſeſtertio operæ pretium eſt aliquid addere, verba enim allegatæ legis ita numum hüncce definiunt: *Seſtertii numi unius, aſſium quatuor*, quod ſatis obſcuritate laborat; reſtituit autem ſenſum & emendavit Contius *Diſp. c. 16.* ita nimirum interpungendo: *Seſtertii numi unius, aſſium quatuor.* Duo ſeſtertii in antiquitate reperiuntur; de primo Plinius ita loquitur *Hiſt. Nat. L. 3. c. 3: Placuit denarium pro decem libris æris, Seſtertium pro dupondio ac ſemiſſe.* Nam ſeſtertius quarta pars denarii, in decem libras diviſus, duas continet libras cum dimidia. Ex quo autem, Annibale urgente, æs imminutum fuit, *placuit denarium ſedecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis* pergit Plinius; & hic ſeſtertius noſter eſt in citata lege. Reperiuntur ejusmodi Denarii cum his litteris XVI. quod ſedecim aſſes denotat; Quinarii cum his VIII. quod octo aſſes, nunquam autem teſte Auguſtino *in Dialog. I.* Seſtertius cum IIII; hoc tamen non afficit, quo minus reapſe valuerint quatuor aſſibus, Occaſione hujus ſeſtertii, dicere poſſem, quod Romani, loco numi ærei, argentum in mancipatione uſurpaverint Q. Fabii Maximi Dictatoris demum tempore A. V. C. DXXXVII. aut poſt illud tempus; nam mutatio ſeſtertii in quatuor aſſes circa hoc tempus accidit, nimirum Belli Punici ſecundi. Cæterum hanc ſuperfluam in donationibus ſolennitatem Imperator Juſtinianus abrogavit prædicta lege *l. 37. C. de Donat.*

Quotuplex ſit ſeſterti°.

Addictio bonorum uno numo facta.

§. XIII. Hæc Mancipationis ſolennitas, ſeu unius numi ſymbolica traditio, etiam adhibita fuit in *addictione bonorum* debitoris h. e. cum debitor alieno ære oppreſſus eſſet, dicebantur alicui ejus bona, ut is debitoribus ſatisfaceret: Fiebat hoc numo ſeſtertio, ita ut per mancipationem alius emeret bona, & ea pro ratione debiti creditoribus diſtribueret. Hujus addictionis exemplum adfert *Cicero pro Poſthumo: Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Poſtumi numo ſeſtertio ſibi addici velit.* Fuit hoc flebile Ceſſionis bene-

beneficium *l. 7. §. de Ceſſione bon.* quod ſatis colligitur ex Ciceronis verbis loco cit: *Tua, Poſthume, numo ſeſtertio a me addicuntur? O meum miſerum, acerbumque præconium!* Non vero ſemper ſeſtertius adhibitus fuit, ſed etiam alius numus vilior, ut videre eſt apud Aſcon. *in Miloniana*, qui de Milone ita ſcribit: *Milo damnatus in exilium Maſſiliam intra paucos dies profectus eſt. Bona ejus propter æris alieni magnitudinem, ſemuncia venierunt.* Semuncia, ſi numus æreus fuerit, erat vigeſima quarta aſſis pars, & ducenteſima quadrageſima denarii. Perſvaſus ſum, quia numus loco ſymboli erat, quod præſertim temporibus poſterioribus quivis numus aptus fuerit.

§. XIV. Sæpius in jure unus numus habetur pro viliſſimo pretio, & poſitio eſt ſynecdochica; in quo ſenſu non poſſum definire ejus quantitatem. Quanquam Cicero *in III. pro Roſcio* ſeſtertium nominet, nimirum in cauſa plus petitionis, quæ quadruplex eſt, ſecundum §. 33. *J. de Action.* Si quis plus petebat re, tempore, loco & cauſa, cauſa cadebat. Exemplum plus petitionis in re adfert Cicero loco citato; ejus verba hæc ſunt: *Hic ſi tu amplius LLS. numo petiiſti, quam tibi debitum eſt, cauſam perdidiſti.* Recte monet Gothofredus in notis ad hunc locum, quod pro re minima numus ſeſtertius expreſſus ſit. Poſtea hæc dura pœna a Juſtiniano limitata eſt, ut non cauſa caderent re plus petentes; nam quantitatem plus petitam in triplum parti adverſæ reſtituere compellebantur *l. 2. C. de plus petit.* Sed plane ſæva pœna antiquiſſimis temporibus erat, qua luerent plus petentes amorem ſceleratum habendi. Si Plauto ſit habenda fides, capitale erat hoc attentatum, qui in *Querulo* ita ſcriptum reliquit: *Si Paraſitus amplius, quam præfinitum eſt, poſtularit, plus petiti periculo ſtranguletur.* Differt itaque in hoc ſenſu numus unus ab illo, qui loco ſymboli, negotiis cum aſſe & libra interveniebat.

Unus num. ſeu viliſſima res in cauſa plus petitionis.

§. XV. De mancipationis natura jam dixi: nam erat iſta ſolennitas neceſſaria, ut jus Quiritũ negotio ineſſet, ſeu plenaria rei translatio, quia alias per naturalẽ rei venditionem, uſus tantũ conceſſus erat, qui & mancipationi opponitur. Ita enim *Cic. L. 7. epiſt: Cujus quando proprium te eſſe dicis mancipio & nexu, meum autem uſu.* Ex. gr. ſervus jure Quiritum domini non erat, ſed tantum in ejus bonis, in uſu; ſi neq; mancipatus eſſet, neq; in jure

Qualem vim habuerit mancipatio.

ceſſus neque anno poſſeſſus, ut Theoph. *Tit. de Libert.* poſt Ulpianum *Tit. 2.* interpretatur. Hæc diſtinctio etiam obſervatur apud Lucretium *L. 3: Vitaque mancipio nullis datur omnibus uſu.* Ergo is, qui rem jure gentium tantum habebat, non proprie dominus dici poterat, ſed poſſeſſor tantum; & res ipſa non dominium, ſed uſus vel poſſeſſio, nuncupabatur, quod Feſtus declarat ita loquens: *Poſſeſſiones appellantur agri late patentes publici privatique, qui non mancipatione, ſed uſu tenentur*; ita etiam definit Javolenus *in l. 115. ff. de V. S.* poſſeſſionem: *Quicquid adprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellamus:* loquitur autem de fundis, qui extra Italicum ſolum erant; & ideo mancipari non poterant; quæ res nec mancipi vocantur. In quibus autem negotiis adhibita fuerit Mancipatio? quæſtio eſt, quæ altioris indaginis. Putant DD. communiter, quod omnes *actus legitimi* ſeu *legis actiones*, hoc modo peracti fuerint, ſed perperam; nam verum eſt, quod etiam manumiſſio ſit actus legitimus *l. 2. 3. ff. de offic. præconſ.* & tamem nullibi legimus, quod unquam in illa uſurpatum fuerit æs & libra; imo tanta antiquitatis obſcuritate totum opus mancipationis obfuſcatum, ut nihil certi de illo proferre liceat: ὡς ἐν παρόδῳ dicam, quod non ſemper mancipatio dominium transtulit: nam nec in nexusdatione ſtricte ſic dicta, nec in emancipatione, nec in venditione hereditatis proprietatem ementi acquiſivit, ut jam audivimus; transtulit tamen plenum dominium in illis contractibus, qui dominium transferunt, ut in emtione. Sed ad actus legitimos ut redeamus, caute loquitur Hotomannus, dum dicit *de Ritu nupt. vet. c. 24: Coemtio in omnibus legis actionibus celebrabatur, in quibus mancipatio interveniebat;* appellat autem coemtionem generaliter ſolennitatem cum aſſe & libra; ſed per hæc verba ſatis demonſtrat, quod dubitaverit, an in omnibus legis actionibus, mancipatio adhibita fuerit? Quid definire poſſumus? ignari ſumus, an actiones legis, & actus legitimi fuerint unum idemque. Hotomannus 32. *Illuſtr. fol. 210.* id negat, quia legis actiones Magiſtratuum etiam communes, omnes ex lege & inter præſentes tantum fieri ſolerent; in actibus legitimis autem ſecus eſſet. Cujacius ſtat contra & negat, quod differant *Obſerv. L. 15. c. 16.* Multo minus numerum Acti-

Nō ſemper dominium tranſtulit.

Nec in omnibus Legis actionibus adhibita.

Actionum legis recenſere poſſumus, *Lex 77. ff. de R. J.* aliquas nominat, ſed augentur ab Hotomanno loco cit. *pag. 218. ſeq.* quod iterum Cujacio diſplicet dicto loco. Definiunt tamen Doctores legis actionem vulgariter eum in modum: nimirum, *quod ſit id, quod fit ex præſcripto & forma legis cum ſolennibus ad rem aliquam peragendam conſtitutis,* vid. Vinnium *in Commentar. ad §. 1. J. de Adopt.*

§. XVI. Non extra ſphæram erit hic quærere: Coram quonam magiſtratu hæ legis actiones peragi potuiſſent? Communis fere eſt erronea reſponſio, quod Actiones legis ad voluntariam jurisdictionem pertineant, & quod quivis Magiſtratus illam apud ſe expedire poſſit, vid. *Vinnium loco cit.* Sed ut rem accuratius perſcrutemur, quærimus, *an voluntaria Jurisdictio jure Magiſtratus competat, an vero ex ſpeciali legis conceſſione veniat?* Amplectuntur DD. communiter priorem opinionem, diverſimode tamen. Quidam adſerunt hanc jurisdictionem jure Magiſtratus indiſtincte competere, Bald. *ad. L. 2. ff. de offic. Procons. num.* 4. Franciſc. de Claper. *tract. de Imper. & Jurisd. Concluſ.* 23. Donell. *L.* 17. *in Comment. c. 8.* Hahn. *in ff. Weſenb. tit. de offic. Proc. verb. quamvis voluntariam.* Quod autem hæc ſententia non procedat, evincit *l. 21. ff. de manum. vind.* ubi Modeſtinus ſcribit: *Apud Præfectum Ægyptii ſervum manumitti poſſe; ex Conſtit. Divi Augusti,* idem confirmat Ulpianus in *l 2. ff. de offic. Jurid.* dicens: *Adoptare quis apud Juridicum poteſt, quia data eſt ei legis Actio.* Si ex Conſtitutione hoc jus competat; ſi data ſit legis actio, ſequitur, quod non quivis Magiſtratus habeat. Alii hanc Jurisdictionem majoribus Magiſtratibus jure Magiſtratus, minoribus vero ex ſpeciali legis conceſſione competere docent. Bachov. *in Comm. ad prim. part Dig. tit. de Jurisd. cap. de ſecunda Jurisdict. diviſ. num. 6.* Sutholt. *diſſert. de Jurisdict. aphoris.* 127. Horum palmarium argumentum eſt de ſumtum ex *l. 4. ff. de Adopt.* Sed in illa tantum continetur, quod Magiſtratus, apud quem eſt legis actio, etiam ſuos filios emancipare & apud ſe in adoptionem dare poſſit. Nos cum Hillig. *ad Donell. Enucl. lib. 17. c. 8. lit. O. & P.* Vinnio *de jurisd. c. 8. §. 9. &* 10. (qui ſibi ipſi tamen contradicit *in Comment. ad §. 1. J. de Adopt.*) Duaren. *ad Tit. de Jurisd. c. 5. ſub fin.* Franzk. *in Comment. tit. de Jurisd. num. 12.* Lauterb. *Diſp. de voluntar.*

Nō coram quovis Magiſtratu peractæ fuerunt legis actiones.

Juriſd. Theſ. 13. *ſeq.* ſtatuimus, quod voluntaria Jurisdictio ſimpliciter extraordinaria ſit, & a ſpeciali legis conceſſione dependeat, non ſolum propter ea, quæ jam tradita ſunt, ſed etiam ob ſequentes textus: *l. magis puto.* 5. §. 9. *ff. de reb. eorum, qui ſub tut.* ibi: *& ideo Prætori arbitrium hujus rei dedit. l. cum hi* 8. §. 18. *ff. de transact. junct. l.* 1. *ff. de offic. ejus, cui mand. jurisd.* §. 4. *J. qui & ex quib. cauſ. manum. junct. l. mandata* 2. §. 1. *pr. l.* 1. *pr. ff. cui Mandat. jurisd. l. f. C. de Vind. & ibi Gothofr.* Fateor quidem, quod hæc omnia hodie minorem uſum præſtent, ſi tamen alicubi merum jus civile obtineret Inſinuatio donationis ac teſtam. ut & alii voluntariæ jurisdictionis actus, perperam coram quovis Magiſtratu exercerentur. Quin imo, aut illis tantum competit, quibus ſpecialiter conceſſum, aut qui cum illis comparari poſſunt, qui olim hoc jus exercebant; conſvetudo tamen optimus LL. interpres eſt. *l.* 37. *ff. de LL.*

Reſolutio Legum obſtantium circa mancipationis materiam.

§. XVII. Diximus in præcedentibus, quod per mancipationis ritum, & unius numi interventionem, negotium in jure validum olim geſtum, & quod rei dominium, ita reapſe & plenarie translatum ſit, ne quid autem deficiat, noſtrarum etiam partium eſt, ea, quæ obſtant, ſupprimere. Obſtat autem præ ceteris *l.* 55. *ff. de contrah. emt. vendit.* in qua hæc verba: *Nuda & imaginaria venditio pro non facta eſt, & ideo nec alienatio ejus rei intelligitur*, quod ex diametro noſtræ ſententiæ contradicit; ſed vero id ita accipiendum eſt; ſcil. ſi non hoc agunt contrahentes rei alicujus, ut per ſimulatam venditionem ſubtilitati juris ſuccurratur. h. e. ut tali modo negotia peragantur, quæ alias peragi non poſſint. Aliæ etiam ſunt leges obſtantes, ut *l.* 12. *ff. de aqua pluvia arcend. l.* 54. *ff. de obligat. l.* 16. *ff. de R. J. l.* 21. *C. de Transact.* Sed hi textus omnes tantum ſimulatum negotium interdicunt, quod non ſuſcipitur expediendæ ſubtilitatis cauſa juris civilis. Nam jus Juſtinianeum in totum reprobat ſimulationes in contractibus, ne anſa præbeatur fraudi & nefariis machinationibus. Hinc ortum traxit Tituli rubrica in Codice: *Plus valere, quod agitur, quam quod ſimulate concipitur.* Adeo enim hoc procedit, ut contra ipſa inſtrumenta, quæ alias maximam probandi vim habent, ſimulationis demonſtratio audiatur, *l.* 1. *h. t.* nec obſtat. *l.* 19. *ff de Uſufr. leg.* Difficil-

ficillima autem eſt ſimulationis probatio, quæ vel per teſtes, vel per conjecturas ac præſumtiones peragitur, vid. Maſcard. *Concluſ.* 438. *& ſeq.* Menoch. *L.* 8. *Præſ.* 122. Farinac. *Q.* 162. *p. l. per tot.* Hæc ſimulatio contingit vel a perſona ad perſonam: vel a contractu ad contractum; vel a re ad rem, utriusque ſcientia; tandem etiam fraude unius. *vid. Brunnem. ad hunc titul.* Ut omnis regula, ita & hæc ſuam patitur exceptionem: nam ſi inſtrumentum per ſe habeat præſumtionem juris, & de jure non admittitur ſimulationis exceptio, ut in *l. ult. C. Arbit. Tut. l. res judicata.* 207. *de R. J. l.* 8. *C. de non numer. per. l. antiquæ* 23. *C. ad SCtum. Vellej.* vel ſi æquitas aliud ſuadeat, ut in *l.* 27. *ff. Depoſit.* huic exceptioni non renunciari poteſt. vid. Card. Tuſch. *concl.* 266. *n.* 39. Cæpolla, *n.* 84. Trentacinq. *tit. de ſimulat. reſolut. n.* 11.

§. XIIX. Ut exemplum demus, & quidem pro ſubſtrata materia, Locatio unius numi in jure eſt prohibita per *l.* 41. *ff. Locat. cond. l.* 10. *§. f. ff. de A & A. Poſſeſſ.* Hoc etiam Doctores per argumentum extendunt ad emtionem, ita ut etiam emtio venditio uno numo fieri non poſſit *juncta lege* 38. *ff. de Contrab. emt. vend.* nam quaſi donationis cauſa id factum eſt, vid. Franzk. *ad Tit. Locat. Cond. num.* 61. Lauterb. *ad eund. tit. §.* 1. *Th.* 11. Nec hic plus valet, quod agitur, quam quod ſimulate concipitur, ſiquidem donatio ſua eſſentialia requirit, quæ ſi adeſſet, contractus ſubſiſteret non ex locatione, ſed ex donatione. Cur autem emtio & locatio uno numo non ſubſiſtat, ratio eſt, quia in emtione & locatione debet pretium intervenire *§.* 1. *J. de contrah. emt. vend. l.* 2. *§.* 1. *l.* 72. *ff. de contrah. emt. vendit. l.* 1. *pr. ff. de rer. permut. l.* 28. *§.* 2. *l.* 51. *§.* 1. *l.* 58. *pr. ff. Loc. Cond.* Unus numus vero in jure pretium non eſt, ſed eidem opponitur per dictam *l.* 10. *ff de A. vel A. Poſſ.* Huic autem aſſerto, quod ſcil. ſimulate uno numo non vendi poſſit res, obſtat lex famoſa 66. *ff. de jure Dotium,* quæ torſit & adhuc torquet eruditorum ingenia. Ut res ſit expeditior, ipſa legis verba adponam. Dicit Pomponius JCtus: *Si uſusfructus fundi, cujus proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi a domino proprietatis detur, difficultas erit poſt divortium circa reddendum jus mulieri: quoniam diximus uſum fructum a fructuario cedi non poſſe, niſi Domino proprietatis, & ſi extraneo cedatur, ei, qui proprietatem*

Cur Venditio & locatio, uno numo facta, prohibita?

Explicatio legis famoſæ 66. ff. de jure dotiũ.

tem non habeat, nihil ad eum tranſire, ſed ad dominum proprietatis reverſurum uſumfructum. Quidam ergo remedii loco recte putaverunt introducendum, ut vel locet hunc uſumfructum mulieri maritus, vel vendat numo uno, ut ipſum quidem jus remaneat penes maritum, perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat. Primo conciliatio hujus legis facilis erit cum prioribus aſſertis; nam hic venditio fit numo unico conſentiente jure, tollendæ ſubtilitatis juris cauſa. Sed oritur in hac lege nova quæſtio, quæ quidem hujus loci non eſt: An nimirum uſusfructus extraneo cedi poſſit? dicit lex noſtra, quod non poſſit, & adſiſtentem habet §. *pen.* J. *de Uſufruct*: Ibi Imperator his verbis utitur; *nam cedendo* ſcil. uſum fructum, *nihil agitur.* Enim vero ſtant contra leges inſigniores *l.* 12. §. 2 *ff. de Uſufr.* ibi hæc inveniuntur verba: *Uſufructuarius vel ipſe frui, vel alii fruendam concedere, vel locare, vel vendere poteſt,* jungatur *l.* 67. *ff. de Uſufr.* Imo *lex* 11. §. 2. *ff. de Pignor. & Hypoth.* expreſſe dicit, quod Prætor ſuccurrat emtoribus uſusfructus & ita jam olim in praxi hæc ſententia obtinuit, quemadmodum etiamnum hodie. Quid autem dicendum de textibus obſtantibus? Non unam paginam ſupplere poſſem colligendo Doctorum ſententias. Vinnius ad §. *pen.* J. *de Uſufr.* dicit, quod ſtatim uſusfructus revertatur ad proprietarium, ſi extraneo cedatur, allegans noſtram legem, quæ idem confirmaret; diſtingvit tamen interceſſionem in jure factam, & conceſſionem extrajudicialem, quæ ultima in uſufructu concederetur, non illa. Aliam opinionem fovent Weſenb. Parat. *ad tit. de Uſufr.* Pinel. *L.* 1. *de bonis matern. p.* 3. *n.* 39. Joh. del Caſtill. *tract. de Uſufr. c.* 69. *num.* 20. *ſeq.* Bronch. 1. aſſ. 91. qui putant, quod verba in dicto §. *pen. J. de Uſufr. nihil agitur,* ita intelligenda ſint, quaſi dixiſſet Imperator cedendo extraneo uſusfructus non finitur, non redit ad dominum proprietatis, nec ad extraneum tranſit; nulli ea ceſſio aut damnum adfert aut lucrum: quibus etiam accedit Ant. Matthæus. Cumprimis Huberus in *Prælection. ad Inſtit. ad hunc §.* idem probat, & dicit, quod verba Imperatoris, *finire* & *nihil agitur*, oppoſita ſint in hoc §. & noſtram legem ita interpretantur, quod verba *reverſurum uſumfr. ad proprietarium*, in terminis habilibus ſint accipienda, ſcil. cum tempore reverſurum, quia non dicitur reverti, ſed reverſurum. Æquitati enim minime conveni-

veniret, ex conatu cedendi toto ſtatim uſufructu mulctari. vid. Sand. c. 5. *de Action. ceſſ. n.* 35. Cæterum hæc inventio vendendi per unum numum, non omne punctum tulit difficultatis in noſtra lege *66. ff. de Jur. dotium:* nam mortuo marito tamen privabitur uxor uſufructu, qui cum proprietate poſtmodum conſolidatur, ut Gothofredus commentatur. Heu! miſeram diligentiam juris, ut ipſe loquitur JCtus in *in l. 88. §. 17. de Leg. II.* in qua obtorto collo rationes adferre coacti ſumus: quæ tot ſtrophis involuta, recti finisque extremumque eſſe nequit: quæ ambiguitate ſcatens, ſuſpendit, non decidit: quæ difficultatibus obfuſcata, impuritatis arguit puriſſimum jus, quod incredibile. Certe quoties animum converto in iſtas legis actiones, quæ verbotenus debebant proponi, ſub pœna amiſſæ actionis *l. 2. §. 6. de Orig. Jur.* In iſta negotia cum aſſe & libra; in ſubtilitates pactorum & illorum ratione minime convenientes formas: toties credo, quod monopolium non jus invenerint JCti veteres; & quod in ipſo jure ferme tantum ineptarum fabularum *§. 3. Prœm. J.* quantum juſtitiæ lateat. Gemiſcunt etiamnum tot populi ſub hoc juris, dixerimne, confuſionis jugo, & optandum eſt, quanquam non expectandum, ut veniat novus legislator, qui peregrinas leges ſtatui & tranquillitati Germanicæ contrarias, refellat, evertat, funditus eradicet.

CAPUT III.

Reliqua negotia, in quibus unus numus occurrit ſummariter conſiderata. Gerada uno numo vendi poteſt. An l. 2. C. de Reſc. Vend. locum habeat, ſi numus antiquus enormiter emtus. Probatio numi antiqui. Cedenti Bona ne unicus numus relinquendus. In ludo unus aureus poni poteſt. Et in ſponſionibus. In permutatione unus numus reſpiciendus. Caſtrenſiani unum numum ſolvunt nomine ſportularum. Inſtitutio in uno numo. Minima non curat Prætor. Quælibet actio pro uno numo. Actio doli non datur ob unum numum. Feudum unius numi. Cenſus communis denarius. Jus detractionis.

§. I.

Reſtant adhuc multa juris momenta, quæ ad *unum numum* pertinent; ſed præter ſpem ſpatium jam impletum eſt. Ani-

Reliqua negotia, in quibus un' numus occurrit, ſummariter cōſiderata.

Animus enim noſter fuit, ea palmario exponere, quæ ad antiquitatem pertinebant, & iſta negotia, quæ ære & libra peragebantur, tot locis diſperſa colligere. Interea ne quid deſideretur per indicem, iſta, quæ reſtant, indigitare fas eſt, nam ut abſtineamus oportet a pleniore elaboratione, quæ totum librum, non unam aut alteram paginam, ut nobis reſtat, conſumeret. In Saxonia permiſſum eſt Conſtitutionibus Electoralibus, ut per reciprocam donationem uxor marito Geradam donare poſſit *Conſt. Elect. Part. II. Conſt. XIII.* Requiritur autem, ut res utrinque donatæ ſint æquivalentes. *Andr. Goldb. de Gerad. c. 7. Membr. 4. num.* 54. Sed vero uxor marito longe minori pretio geradam vendere poteſt. vid. Carpz. *Jurisprud. forenſ. P. II. Conſt. XIII. Def. XI.* & etiam hoc fieri poſſe *uno aureo*, recte adſeritur. Notum eſt, quod in venditione, ſi quis enormiter ſit læſus, aut ad damni reſarcitionem, aut ad totius negotii reſciſſionem agere poſſit *vi legis* 2. *C. de reſcind. vendit.* ſed quæritur: venditus eſt *numus* antiquus, e. gr. metallio argentea Peſcennii Nigri, quam Dn. Morellius allegato *in Specim. p.* 50. qui omnium antiquorum numorum rariſſimus fere eſt, mille uncialialibus, an hic locum habeat allegata lex? Nego ex ea ratione, quia in tali numo eſt pretium affectionis, non veritatis, & quia amatores numiſmatibus pro gemmis utuntur. *l. 28. ff. de Uſufr.*

Gerada uno numo venditur.

An l. 2. C. de reſ. vend. locum habeat, ſi numus antiquus enormiter emtus?

Probatio numi antiqui.

Quod numus habeat vim probandi nemo dubitet, & ſic etiam talis numus habet præſumtionem ſolennitatis atque veritatis, ita tamen, ut rubrica codicis ſemper obtineat: *Plus valere quod agitur, quam quod ſimulate concipitur.* Et quod probatio ſimulationis ſemper obſtet, e. gr. Tot reperiuntur numi Romani: *Devictis Germanis*, quia ex hiſtoriis aliud conſtat, hæc inſtrumenta per ſimulationis exceptionem rejiciuntur. Plures quæſtiones de numo formari poſſent; ſed non pertinent ad unum numum, ſtricte ſic dictum; inde ea tantum proponam, quæ leges ſpecialiter circa unum numum diſponunt; ſive, quæ DD. ex illis per argumentum deducunt.

Cedenti bona nec unicus numus relinquitur.

In illo flebilis beneficii actu, nimirum in ceſſione, per quam debitores ſine dolo malo ære alieno obærati, omnia bona creditoribus cedunt; Carpz. *in Aſylo credit. c. 1. §. 43.* Doctores ob arg. legis *4. ff. de Ceſſione* computant, quod ne *unus numus* quidem cedenti ſit relinquendus. Alii

tamen ex æquitate veſtem quotidianam ipſi concedunt, & inſtrumenta artis. Merito a Juſtiniano prohibentur omnia ludorum genera, quia nil niſi detrimentum adferunt Reipubl. Ordinavit tamen quinque ludos licitos: Monobolon, Contomonobolon, Quintanum contacem ſine fibula, Perichiten, & Hippicem; ditioribus permiſit *unum aureum* illis ponere, *l. 3. C. de Aleat.* Sponſiones etiam permittuntur in jure *l. 3. ff. de Aleat.* ita tamen, ut tantum fiant in rebus illis, in quibus pro virtute certamen eſt; ex analogia juris eidem fines ſponſioni ſunt ponendi, ac ludo ipſi, ſcil. ne fiant ultra *unum aureum.* Sæpe accidit, ut in contractibus partim res partim pretium interveniat. Hic ſolliciti ſunt Doctores, quomodo juris negotium ſeparare poſſint. Inde dicunt, ſi utrumque æquale ſit, intentionem contrahentium reſpiciendam eſſe, ſi autem non æqualia ſint, tunc iſtud prævaleat, quod alterum *uno numo* etiam ſuperat. Ita ſi res pretium ſuperet, *uno numo* permutatio erit, ſi pecunia *uno numo* rem, venditio *§. 2. J. de emtion.* In lege *4. §. 1. in med. C. de Caſtrenſ. & Miniſterian.* varia privilegia Caſtrenſianorum & Miniſterianorum continentur, ſcil. quod non poſſint conveniri, niſi coram Comite & Magiſtro offic. nec ultra, conventionis nomine ſportularum, quam *unum numum* executoribus, uſque ad finem litis præſtent, quæcunque contigerit conveniri. Sportulas enim conventionis reus executori præſtat, quas tamen, ſi abſolvetur, ab actore repetiturus eſt. *l. ult. C. de præpoſ. agent. in reb. l. ult. C. de fruct. & lit. exp. §. tripli. J. de Act.*

[Margin: In ludo unus numus poni poteſt. — Et in ſponſionibus. — In permutatione unus numus reſpiciendus. — Caſtrēſiani unum numum ſolvunt nomine ſportularum.]

§. II. Tritum eſt iſtud proverbium JCtorum: *Plus valere inſtitutionem in uno numo factam, quam legatum mille ſolidorum,* quod mirabile viſum eſt Paulo Caſtronſi *in Auth. Noviſſ. C. de Inoff. Teſt.* ſed cum grano ſalis eſt accipiendum; nam titulus inſtitutionis eſt honorabilior titulo legati & fideicommiſſi, *l. 5. ff. legat. præſt.* & quod præcipuum eſt, inſtitutus heres habet jus accreſcendi, quod non habet, cui alio titulo quidpiam relictum eſt *l. 13. C. de hered. inſt. l. 6. ff. de bon. poſſ.* Eapropter Juſtinianus in *Nov. 115. c 3. §. 4. 5.* ſancivit, quod legitima parentibus ac liberis ſit relinquenda

[Margin: Inſtitutio in uno numo.]

inſtitutionis titulo. Domitiana quæſtio eſſet, ſi ex hoc noſtro aſſerto quis quærere vellet, an inſtitutio unius numi liberaret a querela inofficioſi teſtamenti, ſeu quod accurratius, ab actione ad ſupplementum; nam legitima definitam habet quantitatem. *N. 118. c. 1.* Dictum eſt in antecedentibus, quod unicus numus habeatur in jure pro re minima: non extra oleas vagabimur, ſi adducamus notam illam juris regulam: *Minima non curat Prætor*, quæ deſumta eſt ex *l. ſcio. 4. ff. de in integrum Reſtitut.* Caſus quidem ſpecialis ibi continetur, ſed DD. ex illa communiter concludunt, quod propter rem minimam, ſcilicet unius numi cauſam, non detur reſtitutio, quia minus juſtum eſt ob rem modicam pacta reſcindere, vid. *Bach. ad tit. de Reſt. in integr.* Ex eadem ratione non datur appellatio ob unum numum ſeu ob rem minimam *vid. Mev. P. 3. deciſ. 235.* ita tamen, ut pauperibus jus ſuum ſartum tectum conſervetur, idem Mev. *P. 5. Dec.* 84. Attamen huic poſitioni obſtare videtur Gloſſa ad *§. 16. J. de R. D.* ibi enim dicitur, quod quælibet Actio etiam in uno numo datur; ſed pro ſubſtrata materia hæc ſunt intelligenda, nimirum in furto, quod ibi committi dicitur etiam in gallinis & anſeribus. Ita in omnibus damnis hæc dicta procedunt *l. 22. de Damno infect. l. 1. §. 10. ff. de conjung. cum emancip. lib.* In criminalibus etiam unus numus maxime attenditur, ita in uſuris unicus numus excedens quincunces, facit uſurariam pravitatem. *R. J. 1548. R. J. de anno 1577. tit.* von wucherlichen *Contracten in Receſſ. Spirens. A. 1600. l. 44. ff. de Uſufr.* Unum numum fabricando committitur crimen L. Majeſtatis. *l. 2. C. de falſ. monet.* Carpz. *q. 43. n.* 10. In unica re, in unico numo committitur rapina *l. 2. §. 11. ff. de vi bon. raptor.* Singulare eſt in actione doli, quod non detur *in re modica*, quemadmodum loquitur *l. ſi quis 9. §. 6. ff. de dolo.* Quæ autem ſit res modica, definit *lex decima eod.* Non unus numus, ut hactenus ſtatuimus, ſed duo ſolidi aurei habentur

Minima nō curat Prætor.

Quælibet actio pro uno numo.

Actio doli non datur ob unum numum.

bentur pro re modica; Non enim decet, dicunt DD. præcipuum hominis bonum ob rem minimam vitiari. Marq. Freh. *L. 2. de Exiſtim. c. 7. n. 6.* Hill. ad Donell. *L. 15. c. 40. Lit. CC.*

§. III. In Feudalibus intuitu unius numi occurrunt *Bona Solidorum,* quæ imprimis in ducatu Brunſvicenſi inveniuntur, quorum forma in eo conſiſtit, ut ruſticus uno ſolido ſoluto prædium accipiat; ſed ſi ipſi reſtituatur ſolidus, iterum iſtud relinquere debet, ita tamen, ut juſta adſit cauſa, vid. Schepliz *ad Clammer. Promptuar. Tit. 12.* Nullum dubium eſt, quod & alia Feuda nec non Superficies, & Emphytevſis præſtando uno numo concedi poſſint; nam fit hoc in recognitionem dominii directi. *l. 71. §. pen. & f. de leg. 1. l. 3. 4. de reb. eorum l. 1. ſeq. C. ſi ager vectig.* Cenſus *communis denarii* in jure publico notus eſt, qui modus eſt collectandi pro viribus patrimonii, cujus æſtimatio ſic inſtituenda, ut primo de annuis reditibus fiat ſummæ capitalis æſtimatio in collecta imponenda conſideranda, alſo daß ein tauſend fl. jährlich Einkommens auf 20000. fl. Hauptgutes gerechnet werden. Plura de hoc vid. apud Dn. Schweder *Introd. Jur. Publ. P. II. c. 26.* ibiq; allegatos DD. Quia de Cenſu loquimur in Receſſu Imperii An. 1512. præcipue agitur de indictione novæ collectæ, in *§. 15. in fin.* continetur: Jubeat Imp. omnes homines, qui facultates & bona non habent, dare ſingulos *Schillingum unum.* Hic locum etiam ſibi vindicat der zente/ achte/ vierte oder dritte Pfennig: nam ad unum numum ſine dubio pertinet, quum unus ſemper numus, a decem, octo, quatuor vel tribus detrahitur jure detractionis ab illorum bonis, qui patrimonium in aliud dominium transferunt, in redhoſtimentum exhibitæ protectionis & imminuti tributi. Quæ fuſius tradere, tot impedimenta vetant: videatur tamen Cruſius *de jure emigrandi.* Cum Jure detrahendi calamum nunc detraho. Rogatum interim volo Lectorem, ut æqui bonique conſulat omnia: De unico numo

Feudum unius numi.

Cēſus communis denarii.

Jus detractionis.

ſcripſimus; exile argumentum exili ſtylo elaboratum. Nulla quidem niſi temporis & eruditionis avaritia honeſta; inde magna admirationem quidem merentia, ſed & levia non ſemper ſpernenda; quinimo in omnibus rebus Poëtæ regula obtinet:

Divitiæ grandes homini ſunt, vivere parce
Æquo animo; neq; enim eſt unquam penuria parvi.

V. & F.

Seri-

SEries Imperatorum una cum Uxoribus & Agnatis, ſecundum Chronologiam a Dn. de Dairval diſpoſita, nunc emendata, cum Inſcriptionibus Græcis ac Latinis; quæ quidem ex diverſis unius Imperatoris numis collectæ ſunt; ſimulq; vocum abruptiones plenius explicatæ. Adjecimus quoq; Imperatorum annos, tam vitæ quam regiminis. Rariſſimi per duplex RR; Rariores per ſimplex R; Communes & Vulgares per C. notantur.

IMPERIVM ALTVM.

CAJVS. JVLIVS. CÆSAR., Cai Filius. Imperator VI. Conſul V. Augur, Pontifex Maximus, Pater Patriæ. ΙΟΥΛΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. *Regimini præfuit 5. An. Vixit 56. Mortuus 43. ante Chriſtum natum. Rari ſunt ipſius numi in auro, & ære tertiæ magnitudinis.* *Imperium Altum.*

Ad hunc Imperatorem ſequentes numerantur.

Cn. Pompejus Magnus.
Sextus Pompejus, Cnei filius,
Juba Rex Mauritaniæ.
Juba Rex ejus filius.
Ptolemæus Jub. jun. fil.
M. Brutus Imp.
C. Caſſius Imp.

M. Lepidus III. Vir R. P. C.
M. Antonius III. Vir R. P. C.
Cleopatra Regina, M. Antonii Uxor.
L. Antonius, III. Viri frater.

II.

Seculum primum poſt CHRISTVM *natum.*

C. J. CAESAR AVGVSTVS, Divi Julii filius, Imperator XXI. Conſul XIII. Tribunit. Poteſt. XXXVII. Pontifex Max. Augur. Pat. Patr. CEBΑΣΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΘΕΙΟΥ. ΥΙΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. ΥΠΑΤΟΣ. ΙΓ. ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. ΛΗ. ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. *Regn. 56. Vix. 78. Mort. 14. anno poſt Chriſt. nat. Rarus in ære magno.*

LIVIA AVGVSTA, DIVA JVLIA AVGVSTA, Genetrix Orbis, ΘΕΙΑ. ΙΟΥΛΙΑ. CEBΑΣΤΗ. *Ubiq; rara.*

CAJVS CAESAR, Auguſti filius, Pontifex, Conſul deſignatus, Princeps Juventutis, ΓΑΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Ubique rarus.*

LVCIVS CAESAR, Auguſti filius, Conſul deſignatus, Augur, Princeps Juventutis, Divi Julii Nepos, ΛΟΥΚΙΟC ΚΑΙCΑΡ. *Rarus in omni ære.*

LIVIA DRVSILLA Auguſta, *uxor Auguſti. R.*

JVLIA, *Auguſti filia, Agrippæ uxor, Caji & Lucii mater. R.*

III.

TIBERIVS CÆSAR, Divi Auguſti filius, Auguſtus, Tribunitia poteſtate XXXIII. Conſul V. Imperator IX. Augur, Pontifex Maximus. ΤΙΒΕΡΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. CEBΑCΤΟΥ. ΥΙΟC. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. ΛΘ. *Regn. 23. Vix. 77. Mort. A. C. 37. Rarus in 1. magnitudine, ceterum vulg.*

JVLIA AVGVSTA, ΙΟΥΛΙΑ. CEBΑCΤΟΥ. ΘΥΓΑΤΗΡ. *RR.*

DRV-

DRVSVS CÆSAR, Tiberii Auguſti fil. Divi Auguſti Nep. Pontifex, Tribunitia Poteſtate iterum. ΔΡΟΥCOC. ΚΑΙCΑΡ. ΤΙΒ. CΕΒ. ΥΙΟC. ΔΗΜ. ΕΞ. ΟΥΠ. Β. *Rarus cum Græca epigraphe.*

DRVSVS CÆSAR, *Tiberii frater.*

Antonia Auguſta, uxor Druſi.

Germanicus Cæſar, Tib. Aug. filius, Aug. N. Coſ. deſ. II. Imp. *filius Antoniæ & Druſi a Tiberio adopt.* ΓΕΡΜΑΝΙΚΟC. ΚΑΙC. ΤΙ. CΕΒ. ΥΙΟC. *In argento rarus.*

Agrippina Marci filia, Germanici Cæſ. uxor, Mater Caji Cæſ. Germanici ſeu Caligulæ. Rara in argento & cum Græca inſcriptione.

Nero & Druſus, Cæſares Quinquennalitii Populi Romani, Pontifices, Principes juventutis, Tribunitia poteſtate, Conſules deſignati. *Germanici ex Agrippina filii.* ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙCΑΡ. ΚΑΙ. ΔΡΟΥCOC. ΚΑΙC. *R.*

IV.

Cajus Cæſar Germanicus [*ſeu Caligula*] Divi Aug. pronepos, Pont. Max. Trib. Poteſt. IIII. Conſ. IIII. Imper. II. Augur, Pater Patriæ. ΓΑΙΟC. ΙΟΥΛΙΟC. ΚΑΙC. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟC. CΕΒ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗ. ΕΞ. Δ. ΥΠ. Δ. ΠΑΤ. ΠΑΤΡ. *Reg. 4. An. Vix. 20. Mort. 41. poſt Chriſt. nat. Ubique rarus.*

CÆSONIA Auguſta, ΚΑΙCΩΝΙΑ. CΕΒΑCΤΗ. *Rariſſ.*

Agrippina, ſoror Caligulæ, ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑC. *Rara cum Græc.*

Julia, ſoror Caligulæ, ΙΟΥΛΙΑ. *RR.*

Druſilla, ſoror Caligulæ, ΘΕΙΑ. ΔΡΟΥCΙΛΛΑ. *RR.*

V.

Tib. Claudius Cæſar Aug. German. Pont. Max. Trib. Pot. XIIII. Imp. XXVII. Pat. Patr. Conſ. V. Cenſor. ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞ. ΙΔ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ. *Regn. An. 14. Vix. 64. Mort. A. C. 54. Vulgaris.*

Druſus Germanicus Imp. ΔΡΟΥϹΟΥ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ. *In argento & ære rarus.*

Antonia Auguſta, ΑΝΤΩΝΙΑ. *R. in argento.*

Agrippina Aug. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ. *R. cum Græca inſcriptione.*

Valeria Meſſalina Auguſta, ΟΥΑΛΕΡΙΑ. ΜΕϹϹΑΛΙΝΑ. ΚΑΙϹΑΡΟϹ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *RR.*

Britanicus Cæſar Aug. Fil. Princ. Juv. *Claudii & Meſſalinæ fil.* ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *RR.*

VI.

Nero Claudius Cæſar. Druſus Germanicus Princeps Juventutis, Sacerdos cooptatus in omnibus Collegiis ſupra numerum. Pont. Max. Tr. Pot. XIII. Conſ. IIII. Pat. Patriæ; ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΗΜ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Δ. ΠΑΤ. ΠΑΤ. *Reg. 14. An. Vix. 33. Mort. Anno Chriſt. 68. Vulgaris.*

Octavia Auguſta, Auguſti filia, ΟΚΤΑΒΙΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *R. in ære, RR. in auro & argento.*

Sabina Poppæa Auguſta, ΠΟΠΠΑΙΑ. ϹΑΒΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Vulgaris in ære tertiæ magn. Ceterum RR.*

Claudia Auguſta, *Neronis ex Poppæa filia, in numo plumbeo Dn. Fæſchii.*

Statilia Meſſalina Auguſta, ΣΤΑΤΙΛΙΑ. ΜΕϹϹΑΛΙΝΑ. ϹΕΒ. *RR.*

Clodius

Clodius Macer. *Regnavit in Africa* 3. *menſ.* *R.*

VII.

Servius Sulpitius Galba. Aug. Pont. Max. Tribun. Poteſt. Conſ. II. Pat. Patr. ΑΥΓ. ΣΕΒ. ΓΑΛΒΑC. ΚΑΙC. CΕΒ. ΔΗΜ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. *Reg.* 7. *Menſ. Vix.* 70. *An. Mort. A. C.* 69. *Vulgaris.*

VIII.

Otho Imp. Cæſ. Aug. Pont. Max. Coſ. deſign. II. Pat. Patr. Μ. CΑΛ. ΟΘΩΝ. ΚΑΙC. CΕΒ. *Reg.* 3. *Menſ. Vix. An.* 38. *Mort. A. C.* 69. *In ære majore RR.*

IX.

Aulus Vitellius Germ. Imp. Luc. fil. Aug. Trib. Pot. ΑΥΛ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟC. ΓΕΡ. CΕΒ. ΑΥΓ. *Reg.* 8. *Menſ. Vix. An.* 55. *Mort. A. C.* 70. *Vulgaris in argento. Ceterum RR.*

X.

Imp. Cæſ. *Veſpaſianus* Aug. Augur. Pont. Max. Trib. Pot. X. Imper. XX. Conſul. IX. Cenſor Pat. Patr. ΑΥΓ. ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC. ΚΑΙC. CΕΒ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΤΕΙΜΗΤ. Π. Π. *Reg. An.* 10. *Vix.* 66. *Mort. A. C.* 79. *Commun.*

Domitillæ Auguſtæ Matri Titi Cæſ. Veſpaſiani Aug. & Domitiani ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. CΕΒΑCΤΗ. *RR. in arg. R.*

Diva Domitilla, Divi Veſpaſiani Auguſti Filia. ΦΛΑΥΙΑ. ΔΟΜΙΤΙΛΛ. CΕΒ. *RR.*

XI.

Titus Flavius Sabinus Veſpaſianus Cæſ. Pont. Max. Coſ. VIII. Trib. Pot. XI. Imper. XVII. Augur.

Cenſor. Pat. Patr. ΤΙΤΟϹ. ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ϹΕΒ. ΤΕΙΜΗΤΗϹ. ΔΗΜ. ΕΞ. Π. Π. ΕΤΟΥϹ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. ΙΑ. *Regn. An. 2. Vix. A. 42. Mort. A. C. 81. Commun.*

ΦΛΑΥΙΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ.

Julia Sabina Auguſta, Tit. Aug. fil. ΙΟΥΛΙΑ. ϹΑΒΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. ΤΙΤ. ΚΟΡΗ. *Titi Conjux. Rar. in auro & ære primæ magnit.*

XII.

Imp. Cæſ. *Domitianus*, Aug. Germ. Coſ. XVII. Trib. Pot. XVI. Imp. XXII. Pont. Max. Cenſor Perpet. Pat. Patr. ΑΥΓ. ΚΑΙϹ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟϹ. ΦΛΑΒΙΟϹ. ϹΑΒΙΝΟϹ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗ. ΕΞ. ΙΣΤ. ΥΠΑΤΟΥ. ΙΖ. ΤΕΙΜΗΤ. Π. Π. *Regn. An. 15. Vix. An. 45. Mort. A. C. 96. Commun.*

Domitia Auguſta, Domit. Imp. Divi Cæſ. mater, ΔΟΜΙΤΙΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *R. in argento & ære primæ magnitudinis.*

Divus Cæſ. Imp. Domit. fil. *RR.*

XIII.

Imp. *Nerva* Cæſ. Aug. Germ. Trib. Pot. IIII. Coſ. IIII. Pont. Max. Imp. II. ΑΥΓ. ΝΕΡΟΥΑϹ. ΚΑΙϹ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗ. ΕΞ. Γ. ΥΠ. ΤΟ. Δ. Π. Π. *Regn. An. 2. Vix. 68. Mort. A. C. 98. Commun.*

XIV.

Seculum II. Imp. Cæſ. *Nerva Trajanus* Aug. Germ. Parthicus, Dacicus, Trib. Pot. XX. Imp. IX. Coſ. VI. Pont. Max. Pat. Patr. ΑΥΓ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹ. ΑΡΙϹΤΟϹ. ϹΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ. ΠΑΡΘ. ΔΗ. ΕΞ. ΙΘ. ΥΠΑΤ. ΣΤ. *Regn. A. 19. Vix. 64. Mort. A. C. 118. Commun.*

Plotina Auguſta, ΠΛΩΤΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Traj. uxor. RR. in aur. & arg.*

Mar-

Marciana Aug. Diva, *Trajani ſoror. R.*

Matidia Aug., *Divæ Marcianæ filia.* ΜΑΤΙΔΙΑ. CEBACTH. *Ubiq; rara.*

XV.

Imp. Cæſ. Ner. Traj. *Hadrianus* Aug. Divi Traj. Parth. fil. Divi Ner. nepos. Pont. Max. Trib. XXI. Imp. II. Coſ. VI. ΑΥΓ. ΚΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟC. CEB. ΤΡΑΙ. *Reg. An. 22 Vix. 62. Mort. A. C. 138. Commun. Rariſſimi ſunt metalliones.*

Sabina Auguſta, Hadriani Aug. P.P. ΙΟΥΛΙΑ. CΑΒΕΙΝΑ. CEB. *Commun.*

Antinous Heros, ΑΝΤΙΝΟΟC. ΗΡΟC. *RR.*

L. Aelius Cæſ. Trib. Pot. Coſ. II. *Hadriani adoptatus,* Λ. ΑΙΛΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. ΥΙΟC. ΑΔΡΙΑΝΟΥ. CEB. ΥΙΩΝ. ΘΕΙΥ. ΘΡΑΙΑΝ. ΠΑΡΘ. ΔΗ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. *R. cum Græc.*

XVI.

Imp. Cæſ. Tit. Ælius Hadr. *Antoninus Pius,* Aug. Trib. Pot. XXIV. Coſ. IV. Imp. II. P. P. ΑΥΓ. ΚΑΙΣΑΡ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CEB. ΕΥCΕΒΗC. *Regn. An. 24. Vix. 50. Mort. 161. Commun.*

Fauſtina Auguſta, ΓΑΛΕΡΙΑ. ΦΑΥCΤΕΙΝΑ. CEΒΑCΤΗ. *Antonini uxor. Commun.*

M. Annius *Galerius Antoninus*, Imp. Antonini fil. *RR.*

XVII.

M. Aurelius Antoninus Aug. Cæſ. Aug. Pii fil. Armeniacus, Parthicus, Germanicus, Sarmaticus, Maximus, Pont. Max. Trib. Pot. XXXIV. Imp. X. Coſ. III. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟC. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CEB. ΠΑΡΘ. ΓΕΡΜ. ΑΡΜΕΝΙΑΚΟC. ΣΑΡΜΑΤΙΚΟC. *Reg. A. 19. Vix. 80. Mort. A.C. 180. C.*

Fauſtina Aug. Antonini Aug. Pii filia, ΦΑΥCΤΕΙΝΑ. ΑΥΓΟΥCΤΑ. ΕΥCΕΒΟΥC. CEB. ΘΥΓΑΤΗΡ. *Commun.*

Lucius

Lucius Aurelius *Verus* & Galerius *Antoninus* ΛΕΥΚ. ΑΥΡΗΛ. ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙ. ΓΑΛΕΡΙΟϹ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. *R.*

Commodus Cæſ. Ant. Aug. fil.

Annius *Verus* Cæſ. Anton. Aug. fil. ΜΑΡΚΟϹ. ΑΝΝΙΟϹ. ΓΑΛΕΡΙΟϹ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ. ΥΙΟϹ. *RR.*

Tyrañus ſub Aurelio. Imp. Cæſ. *Avidius Caſſius* perpet. *Regn. 3. Menſ. Mort. A. C. 169. RR.*

XIIX.

L. Aurelius *Verus* Cæſ. Pii fil. Armen. Medicus Parthicus, Pont. Max. Trib. Pot. IX. Coſ. III. Imp. V. P. P. ΑΥΓ. ΚΑΙϹ. ΛΥΚ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΟΥΗΡΟϹ. ϹΕΒ. *Regn. An. 10. Vix. 42. Mort. A. C. 170. Commun.*

Lucilla. Auguſta uxor Veri Antonini Aug. fil. ΛΟΥΚΙΛΛΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Commun.*

XIX.

Imp. Cæſ. Luc. Æl. Aurel. Marcus *Commodus* Antoninus Pius, Felix, Aug. Sarmat. German. Max. Britannic. P. M. T. Pot. XIIX. Imp. VIII. Coſ. VII. ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. Λ. ΑΙΛ. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΚΟΜΜΟΔΟϹ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ΕΥϹΕΒ. ΕΥΤΥΧ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. Δ. Ε. ΙΗ. ΥΠ. Ζ. Π. Π. *Regn. An. 13. Vix. 32. Mort. A. C. 192. Rar. in auro. Cet. vulg.*

Criſpina Auguſta M. Commod. Aug. Pii Brit. P. P. ΚΡΙϹΠΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Commun.*

Marcia ejus Concubina.

XX.

Imp. Cæſ. Publ. Helvius *Pertinax.* Aug. Pont. M. Trib. Pot. Coſ. II. P. P. ΑΥΓ. Κ. ΠΟΥΒΛ. ΗΛΟΥΙΟϹ. ΠΕΡ-

ΠΕΡΤΙΝΑΞ. CEB. Δ. Ε. *Reg. 3. Menſ. Vix. 61. An. Mort. A. C. 193. RR.*

Flavia *Titiana* Aug. TITIANA. CEBACTH. *RR.*

XXI.

Imp. Cæſ. M. *Didius* Severus *Julianus*, Aug. P. M. Trib. Pot. Coſ. II. P. P. *Regn. 2. Menſ. Vix. 56. An. Mort. A. C. 193. Rarus in auro & argento, nec non in ære II. & III. magnitudinis.*

Mantia Scantilla Auguſta, *uxor Jul. R.*

Didia Clara Auguſta, *Juliani filia. R.*

XXII.

Imp. Cæſ. Cajus *Peſcennius Niger*, Juſtus Coſ. II. ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠΕCΚΕΝΝΙΟC. ΝΕΙΓΡΟC. ΙΟΥCΤ. CEB. ΥΠΑΤ. Β. *Regn. 2. An. Vix. 58. Mort. A. C. 195. RR.*

XXIII.

Decimus Clodius Septimius *Albinus*, Cæſ. Aug. Coſ. ΑΥΤ. Κ. Δ. ΚΛΟΔΙΟC. ΑΛΒΕΙΝΟC. CEB. *Reg. 4. An. Vix. — Mort. A. C. 198. R. in auro & ære III. magnitudinis.*

ΠΕCΚΕΝΝΙΑ. ΠΛΑΥΤΙΑΝΑ. CΕΒΑΣΤΗ. *Albini conjux. R.*

XXIV.

Imp. Cæſ. L. Septim. *Severus* Pertinax Pius Arabicus, Adiabenicus, Parthicus, Maximus, P. M. Trib. Pot. XIIX. Imp. XII. Coſ. III. ΑΥΤ. ΚΑ. CΕΠΤ. CΕΟΥΡΟC. ΠΕΡΤΙΝΑΞ. CEB. ΑΡΑΒ. ΑΔΙΑΒΗΝ. ΠΑΡΘ. *Reg. An. 19. Vix. 65. Mort. A. C. 212. Commun.* *Seculum III.*

Julia Domna Pia Felix, Auguſta, Mater Caſtrorum, ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. ΕΙCΕΒ. CEBACTH. *R.*

XXV.

M. Aurelius *Antoninus* Pius Felix, Aug.

Germ. Parth. Max. Britannicus; Trib. Pot. XX. Imp. III. Coſ. IV. P. P. [h. e. *Caracalla*] ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ϹΕΟΥΗΡΟϹ. ϹΕΒ. ΒΡΙΤΑΝΝΙΚΟϹ. ΓΕΡΜ. *Reg. An.* 6. *Vix.* 43. *Mort. A. C.* 217. *C.*

Fulvia *Plautilla* Auguſta, Antonini Pii Fel. Aug. Brit. Φ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ. ϹΕΒ. *Commun. in argent. cet. R.*

XXVI

Publ. Septimius *Geta* Cæſ. Pius Auguſt. Brit. Pont. Trib. Pot. IV. Coſ. II. Deſignatus III. P. P. Π. ϹΕΠΤΕΙΜΙΟϹ. ΓΕΤΑϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒ. ΒΡΙΤ. ΔΗ. ΕΞ. Δ. *Regn.* 2. *An. Vix.* 25. *Mort. A. C.* 213. *R.*

XXVII.

Imp. Cæſ. Marcus Aurelius Opelius Severus *Macrinus* Aug. Pont. Max. Tr. Pot. II. Coſ. II. P. P. ΑΥΓ. Κ. Μ. ΟΠΕΛ. ϹΕΟΥΗΡΟϹ. ΜΑΚΡΕΙΝΟϹ. ϹΕΒ. ΕΤΟΥϹ. Β. ΥΠ. ΤΟ. Β. *Regn.* 2. *An. Vix.* — *Mort. A. C.* 218. *Rarus in auro & ære I. magnitud.*

Nonia Celſa Auguſta, ΝΩΝΙΑ. ΚΕΛϹΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. RR.

XXVIII.

M. Opelius Antoninus *Diadumenianus* Cæſ. Macrini Aug. Fil. Aug. Pont. Tr. Pot. Coſ. II. Μ. ΟΠΕΛ. ΔΙΑΔΥΜΕΝΙΑΝΟϹ. ΑΝΤΩΝΙΝ. ΚΑΙϹ. ΑΥΓ. ϹΕΒ. ΔΗ. ΕΞ. ΥΠ. Β. *Reg.* 1. *An. Vix.* 16. *Mort. A. C.* 218. *Rarus in auro & ære I. magnitud.*

XXIX.

Imp. *Antoninus* Pius Aug. M. Aurel. Ant. P. M. Pius, Felix, P. P. Trib. Pot. V. Coſ. IV. Invictus, ſummus ſacerdos Dei ſolis, [h. e. *Elagabalus*] ΑΥΓ. Κ. Μ. ΑΥΡΗΛ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. ΕΥϹΕΒΗϹ. ΕΥΤΥΧΗϹ.

Δ. Ε.

Δ. Ε. Ε. ΥΠ. Δ. *Regn. An.5. Vix.18. Mort. A.C. 222. Rarus in ære I. magnitud. & cum nomine Elagabalus.*

Julia Maeſa Auguſta, ΙΟΥΛΙΑ. ΜΑΙCΑ. ΑΥΓΟΥCΤΑ. *Avia Elagabali. Rar. in auro & cum Græca inſcript.*

Julia Soemias Auguſta, ΙΟΥΛΙΑ. CΟΑΙΜΙΗC. CΕΒ. ΜΗΤΗΡ. CΕΒΑCΤΟΥ. *Mater Elagabali. Rara in auro & ære.*

Julia Corn. *Paula* Auguſta, ΙΟΥΛΙΑ. ΚΟΡΝΗΛΙΑ. ΠΑΥΛΑ. CΕΒΑCΤΗ. *Elagabali conjux. Rara in auro & ære.*

Julia *Aquilia Severa* Auguſta, ΙΟΥΛΙΑ. ΑΚΟΥΙΛΙΑ. CΕΥΗΡΑ. CΕΒ. *Elagabali conjux. RR.*

Annia Fauſtina Auguſta, ΑΝΝΙΑ. ΦΑΥCΤΕΙΝΑ. CΕΒΑCΤΗ. *Elagabali conjux. RR.*

XXX.

Imp. Cæſ. M. Aurel. Severus *Alexander* Pius, Felix, Aug. P. M. Tr. P. XIV. Coſ. III. P. P. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟC. CΕΟΥΗΡΟC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΕΥC. ΕΥΤ. CΕΒ. L. ΙΔ. *Reg. An. 15. Vix. 29. Mort. A.C. 235. C.*

Julia *Mammæa* Auguſta, ΙΟΥΛΙΑ. ΜΑΜΑΙΑ. CΕΒ. ΜΗΤ. ΑΥΓ. *Mater Alexandri, ſoror Juliæ Soemiæ. Commun.*

Sulpicia Memmia Auguſta, CΟΥΛΠΙΚΙΑ. ΜΕΜΜΙΑ. CΕΒΑCΤΗ. *RR.*

XXXI.

Imp. C. Cajus Julius *Maximinus* Pius, Aug. Germ. P. M. Tr. P. III. Coſ. II. P. P. ΑΥΓ. Κ. ΚΑΙΟC. ΙΟΥΛΙΟC. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟC. CΕΒ. ΓΕΡΜ. L. Γ. *Regn. 3. An. Vix. 65. Mort. A.C. 237. Commun.*

Diva Paulina Auguſta, *in omni metallo rara.*

XXXII.

C. Jul. *Maximus* Verus Aug. Germ. Γ. ΟΥΑ. ΟΥΗΡ. ΜΑΞΙΜΟϹ. ΚΑΙϹ. ΓΕΡΜ. *Regn. 3. An. Vix. 21. Mort. A. C. 237. R. in argento & Græc.*

XXXIII.

Imp. C. M. Antonius *Gordianus Afr.* Aug. P. M. Tr. Pot. Coſ. P. P. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩΝΙΟϹ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΦΡΙΚ. ϹΕΒ. Δ. Ε. *Regn. 6. Menſ. Vix. An. 80. Mort. A. C.* 237. *RR.*

XXXIV.

Imp. C. M. Antonius *Gordianus Afr.* [*filius*] Aug. P. M. Tr. Pot. Coſ. P. P. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩΝΙΟϹ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΦΡΙΚ. ϹΕΒ. Δ. Ε. *Regn. 6. Menſ. Vix. An. 46. Mort. A. C. 237. RR.*

XXXV.

Imp. C. Decimus Cælius *Balbinus*, Pius Fel. Aug. T. P. Coſ. II. P. Max. P. P. Pater Senatus, ΑΥΤ. Κ. ΔΕΚ. ΚΑΙΛΙΟϹ. ΒΑΛΒΕΙΝΟϹ. *Regn. 2. An. Vix. 60. Mort. A. C. 239. Rarus in auro.*

XXXVI.

Imp. Cæſ. M. Clod. *Pupienus*, Maximus Aug. Fel. T. P. Coſ. II. Pat. Sen. ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. Μ. ΚΛΩΔΙΟϹ. ΠΟΥΠΙΗΝΟϹ. ΜΑΞΙΜΟϹ. ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ. *Regn. 2. An. Vix. 74. Mort. A. C. 239. Rar. in auro.*

XXXVII.

M. Antonius *Gordianus* Cæſar Pius fil. Aug. P. M. Tr. Pot. V. Coſ. II. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩΝΙΟϹ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ΕΥϹ. ΕΥΤ. ϹΕΒ. Δ. Ε. ΣΤ. *Regn. 6. An. Vix.* 22. *Mort. A. C. 244. Commun.*

Furia Sabina *Tranquillina* Auguſta, ΦΟΥΡΙΑ. ϹΑΒΕΙΝΑ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ. ϹΕΒ. *RR.*

Imp.

Imp. Cæſ. M. *Marcius*, Aug. P. M. T. P. *Regn. 1. Menſ. Vix.— Mort. A. C. 244. RR.*

Imp. Cæſ. L. Aurel. Sev. *Hoſtilianus*, Aug. P. M. T. P. *Reg. & Mort. eod. temp. RR.*

XXXVIII.

Imp. M. Julius *Philippus* Pius Fel. Aug. Tr. P. VI. Coſ. III. P. M. Pat. Patr. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠ-ΠΟC. CΕΒΑCΤΟC. *Regn. 5. An. Vix.— Mort. A. C. 249. Commun.*

Marcia *Otacilia*, Severa Aug. ΜΑΡΚ. ΩΤΑ-ΚΙΛΛΑ. CΕΟΥΗΡΑ. ΑΥΓΟΥCΤΑ. *Commun.*

XXXIX

M. Julius Sever. *Philippus*, Cæſ. Aug. P. M. Tr. Pot. III. Coſ. II. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟC. ΚΑΙC. *Reg. 5. An. Vix. 21. Mort. A. C. 249. Commun.*

Imp. C. P. Carvil. *Marinus* Aug. ΑΥΤ. Κ. ΠΟΥΒΛΙΟC. ΚΑΡΟΥΙΛ. ΜΑΡΕΙΝΟC. CΕΒ. *Reg. aliquot Menſ. RR.*

XL.

Imp. C. Cneus Meſſius Q. *Trajanus Decius*, Aug. P. M. T. P. III. Coſ. III. ΑΥΤ. Κ. ΚΝ. ΜΕC. ΚΟΥΙΝ. ΤΡΑΙΑΝΟC. ΔΕΚΙΟC. CΕΒ. *Regn. 2. An. Vix. 65. Mort. A. C. 251. Commun.*

Cnea Seja Herennia Saluſtia *Barbia Orbiana*, Auguſta, ΓΝ. CΑΛΛ. ΒΑΡΒΙΑ. ΟΡΒΙΑΝΑ. CΕΒ. *RR. in omni ære.*

ΗΡΕΝΝΙΑ. ΕΤΡΟΥΚΙΛΛΑ. CΕΒ. *Commun.*

XLI.

Q. *Herennius Etruſcus* Meſſius Decius, Nob. C. ΚΟΥΙΝ. ΕΡΕΝΝ. ΕΤΡΟΥCΚΟC. ΜΕC. ΔΕΚ. *Reg. 2. An. Vix.— Mort. A. C. 251. Rarus in auro.*

 XLII.

XLII.

Cajus Valens *Hoſtilianus*, Meſ. Quintus, N. C. ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΑΛΕΝΣ. ΜΕΣ. ΚΟΥΙΝΤΟΣ. ΣΕΒ. *Regn.* 2. *An. Vix.* — *Mort. A. C.* 251. *R.*

Imp. Cæſ. M. Aufidius *Perpenna*, Licinianus, Aug. P. M. T. P. Pat. Patr. *Regn.* 1. *An. Vix.* — *Mort. A. C.* 251. *RR.*

XLIII.

Imp. Cæſ. C. Vibius *Trebonianus Gallus*, Tr. P. IV. Coſ. II. ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒΟΝΙΑΝΟΣ. ΓΑΛΛΟΣ. ΣΕΒ. ΔΗ. Ε. Δ. *Regn.* 4. *An. Vix.* 47. *Mort. A. C.* 254. *Commun.*

Hoſtilia Severa, ΟΣΤΙΛΙΑ. ΣΕΟΥΗΡΑ. *RR.*

XLIV.

C. Vib. *Voluſianus*, Aug. P. M. Tr. P. IV. Coſ. II. Κ. ΟΥΙΒ. ΟΥΩΛΟΥΣΙΑΝΟΣ. *Regn.* 4. *An. Vix.* — *Mort. A. C.* 254. *Commun.*

Herennia Etruſcilla Auguſta, ΗΡΕΝΝΙΑ. ΕΤΡΟΥΣΚΙΛΛΑ. ΑΥΓΟΥΣΤΑ. *Commun.*

XLV.

Imp. Cæſ. Caj. Julius *Æmilianus* Pius Fel. Aug. ΑΥΤ. Κ. Γ. ΙΟΥΛ. ΑΙΜΙΛΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. ΕΥΣ. ΕΥΤ. Δ. Ε. *Reg. An.* 4. *Vix.* 46. *Mort. A. C.* 254. *Rarus in omni ære.*

XLVI.

Imp. Cæſ. P. Licinius *Valerianus*, Aug. P. M. Tr. P. VII. Coſ. IV. ΑΥΤ. ΚΑΙ. Π. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. L. Ζ. *Regn.* 6. *An. Vix.* 66. *Mort. A. C.* 268. *Vulg.*

Diva Mariniana R.

XLVII.

Imp. C. P. Lic. *Gallienus* Aug. Pius Fel. Germanicus Maxim. Tr. P. XV. Coſ. VII. P. P. Ignatius,

ΑΥΤ.

ΑΥΤ. Κ. ΠΟΥΒΛ. ΛΙΚΙΝΙΟC. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. CEB. ETC. ΕΥΤ. L. ΙΕ. *Regn. An. 15. Vix. 50. Mort. A. C. 268. C.*

Cornelia Salonina Auguſta Chryſogona ΚΟΡΝΗΛΙΑ. CΑΛΩΝΕΙΝΑ. CEB. *R. in ære I. magnit.*

P. Lic. *Valerianus* Nob. Cæſ. & P. Fel. Aug Tr. P. Coſ. II. *frater Gallieni. R.*

Cornelia Supera Auguſta, *ejus conjux. RR.*

P. Lic. Cor. Salon. *Valerianus* Nob. Cæſ. Princ. Juventutis, *Gallieni filius natu major.* RR.

Quintus Julius Saloninus Gallienus Minor, Nob. Cæſ. Princ. juventutis, *Gallieni ſecundus filius. RR.*

Triginta Tyranni, qui tempore Gallieni Imperium invaſerunt, quorum hiſtoriam deſcribit Trebellius Pollio.

1. Imp. Cæſ. M. Caſſius Latienus *Poſtumus* Aug. *Regn. in Gallia 7. aut 10. An. Mort. A. C. 266. Commun.* *Tyranni ſub Gallieno*

Junia Donata Auguſta. RR.

2. C. Jun. Cæſ. *Poſtumius* P. F. Aug. *Reg. & mort. eodem tempore R.*

3. Imp. C. *Cyriades* P. F. Aug. ΑΥΓ. Κ. ΚΥΡΙΑΔΕC. CEB. L. Β. *Regn. 2. An. in oriente mort. A. C. 258. RR.*

4. Imp. C. D. Lael. *Ingenuus* P. F. Aug. *Regn. in Pannonia 10. An. Mort. A. C. 262. RR.*

5. Imp. C. *Odenathus* P. F. Aug. ΑΥΓ. ΚΑΙC. ΟΔΗΝΑΘΟC. CEB. L. Δ. *Reg. in Syria 5. A. Mort. A. C. 260. RR.*

6. *Herodes* Imp. P. F. Aug. & *Herodianus*, ΑΥΓ. ΗΡΩΔΙΑΝΟC. CEB. L. Γ. *filius Odenathi. Regn. eodem tempore in Illyr. 8. An. Mort. A. C. 268. RR.*

7. Imp. C. M. Acil. *Aureolus*, P. Fel. Aug. R̷R̷. *a Golzio.*

8. Imp. C. M. Tul. *Macrianus* Aug. ΑΥΓ. Κ. Μ. ΦΟΥΛ. ΜΑΚΡΙΑΝΟϹ. ΕΥϹΕΒΗϹ. ϹΕΒ. *Reg. in Aſia 2. An. Mort. A.C. 263. R.*

9. Imp. C. Q. Ful. *Macrianus* Pius, Fel. Aug. ΑΥΓ. Κ. ΦΥΛ. ΜΑΚΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. L. B. *Macriani I. filius. R.*

10. Imp. P. Cn. Ful. *Quietus* Pius, Fel. Aug. *Macriani II. filius.* R̷.

11. Imp. C. Ser. Anicius *Baliſta*, P. F. Aug. ΑΥΓ. Κ. ΒΑΛΙϹΤΑϹ. ΕΥϹ. ϹΕΒ. L. Γ. *Regn. in Aſia. R.*

12. Imp. Cæſ. P. Valerianus *Valens*, Aug. ΑΥΓ. Κ. ΠΟΥ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ, ΟΥΑΛΕΝϹ. ϹΕΒ. *In Macedonia Mor. 261. RR.*

13. ΑΥΓ. Κ. ΚΑΛΠΟΥΡΝΙΟϹ. ΠΕΙΣΩΝ. *In Theſſalia Mort. A.C. 261. RR.*

14. Imp. C. Tiberius Ceſtius Alexander *Æmilianus* P. Fel. Aug. ΑΥΓ. Κ. ΤΙΒ. ΚΕϹΤ. ΑΛΞΑΝΔ. ΑΙΜΙΛΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. L. A. *Reg. in Ægypt. I. An. Mort. A.C. 261.*

15. Imp. C. Q. Non. *Regilianus*, P. F. Aug. *In Panonia Mort. A.C. 263. RR.*

16. Imp. C. Sextus Sul. *Saturninus*, Aug. *In Ægypt. Mor. A.C.* 264. R̷.

17. Imp. C. C. Annius *Trebellianus*, Aug. *In Iſaur. Mor. A.C. 265.*

18. Imp. Cæſ. Tit. *Cornelius Celſus*, P. F. Aug. ΑΥΓ. Κ. ΤΙΤ. ΚΟΡΝΕΛΙΟϹ. ΚΕΛϹΟϹ. ΕΥ. *Regn. in Afric. 7. dies. Mort. A. C.* 263. *R.*

19. Imp.

19. Imp. C. A. *Claudius Cenſorinus* Aug. *in Italia. Mort. 264.*

20. ΑΥΤ. Κ. ΗΡΕΝΝΙΑΝΟC. CEB. *RR.*

21. ΑΥΤ. Κ. ΤΙΜΟΛΑΟC. CEB. *in Syria. RR.*

22. ΑΥΤ. Κ. ΜΟΙΩΝΙΟC. ΣΥC. CEB. L. Α. *in Orient. Mort. 266.*

23. Imp. C. Sp. Servil. *Lollianus* P. F. Aug. *in Gallia. Mort. 267. RR.*

24. Imp. C. M. Aurel. *Victorinus* Aug. *in Gallia. Mort. 267. Commun.*

Aurelia *Victorina* Pia Fel. Auguſta *RR.*

25. Imp. L. Aurel. *Victorinus* Aug. *Junior regn. eodem tempore.*

26. Septimia *Zenobia* Auguſta, ΖΗΝΩΒΙΑ. CE-BATCH. *R.*

Vabalathus Vcini. P. P. filius Zenobiæ.

27. Imp. Cæſ. M. Aurel. *Marius* P. F. Aug. *in Gallia regn. 3. dies. Mort. 250.*

28. Imp. Cæſ. *Tetricus* Aug. Pater. *Regn. in Gallia* 2. *An. Mort.* 268. *Commun.*

29. Imp. C. Dives *Tetricus, filius. Ibid. Commun.*

30. Imp. C. A. *Pomponius Aelianus*, P. F. Aug. *in Germania. Mort. A.C. 268. RR.*

IMPERIVM BASSVM.

XLVIII.

Imp. C. M. Aur. *Claudius Gothicus*, Germanicus invictus, Pius, Felix, Aug. Optimus Princeps, *Imperium Baſſum.*

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗΛ. ΚΛΑΥΔΙΟϹ. ϹΕΒ. ΓΟΘΗ. L. Γ. *Regn. 3. An. Vix. 42. Mort. 271. Commun.*

XLIX.

Imp. Cæſ. M. Aurel. Claud. *Quintillus*, ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΚΟΥΙΝΤΙΛΛΟϹ. ϹΕΒ. L. Α. *Regn. 17. dies. Mort. A. C. 271. R.*

L.

Imp. C. L. Dom. *Aurelianus* Pius, Fel. Aug. P. M. Trib. P. VII. Coſ. II. ΑΥΤ. Κ. Δ. ΔΟΜ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ. ΕΥϹ. ϹΕΒ. ΕΤΟΥϹ. ϹΤ. *Regn. 6. An. Vix.— Mort. A. C. 276. Commun.*

Severina Aug. ϹΕΟΥΗΡΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Comm.*

Interregnum 7. aut 8. Menſium.

Duo Tyrañi ſub Aureliano. Marcus *Firmius*, Pius, Fel. Aug. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΦΙΡΜΙΟϹ. ΕΥϹ. ΕΥ. ΠΡΩΤΟΥ. *In Ægypt. Regn. 1. An. Mort. A. C. 274. R.*

Imp. C. P. Semp. *Saturninus* Aug. *Regn. 4. An. in Ægypt. Mort. A. C. 277.*

LI.

Imp. C. M. Cl. *Tacitus* P. Fel. Aug. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΚΛΑΥΔ. ΤΑΚΙΤΟϹ. ϹΕΒ. L. Α. *Reg. 6. Menſ. Vix.— Mort. A. C. 276. Commun.*

LII.

Imp. C. *Florianus* Marcus Annius, ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΝ. ΦΛΩΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. L. Α. *Regn. 2. Menſ. Vix.— Mort. A. C. 276. Commun.*

LIII.

Imp. C. M. Aur. *Probus*, P. Fel. Aug. Tr. P. Coſ. II. P. P. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗΛ. ΠΡΟΒΟϹ. Ε. Ε. ϹΕΒ. L. ϹΤ. *Regn. 6. An. Vix. 50. Mort. A. C. 282. Commun.*

Julia

Julia Procla Auguſta. *R.*

Imp. Cæſ. T. Æl. *Proculus* P. F. Aug. *In Gallia. Regn.* 1. *An. Mort.* 275. *RR.*

Imp. Cæſ. Q. *Bonoſius*, P. F. Aug. *In Germ. Regn.* 1. *An. Mort.* 275. *RR.*

LIV.

Imp. C. M. Aur. *Carus* ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΚΑΡΟϹ. ΕΥϹ. ϹΕΒ. L. B. *Reg.* 2. *An. Vix.— Mort. A. C.* 283. *C.*

LV.

M. Aur. *Carinus* Nob. Cæſ. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΚΑΡΕΙΝΟϹ. ΕΥϹ. ΕΥΤ. ϹΕΒ. L. Γ. *Regn.* 3. *An. Vix.* 36. *Mort. A. C.* 284. *Comm.*

LVI.

M. Aur. *Numerianus* N. C. P. Fel. Aug. Coſ. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΝΟΥΜΕΡΙΑΝΟϹ. ΕΥϹ. ΕΥΤ. ϹΕΒ. L. B. *Reg.* 2. *An. Vix.— Mort.* 283. *R*

Imp. C. C. *Aquil. Sabinus* Aug. *Regn. eod. temp. RR.*

Imp. C. L. Dom. *Domitianus* Aug. *Reg.* 3. *An. Alexandriæ. R.*

LVII.

Imp. C. C. Valerianus Aurelius *Diocletianus*, Coſ. IV. P. P. Procoſ. Dominus Noſter, Beatisſimus, Felicisſimus, Senex, ΑΥΤ. Κ. ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟϹ. L. K. *Regn.* 20. *An. Vix.* 78 *Regn. ſe abdicabat. Mort. A. C.* 314. *Commun.* *Seculum IV.*

Tyranni.

Imp. C. L. *Aelianus* Aug. *R.* & *Ælianus junior.* *Tyranni ſub Diocletiano.*

Imp. C. Cn. Sal. *Amandus* P. F. Aug. *RR.*

Imp. *Carauſius* P. Fel. Invict. Aug. *In Angl. R.*

Imp. C. *Alectus* P. F. Aug. *In Anglia R.*

Imp. C. P. *Trebonianus Julianus*, Aug. *RR.*
& *Julianus junior*, ΑΥΤ. Κ. Λ. ΕΠΙΔ. ΑΧΙΛΛΕΟC. *Regn.* 6. *An. in Ægypt. RR.*

Narſeus Cæſ. *In Armenia. RR.*

LIIX.

Imp. C. M. Aur. Val. *Maximianus* P. F. Aug. Feliciſſimus, Senex, Fortisſimus, Optimus Imperator, ΑΥΤ. Μ. ΑΥΡ. ΜΑΞΙΜΙΑΝΟC. L. ΙΗ. C. *Reg.* 19. *An. Vix.* 60. *Mort.* 305. *Commun.*

Galeria Valeria, ΓΑΛ. ΟΥΑΛ. ΕΥΤΡΩΠΙΑ. CEB. *R.*

LIX.

Conſtantius Cæſar, Imp. Flav. Valerianus, ΚΟΝCΤΑΝΤΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. CEB. L. B. *Regn.* 14. *An. Vix.* — *Mort. A. C.* 305. *Commun.*

Flavia *Helena* Auguſta, dicta ſancta, *Conſtantii prima uxor. Commun.*

Fl. *Maximiana* THEODORA Aug. ΦΛΑΟΥΙΑ. ΜΑΞΙΜ. ΘΕΟΔΩΡΑ. CEB. *ſecunda conjux Conſtantii. R.*

LX.

Galerius Val. *Maximianus* Nob. Cæſ. P. Fel. Aug. ΑΥΤ. Κ. ΓΑΛ. ΟΥΑΛ. ΜΑΞΙΜΙΑΝΟC. CEB. *Regn.* 15. *An. Vix.* — *Mort. A. C.* 308. *R.*

Galeria Valeria Auguſta, *R.*

Tyranni.

Tyranni tempore Conſtantii.

Imp. C. *Alexander* P. F. Aug. ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΑΛΕΞΑΝΔΕΡ. ΕΞC. *Regn.* 4. *An. In Africa RR.*

Imp.

Imp. Cæſ. Caj. *Julius Valens* P. Fel. Aug. ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. Γ. ΙΟΥΛ. ΟΥΑΛΕΝϹ. ΕΥϹ. ϹΕΒ. L. Α. *Regn. I. An. RR.*

Divus *Nigninianus* Imp. *R.*

LXI.

Imp. Gal. Val. *Maximinus* P. F. Aug. ΑΥΤ. ΓΑΛ. ΟΥΑΛ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ. ΕΥ. ϹΕΒ. L. Δ. *Regn. 7. An. Vix.— Mort. A. C. 312. Commun.*

LXII.

Flav. Val. *Severus* Nob. Cæſ. ΑΥΤ. Κ. ΦΛ. ΒΑΛ. ϹΕΒΗΡΟϹ. ΕΥϹ. ϹΕΒ. *Regn. 2. An. Vix.— Mort. A. C. 306. R.*

LXIII.

Flav. Val. Cl. *Conſtantinus* Nob. Cæſ. Aug. [Magnus dictus] ΑΥΤ. Κ. ΦΛ. ΟΥΑΛ. ΚΩΝϹΤΑΝΤΕΙΝΟϹ. ϹΕΒ. L. ΛΑ. *Regn. 32. An. Vix. 66. Mort. A. C. 337. Commun.*

Flavia Maximiana *Fauſta* Aug. *R.*

Imp. C. M. Aur. Val. *Maxentius* Aug. Conſervator urbis ſuæ. *Regn. in Italia 6. An. Vix. 30. Mort. A. C. 311. Commun.*

Magna Vrbica Auguſta. *R.*

M. Aur. *Romulus*, Nobilis Cæſ. Coſ. Noſtræ Vrbis Filius. *Mort. A. C. 307. R.*

LXIV.

Imp. C. Val. *Licin. Licinianus*, ΑΥΤ. Κ. ΟΥΑΛ. ΛΙΚΙΝΙΑΝ. ΛΙΚΙΝΙΟϹ. ϹΕΒ. L. ΙΕ. *Regn. 15. An. Vix. 60. Mort. A. C. 325. Commun.*

Fl. Val. *Conſtantia* Aug. *RR.*

Dominus Noſter, M. *Martianus*, RR.

Dominus Noſter NIGRINIANVS. *R.*

Jul. CRISPVS Nob. Cæſ. *Mort. A.C. 325. Commun.*

Val. LICINIVS, jun. Nob. Cæſ. *Regn. 20. Menſ. Mort. 325. Comm.*

LXV.

Flav. CONSTANTINVS jun. Nob. Cæſ. *Regn. 3. An. Vix. 25. Mort. 340. Commun.*

LXVI.

Flav. Jul. CONSTANS, Nob. Cæſ. P. Fel. Aug. *Reg. 13. A. Vix. 30. Mort. A. C. 350. Commun.*

Aur. EVSEBIA Aug. *RR.*

Fl. Maxima FAVSTINA.

LXVII.

Fl. Jul. CONSTANTIVS Maximus, Pius, Fel. Aug. Perpetuus. *Regn. 24. An. Vix. 41. Mort. A. C. 364. Commun.*

Fl. Jul. DELMATIVS, Nob. Cæſ. *Regn. 6. Menſ. Mort. An. C. 338. RR.*

HANIBALLIANVS Fl. Cl. Haniballiano Regi. *Regn. eodem tempore. RR.*

Fl. CONSTANTIVS GALLVS, Nob. Cæſ. *Regn. eod. temp. R.*

Fl. Jul. CONSTANTIA Aug. *RR.*

Dominus noſter MAGNENTIVS, P. F. Aug. *Reg. 4. An. Vix. 50. Mort. 352. Commun.*

Dominus noſter DECENTIVS, Nob. Cæſ. *Regn. 4. A. Mort. A. C. 312. Commun.*

D. N DESIDERIVS, N. C. *Regn. eodem tempore RR.*

D. N. VETRANIO, P. F. Aug. *R.*

Fl. Pop. NEPOTIANVS, P. F. Aug. *Regn. 28. dies. Mort. A. C. 349. RR.*

LXVIII.

Fl. Claud. IVLIANVS, P. Fl. Aug. *Regn. 2. An. Vix. 42. Mort. 364. Commun.*

Fl. Jul. HELENA. *R.*

LXIX.

D. N. Fl. JOVIANVS, P. F. Aug. Reſtitutor Reip. *Regn. 7. Menſ. Mort. 364.*

VARONIANVS Joviani Imp. Fil. Princ. juvent. *RR.*

D. N. Fl. VALENTINIANVS, P. F. Aug. *Regn. 12. An. Vix. 55. Mort. 375. Commun.*

Vale-

Valeria SEVERA Auguſta. *RR.*

Fl. JVSTINA Auguſta. *RR.*

LXX.

D. N. VALENS MAX. Aug. *Regn. 14 An. Vix. 50. Mort. A. C. 377. Commun.*

ALBIA DOMINICA Aug. *RR.*

D. N. PROCOPIVS, P. F. Aug. In Phrygia. *Regn. 1. An. RR.*

LXXI.

Dn. N. Fl. GRATIANVS, P. F. Aug. *Regn. 15. An. Vix. 29. Mort. 390. Commun.*

Fl. Max. CONSTANTIA. *RR.*

D. N. FIRMIVS, P. F. Aug. *RR.*

ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΘΕΟΔΩΡΟC. ΕΤC. CΕΒ.

LXXII.

D. N. Fl. VALENTINIANVS JVNIOR, P. F. Aug. *Regn. 16. An. Vix. 26. Mort. 391. Commun.*

HONORIA, *Valentiniani ſoror.*

D. N. MAG. MAXIMVS, P. F. Aug. *In Gallia. Mort. 388. Commun.*

D. N. Fl. VICTOR, P. F. Auguſt. *In Gallia. Mort. 388. R.*

LXXIII.

D. N. Fl. THEODOSIVS, P. F. Aug. *Regn. 17. An. Vix. 60. Mort. 392. Commun.*

AELIA FLACCILLA, Auguſta. *R.*

GALLA PLACIDIA, Pia, Fel. Auguſta. *R.*

D. N. EVGENIVS, P. F. Auguſt. *In Gallia & Germania. R.*

LXXIV.

D. N. Fl. ARCADIVS, P. F. Aug. *Regn. 1. An. Mort. 391. Commun.*

Ælia EVDOXIA Aug. *RR.*

LXXV.

D. N. HONORIVS P. F. Aug. *Regn. 13. An. Vix. 31. Mort. A. C. 405. Commun.* *Seculum V.*

D. N.

D. N. Fl. SEBASTIANVS, P. F. Aug. *R.*

LXXVI.

D. N. Fl. THEODOSIVS, P. F. Aug. Imp. XXXII. Coſ. XVII. Pat. Patr. *Regn. 31. An. Vix. 38. Mort. A. C.* 421. *R.*

EVDOXIA Auguſta. *R.*

Fl. PRISCVS ATTALVS, P. F. Aug. *Regn. 18. Vix. 48. Mort. 449. R.*

D. N. JOVIANUS, P. F. Aug. *R.*

D. N. HERACLIANUS, P. F. *RR.*

D. N. PETRONIVS, P. F. Aug. *In Gallia. RR.*

D. N. JOVIANVS, P. F. Aug. *In Gallia. RR.*

D. N. JOANNES, P. F. Aug. *In Africa. RR.*

LXXVII.

D. N. Plac. VALENTINIANVS, P. F. Aug. *Regn. in Italia 30. An. Mort.* 452. *R.*

EVDOXIA Aug. *R.*

LXXVII.

D. N. MARCIANVS. *Regn. 6. An. Mort. A. C,* 455. *RR.*

Fl. PVLCHERIA Auguſta, *R.*

D. N. Fl. ANICIVS MAXIMVS. *Regn. 1. An. Mort. 454. RR.*

LXXIX.

D. N. Fl. MÆCILIVS AVITVS. *Regn. 1. An. Mort.* 454. *RR.*

LXXX.

D. N. Fl. Val. LEO P. F. Aug. P. F. Aug. *Regn. 18. Mort. 474. Commun.*

Fl. Julia VERNIA Auguſta. *RR.*

LXXXI.

D. N. Fl. LEO JVNIOR. *Regn. 17. An. Mort.* 474. *Com.*

LXXXII.

D. N. Jul. MAJORIANVS. *Regn. 4. An. Mort.* 460. *RR.*

LXXXIII.

D. N. Lib. SEVERVS P. F. Aug. *Regn. 5. An. Mort. 465.*

LXXXIV.

D. N. Fl. ANTHEMIVS *Regn. 6. An. Mort. A. C. 469. RR.*

Fl. MARCIA Auguſta. *RR.*

LXXXV.

D. M. RICIMERVS P. Fel. Aug. *RR.*

LXXXVI.

LXXXVI.

D. N. Anic. OLYBERIVS *Regn. 3. Menſ. Mort. A. C.* 471.

LXXXVII.

D. N. GLYCERIVS Per. P. F. *Regn. 1. An. Mort. 472. RR.*

LXXXVIII.

D. N. Fl. ZENO P. F. Aug. *Regn. 1. An. Mort. 490. R.*

LXXXIX.

D. N. Fl. JVL. NEPOS P. Fel. Aug. *Regn. aliq. Menſ. R.*

XC.

D. N. Fl. BASILIVS *Regn. 3. An. Relinquit Imperium An. C. 477. RR.*

XCI.

D. N. Fl. LEONTIVS *Regn. ſub Zenone R.*

XCII.

D. N. Fl. MOMMILIVS Auguſtus *Regn. 1. An. ab Imp. depulſ. A. C. 476.*

XCIII.

D. N. Fl. Valerius ANASTASIVS P. Fel. Perpetuus Aug. *Regn. 29. An. Vix. 88. Mort. 517. Commun.* *Seculum VI.*

D. N. Fl. LONGINVS P. Fel. Perpetuus, *Golz.*

D. N. Fl. VITALIANVS Perp. *Golz.*

XCIV.

D. N. JVSTINVS P. F. Aug. Flavius Anicius Perpet. *Regn. 9. A. Mort. An. C. 526. Commun.*

Fl. EVPHEMIA Auguſta. *R.*

XCV.

D. N. JVSTINIANVS Aug. Fl. Anicius Perpetuus, Pius Fel. *Reg. 39. Vix. 83. Mort. A. C. 565. Commun.*

Fl. THEODORA Auguſta. *RR.*

XCVI.

D. N. Fl. JVSTINVS (*ſecundus dictus*) Perpet. P. F. Aug. *Reg. 13. An. Mort. A. C. 578. Commun.*

Fl. SOPHIA Auguſta. *RR.*

XCVII.

D. N. TIBERIVS Conſtantinus Perp. P. Fel. Aug. *Reg. 7. A. Mort. A. C. 582. Commun.*

Fl. ANASTASIA Auguſta.

XCVIII.

D. N. Fl. MAVRITIVS Tiberius Perp. Aug. *Regn. 20. A. Vix. 65. Mort. A. C. 602. R.*

Seculum VII.

XCIX.

D. N. Fl. THEODOSIVS Perp. Aug. *Mort. A.C. 602. R.*

C.

D. N. Fl. FOCAS Auguſtus, *Mort. A. C. 610. R.*
LEONTIA Auguſta *R.*

CI.

D. N. HERACLIVS Perp. Aug. *Reg. A. 31. Mort. A. C. 640. R.*

Circa numerum Imperatorum notandum, quod varii varie illum inſtituant; ſiquidem Tyranni ab Imperatoribus vix diſcerni poſſunt. In hac ſerie, illi Imperatores, qui eodem tempore Regimini præfuerunt, ſub eodem numero comprehenduntur. Qui autem accurratiorem ordinem deſiderat, adeat ectypos Imperatorum omnium, qui ex Cimeliarchio Reginæ Chriſtinæ publici juris facti ſunt.

NEceſſum etiam eſt, ut Notarum & vocum abruptionum, habeamus notitiam, de quibus plurimi illique graviſſimi viri ſcripſerunt; Hubertus Golzius *in Theſauro rei antiquariæ*, Valerius Probus, Petrus Diaconus, Joannes Pretenius; & qui inſtar omnium eſt, Sertorius Urſatus, Eques & Profeſſor Patavinus, *de Notis Romanorum*, quem Humphridus Prideaux *marmoribus* ſuis *Oxonienſibus annexuit Oxonii 1677.* Nec non Patinus *in Introductione ad Hiſt. Numiſmat. Cap. XXIII.* Carol. du Freſne, Dn. du Cange *in Diſſertatione de inferioris æri Numiſmatibus, Gloſſario ſuo mediæ Latinitatis adjecta.* Heic frequentiores tam Latinas quam Græcas adjeciſſe ſufficiat.

A

A. Aulus.
A. F. Auli Filius.
A. N. Auli Nepos.
A. A. A. F. F. Aere, Argento, Auro, Flando, Feriundo.
ACT. Actiacus ſeu Actium.
ADIAB. Adiabenicus.
ADLOC. adlocutio.
AED. CVR. Aedilis Curulis.
AED. PL. Aedilis Plebis.
AEL. Aelius.
AET. Aeternitas.
AFR. Africa vel Africanus.
ALBIN. Albinus.
ALIM. ITAL. Alimenta Italiæ.
A. N. F. F. Annus, Novus, Felix, Fauſtus.
ANT. Antoniꝰ ſeu Antoninus.
A. Ω. Jeſus Chriſtus.
APOLI. Apolio.

AQUA.

AQVA MAR. Aqua Martia.
ARAB. Arabicus.
ARAB. ADQ. Arabia Adquiſita.
ΑΡΙϹΤ. Ἄριστος, Optimus.
ΑΡΧ. ΜΕΓ. Ἀρχιερεὺς Μέγας, Pontifex Maximus.
AVG. Auguſtus vel Augur.
ΑΥΓ. Αὔγουστος Auguſtus.
AVGG. Auguſti duo.
AVGGG. Auguſti tres.
AVR. Aurelius.
ΑΥΤ. Αὐτοκράτωρ, Imperator.

B.

BARB. Barbatus.
ΒΑΣ. Βασιλεὺς, Rex.
B.F. Coſ. BeneFiciarius Conſulis.
ΒΟΗΘ. Βοήθει, Deus auxiliare Romanis.
BON. EVENT. Bonus Eventꝰ.
BRIT. Britannicus.
BRVT. Brutus.
B. S. L. C. Officina Secunda, Signat. LuCduni: nam B. hic ſumitur pro numero

C.

C. Cajus.
C. F. Caji Filius.
CAEL. Cælius.
C. Cæſar.
CAES. Cæſar.
CAESS. Cæſares.
C. A. Cæſarea Auguſta.
CARTH. Carthago.
CENS. Cenſor.
CENS. P. Cenſor Perpetuus.
CEST. Ceſtius vel Ceſtianus.
☧ Chriſtus.
CIR. CON. CircumCondidit, ſeu Circenſes Conceſſit.
CIVIB. ET. SIGN. MILIT. A. PARTH. REC. Civibus Et Signis Militaribus A Parthis Recuperatis.
CL. Claudius.
CLAVD. Claudius.
C. LEON. P. A. MVLΘ. A. Conſtantino Leoni Perpetuo Auguſto Multos Annos.
COL. L. I. Colonia Laus Julia, ſeu Colonia Latina Julia.
CLOD. Clodius.
CL. V. Clypeus Votivus.
CN. Cneus.
COH. PRAE. Cohors Prætoria.
COL. Colonia.
C. A. A. PATR. Colonia Aroë Auguſta Patrenſis.
COL. AVR. KAR. Colonia Aurelia Karenonum.
COL. IVL. COR. Colonia Julia Corinthus.
COL. IVL. FEL. AVG. Colonia Julia Felix Auguſta.
COL. I. V. Colonia Julia Victrix, vel Valentia.
COL. NEM. ColoniaNemauſenſium.
COL. PR. FL. AVG Colonia Prima Flavia Auguſta.
COMM. CON. Communi Conſenſu.
COMM. ASI. Communitas Aſiæ.
CONCORD. Concordia.

CONS. SVO. Conſervatori ſuo.

CON. OB. Conſtantinopoli Obſignata.

COR. Cornelius.

COS. Conſul.

COSS. Conſules.

C. R. I. F. S. Colonia Romana Julia Felix Sinope.

C. S. Caſus Sortis, ſeu Conſilio Saturni vel Copa Syriſca.

CVR. X. F. Curator Denarii Faciundi.

C. V. T. Colonia Victrix Togata.

C. V. T. T. Colonia Victrix Togata Tauracon.

D.

Δ. Δίκαιος, Juſtus.

D. Decimus.

DAC. Dacicus.

D. D. Dono Dedit.

D. D. Decreto Decurionum.

DD. P. Decuriones Poſuerunt

Δ. E. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας, Tribunitia Poteſtate.

DES Deſignatus.

DESIG. Deſignatus.

ΔΕCΠ. Δεσπότης. In Imperio Græco idem, quod Cæſar in Latino.

DICT. Dictator.

DID. Didius.

D. M. Diis Manibus.

D. N. Dominus Noſter.

DD. NN. Domini Noſtri.

DOMIT. Domitianus.

D. P. Dii Penates.

DV. Divus.

E.

EID. MAR. Eidus Martias.

EQ. ORDIN. Equeſtris Ordinis.

ETR. Etruſcus.

ET. Λ. Ἐτοῦς λ. Anno trigeſimo.

ΕΥΤΥΧ. Εὐτυχὴς, Felix.

ΕΥCΕΒ. Εὐσεβής, Pius.

E. A. PV. Ex Argento Publico, vel Autoritate Publica.

E. EA. P. Q. I. S. A. A. D. Ex Ea Pecunia, Quæ Iuſſu Senatus Ad Aerarium Delata.

F.

F. Filius, ſeu Filia.

F. F. Felix.

F. F. Faciundum Fecit.

F. F. Flando Feriundo.

FEL. Felix.

FELIC. Felicitas.

ΦΙΛΑΔΕΛ. Φιλάδελφοι. Fratrum Amantes.

ΦΚ. Focas.

FL. Flavius.

FONT. Fonteius.

FORT. RED. Fortunæ Reduci.

FOVRI. Fourius.

FRVGIF. Frugiferæ.

FRVG. AC. Fruges Acceptæ.

G.

Γ. B. Γνώμη Βουλῆς. Senatus Decreto.

G. P. R. Genio Populi Romani.

GERM. Germanicus.

G. T. A. Genius Tabellaris Ægypti,

HEL.

H.

HEL. Helvius.
HER. Herennius vel Herennia.
HER. ROM. Hercules Romanus.

I.

I. As ſeu libra.
I. IIS. ſeu HS. Seſtertius.
IAN. CLV. Janum Cluſit.
IMP. Imperator.
IMPP. Imperatores.
IND. Indictio.
ΙΟΥΣΤ. Ἰȣ̃ςος Juſtus.
ITE. Iterum.
IVD. CAPT. Judæa Capta.
IVL. Julius ſeu Julia.
I. S. M. R. Juno Soſpita Mater, Regina.
IVN. Junior.
IVST. Juſtus.

K.

K. Καίσαρ Cæſar.
K. ΚΤΙΣΤ. Κτιςής, Conditor.

L.

L. H. Λυκάβαντος H. Añus octavus.
L. Libra ſeu As.
LLS. Seſtertius.
LAT. Latianus.
LEG. Legatus.
LEG. PROPR. Legatus Proprætoris.
LEG. II. Legio ſecunda.
LENT. Lentulus.
LEP. Lepidus.
LIBER. P. Libero Patri.
L. M. Libero Munere.
LIB. AVG. Libertas Auguſti.
LIC. Licinius.
ΛΚ. Leo Iſaur.
L. Lucius.
LVD. SAEC. F. Ludos Sæculares Fecit.

M.

MAC. AVG. Macellum Auguſti.
MAG. Magnus
MAG. EQ. MagiſterEquitum.
MAN. Manius.
M. D. Mandata Decurionum.
M. Marcus.
M. F. Marci Filius.
MAR. CL. Marcellus Clodius.
MAR. VLT. Marti Ultori.
MAR. AQ. Martia Aqua.
M. OTAC. Martia Otacilia.
M. C. Mater Cæſaris.
MAX. Maximus.
MES. Meſſius.
M. I. K. Maria Jeſus Conſtantinus.
MINER. Minerva.
MHT. Μήτηρ. Mater.
M. Θ. Μήτηρ τȣ̃ Θεȣ̃ Mater Dei.
MON. Moneta.
MV. Municipium.

N.

NEP. RED. Neptuno Reduci.
ΝΕΩΚ. Νεωκόροι Neocori ſeu Populi, qui templo gaudebant, in quo celebrabantur quotannis ludi publici; dicuntur etiam æditui.

ΝΕ. ΙΕΡΟΥ. Νέȣ Ἱερȣ̃, Novo Sanɛto.
ΝΕ. ΗΛΙΟΙ. Νέοι Ἥλιοι, Novi Soles.
ΝΕ. ΘΕΙ. Νέοι θέοι, Novi Dei ſeu divi.
N. C. A. P. R. Nota Cuſa A Populo Romano.
N. PROB. Nota Probatæ Monetæ.
NOB. C. Nobiliſſimus Cæſar.
N. C. Nobiliſſimus Cæſar.
N. Noſter ſeu Nepos.
NN. Noſtri.
N. F. Numerii Filius.

O.

OB. C. S. Ob Cives ſervatos.
OPEL. Opelius.
O. Optimo.
ORB. TERR. Orbis Terrarum.

P.

PAC. ORB. TERR. Paci Orbi Terrarum.
PAL. Palatinus.
PAPI. Papius ſeu Papirius.
PARTH. Parthicus.
P. Pater.
P. P. Pater Patriæ.
Π, Π. Πατὴρ Πατρίδος, Pater Patriæ.
PERM. Permiſſu.
PERP. Perpetuus.
PERT. Pertinax.
PESC. Peſcennius.
P. F. Pius Felix.
P. K. Pecunia Karthaginenſis.
PLAET. Plætorius.
ΠΟΡΦΥΡΟΓ. Πορφυρογέννητος, In purpura natus.
POMP. Pompejus.
P. M. Pontifex Maximus.
P. R. Populus Romanus.
P. R. S. C. Popul. Roman. Senatus Conſult.
POT. Poteſtate.
PRAEF. CLAS. ET. OR. MARIT. Præfeɛtus Claſſis & Oræ Maritimæ.
PRAEF. VRB. Præfeɛtus Vrbis.
PR. Prætor.
PRAET. RECEP. Prætorio Receptus.
PRIV. Privernum.
PRIN. JVVENT. Princeps Juventutis.
PROC. Proconſul.
PRON. Pronepos.
PROP. Proprætor.
PROQ. Proquæſtor.
PROV. DEOR. Providentia Deorum.
P. T. Percuſa Treviris.
P. Publius.
PVPIEN. Pupienus.

Q.

Q. Quinarius.
Q. Quintus ſeu Quæſtor.
Q. C. M. P. J. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator.
Q. DESIG. Quæſtor Deſignatus.
Q. P. Quæſtor Prætorius.
Q. PR. Quæſtor Provincialis.
QVOD. V. M. S. Quod Viæ Munitæ Sint.

R.

R. P. Res Publica.
R. P. Romana Pecunia.

R. P. C. Reipubl. Conſtituendæ.
RECEP. SIG. Receptis Signis.
RED. Reditu.
R G. C Rei Gerundæ Cauſa.
R. CC Remiſſa ducenteſima.
REST. Reſtituit.
R. M. Reſtituta Moneta.
ROM. ET. AVG. Romæ & Auguſto.

S.

SAL. Salus vel ſaluti.
SALL. Salluſtia.
SARM. Sarmaticus.
ΣΕΒ. Σεβαςὸς, Imperator.
ΣΕΒΒΒ. Tres Imperatores.
S. C. Senatus Conſulto.
S. C. Saturni Conſilio.
ΣΚ. In Antiochenſium numis idem, quod S. C. Senat. Conſ.
SCIP. AS. Scipio Aſiaticus.
SEC. ORB. Securitas Orbis.
SEPT. Septimius.
SER. Serius Sergius.
SEV. Severus.
SEX. Sextus.
SIC. Sicilia.
SIC. XX. SIC. XXX. Sicut vicennalia, ſic tricennalia.
SIS. P. Siſciæ Percuſa Moneta
S. M. A Signata Moneta Antiochiæ.
S. M. AL. Signata Moneta Aquilejæ.
S. ARL. Signata Arelatis
S. TR. Signata Treviris
SIG. REC Signis Receptis.
SP. Spurius.
S. P. Q. R. Senatus Populusque Romanus.
S. R. Senatus Reſcripto.
STAB. Stabilita Terra.
SVF. P. D. Suffimenta Populo Data.
SVLP. Sulpitius.
SVSC. Suſcepit vel Suſcepta.

T.

TEMP. Temporum.
TEMHT. τημητὴς. cenſor.
TER. Terentius l. Tertium.
ΘΕΟΤ. Θεοτόκος Deipara.
TIB. Tiberius.
T. Titus.
TREB. Trebonianus.
TR. P. Tribunitia Poteſtate.
TR. M. Tribunus Militum.
TRIVMF. Triumfator.
ΘΥΓΑΤ. θυγάτηρ filia.

V.

V. Quinarius quinque aſſium.
VIII. Quinarius octo aſſium.
VB. Vibia.
VIB. Vibius.
VIC. Victoria.
VILI. PVB. Vilia Publica.
V. C. Vir Clariſſimus.
VIRT. Virtus.
V. L. Voto Lubenti.
VN. MR. Venerabilis Noſtra Mater.
VOT. X. MVLT. XX. Votis decennalibus multiplicatis vicennalibus.
V. P. Vota Publica.

V V. Victrix.
II. VIR. DuumVir.
III. VIR. TriumVir.
IIII. VIR. QuatuorVir.
XV. VIR. QuindecimVir.

X.

X. ✳. Denarius decem aſſium.

XVI. Denarius ſedecim aſſium.

Υ.

ΥΙΟΣ. ΘΕ. Υἱὸς Θεοῦ. Filius DEI.
ΥΙΩΝ. ΘΕ. Υἱωνὸς Θεοῦ. Nepos DEI.
ΥΠΑΤ. Β. Ὕπατος Β. Conſul ſecundo.

IN Conſularibus numis multa difficultate laborant nomina ibi expreſſa; ſiquidem ſæpius ſolum cognomen conſpicitur, ſine nomine Familiæ; ut plane difficile ſit, dignoſcere, ad quam gentem pertineat numus. Eapropter Urſinus Indicem compoſuit omnium cognominum, quem Patinus poſtea auxit, & ſimul familiam addidit, in qua iſtud cognomen uſitatum fuit. Hunc Indicem heic loci non poſſum non adjicere, propter ſingularem, quem præſtat, uſum.

	occurrit in familia
ASciculus	Valeria.
Agrippa	Lauria, Vipſania.
Ahala	Servilia.
Ahenobarbus	Domitia.
Albinus	Poſtumia.
Aquinus	Baebia.
Atratinus	Sempronia.
Augur	Cornuficia.
Augurinus	Minucia.
B.	
BAla	Aelia.
Balbus	Acilia, Antonia, Atia, Cornelia, Thoria, Nævia.
Barbatus	Valeria.
Baſſus	Betiliena.
Blandus	Rubellia.
Bibulus.	Calpurnia.
Blaſio	Cornelia.
Brocchus	Furia.
Brutus	Junia.
Buca	Aemilia.
Burſio	Julia.
C.	
CÆpio	Junia, Servilia.
Cæſar	Julia.
Caldus	Cœlia.
Calenus	Fufia.
Capito	Fonteja, Maria, Oppia.
Capitolinus	Petilia.
Carbo	Papiria.
Caſca	Servilia.
Cato	Porcia.
Catullus	Valeria.
Celer	Caſſia.
Celſus	Papia.
Cenſorinus	Marcia.
Cerco	Lutatia.
Ceſtianus	Plætoria.
Cilo vel Chilo Χίλος	Flaminia.
Cinna	Cornelia.
Cocles	Horatia.

Cordus

Cordus
Coſſus
Cotta
Κουαδρᾶτος
Craſſipes
Craſſus
Criſpinus
Culleo

D.

Doſſenus

F.

Fabatus
Fauſtus
Felix
Flaccus
Florus
Foſtulus
Frugi

G.

Galba
Geminus
Geta
Gracchus
Gallus

H.

Hejus
Hemis
Hiſpanienſis
Hypſæus

I.

Iudex

L

Labeo
Labienus
Laca
Lamia
Lariſcolus
Lentulus
Lepidus
Libo
Limetanus
Longinus

occurrit in familia

Mucia.
Cornelia.
Aurelia.
Numidia.
Furia.
Licinia.
Quinctia.
Terentia.
Rubria.
Roſcia.
Cornelia.
Cornelia.
Cornelia, Rutilia, Valeria.
Aquilia.
Pompeja.
Calpurnia.
Sulpicia.
Aburia.
Hoſidia.
Anteſtia, Sempronia.
Aſinia, Caninia, Memmia.
Cæcilia, Muſſidia.
Flavia.
Fabia.
Plautia.
Vettia.
Fabia.
Porcia.
Atia.
Ælia.
Accoleia.
Cornelia.
Aemilia.
Marcia, Scribonia.
Mamilia.
Caſſia.

Longus
Lucanus
Lupercus

M.

Macer
Magnus
Malleolus
Marcellinus
Marcellus
Maridianus
Maximus
Mela
Menſor
Merula
Meſſala
Metellus
Molo

N.

Naſo
Natta
Nerva
Niger
Nonianus
Numa

O.

Oſca
Otho

P.

Pætus
Palikanus
Panſa
Parthicus
Paullus
Peregrinus
Philippus
Philus
Pictor
Piſo
Plancus
Platorinus
Pollio
Priſcus
Pulcher
Purpureo

occurrit in familia

Caſſia, Muſſidia.
Terentia.
Gallia.
Licinia, Sepullia.
Pompeja.
Poblicia.
Claudia, Cornelia.
Claudia, Cornelia.
Coſſutia.
Egnatia, Fabia.
Bæbia.
Farſuleia.
Cornelia.
Valeria.
Cæcilia.
Pomponia.
Axia.
Pinaria.
Cocceja, Licinia.
Cæcilia.
Conſidia.
Calpurnia, Pompeja.
Domitia.
Salvia.
Aelia, Conſidia.
Lollia.
Vibia.
Atia.
Æmilia.
Atria.
Marcia.
Furia.
Fabia.
Calpurnia.
Munatia, Plautia.
Sulpitia, Vipſania.
Baebia, Muſſidia, Quinctilia.
Muſſidia.
Claudia, Livineia, Statilia.
Furia.

Cognomen	occurrit in familia
Q.	
Quinctilianus	Nonia.
R.	
Reginus	Antiſtia.
Regulus	Livineia.
Reſtio	Antia.
Rocus	Crepereia.
Rufus	Aurelia, Cordia, Lucilia, Meſcinia, Minutia, Plotia, Pomponia, Sulpicia.
Rullus	Servilia.
S.	
Sabinus	Minutia, Titurja.
Sabula	Coſſutia.
Sacerdos	Licinia, Statilia.
Salinator	Livia.
Salutaris	Cariſia.
Saranus	Atilia.
Sardus	Atia.
Saſerna	Hoſtilia.
Saturninus	Sentia.
Scarpus	Pinaria.
Scaurus	Æmilia, Aurelia.
Scipio	Cornelia.

Cognomen	occurrit in familia
Secundus	Arria.
Silanus	Junia.
Silus	Sergia.
Siſenna	Apronia, Cornelia.
Spinther	Cornelia.
Stolo	Liciniа.
Suffenas	Nonia.
Sulla	Cornelia.
Surdinus.	Naevia.
T.	
Tampilus	Bæbia.
Taurus	Statilia.
Thermus	Minucia.
Torquatus	Manlia.
Trigeminus	Curiatia.
Trio	Lucretia.
Triumpus	Papia.
Tubero	Helia.
Tullus	Mæcilia.
Turdus	Papiria.
Turpilianus	Petronia.
V.	
Vaala	Numonia.
Varro	Terentia.
Varus	Qvinctilia, Vibia.
Vetus	Antiſtia.
Vitulus	Voconia
Voluſus	Valeria.

Deſignatio omnium Familiarum Romanarum, quotquot numis illuſtrantur, ſecundum ordinem alphabeticum.

A.

Aburia.
Accoleia.
Acilia.
Aebutia.
Aelia.
Aemilia.
Afrania.
Alliena.
Annia.
Anteſtia.
Antia.
Antiſtia.
Antonia.
Appuleia.
Apronia.
Aquilia.
Arria.
Aſinia.
Atia.
Atilia.
Aurelia.
Axſia.

B.

Baebia.
Bellia.
Betiliena.

C.

Caecilia.
Cæcina.
Cæſia.
Calidia.
Calpurnia.
Caninia.
Cariſia.
Caſſia.
Ceſtia.
Cipia.
Claudia.
Clovia.

Cloulia

Cloulia.
Cocceja.
Cœlia.
Conſidia.
Coponia.
Cordia.
Cornelia.
Cornuficia.
Coſconia.
Coſſutia.
Crepereia.
Crepuſia.
Cupienna.
Curiatia.
Curtia.

D.

DIdia.
Domitia.
Durmia.

E.

EGnatia.
Egnatuleia.
Eppia.

F.

FAbia.
Fabrinia.
Fannia.
Farſuleia.
Flaminia.
Flavia.
Fonteia.
Fuſia.
Fulvia.
Fundania.
Furia.

G.

GAllia.
Gellia.

H.

HElia.
Herennia.
Hirtia.
Horatia.
Hoſidia.
Hoſtilia.

I.

ITia.
Iulia.
Iunia.

L.

LIcinia.
Livia.
Livineia.
Lollia.
Lucilia.
Lucretia.
Luria.
Lutatia.

M.

MAecilia.
Maiania.
Mamilia.
Manlia.
Marcia.
Maria.
Memmia.
Meſcinia.
Mettia.
Minatia.
Mineia.
Minucia.
Mucia.
Munatia.
Muſſidia.

N.

NAevia.
Naſidia.
Neria.
Nonia.
Norbana.
Numidia.
Numitoria.
Numonia.

O.

OGulnia.
Opeima.
Oppia.

P.

PApia.
Papiria
Pedania.
Petillia.
Petronia.
Pinaria.
Plaetoria.
Plancia.
Plaucia.
Plotia.
Poblicia.
Pompeia.
Pomponia.
Porcia
Poſtumia
Porcilia.
Proculeia.

Q.

QVinctia.
Qvinctilia.

R.

RAbiria.
Renia.
Roſcia.
Rubellia.
Rubria.
Ruſtia.
Rutilia.

S.

SAlvia.
Sanquinia.
Satriena.
Saufeia.
Scribonia.
Sempronia.
Sentia.
Sepullia.
Sergia.
Servilia.
Seſtia.
Sicinia.
Silia.
Spuria.
Statia.
Statilia
Sulpicia.

T.

TArquitia.
Terentia.
Thoria.
Titia.
Titinia.
Titiuria.
Trebania.
Tullia.

V.

VAleria.
Varguntcia.
Vergilia.
Vettia.
Veturia.
Vibia.
Vinicia.
Vipſania.
Voconia.
Volteia.

Catalogus Cavinianorum, quorum Marculi Signatorii in Bibliotheca S. Gienevefæ, quæ Lutetiæ Pariſiorum eſt, aſſervantur, a Molineto in ejusdem Bibliothecæ deſcriptione, exhibitus; hic repetitus, ut falſi a genuinis promtius dignoſci queant.

1. Caput Chriſti, cum inſcript. JESVS. LIBERATOR. ET. SALVATOR. infra: JOAN. CAVINVS. F.
Deus in nubibus, cum triplici facie & triangulo. DEVS. TRINVS. ET. VNVS.
2. Caput. CAESAR. DICT. PERPETVO.
Caduceus, cum quibuſdam inſtrumentis ſacrific. LEVCA.
3. Caput. DIVVS. AVGVSTVS. PATER.
Imperator ſedens a Victoria coronatus. COS. III.
4. Caput. TI. CAESAR. AVGVSTI. F. IMPERATOR. V.
Duæ Victoriæ ſtantes ſuper ara ROM. ET. AVG.
5. Caput. C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. P. III. P. P.
Imperator milites alloquens. ADLOCVT. COH. SC.
6. PIETAS. ſedens. C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. P. IIII. P. P.
Templum. DIVO. AVG. S. C.
7. Caput. TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. T. R P. IMP. P. P.
Arcus Triumphalis. NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERM. IMP.
8. Caput. AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI.
Currus MEMORIAE. AGRIPPINÆ. S. P. Q. R.
9. Caput. NERO. CLAVD. CAES. AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P.
DECVRSIO. Bini equites decurrentes.
10. Caput. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P.
Portus Oſtienſis. POR. OST. AVGVSTI.
11. Caput. IMP. OTHO. CAESAR. AVG. TR. POT.
Imperator milites alloquens. ADLOCVT. S. C.
12. Caput. IMP. OTHO. CAESAR. AVG. TR. POT.
Imperator milites ad aram alloquens. SECVRITAS. P. R. S. C.
13. Caput. IMP. OTHO. CAES. AVG. P. M. COS. II.
Imp. tribus militibus manum porrigens SPES. AVGVSTA. S. C.
14. Caput. A. VITELLIVS. GERMANICVS. IMP. AVG. P. M. TR. P.
Mars gradiens. SC.
15. Caput. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P COS. III.
Imp. mulieri geniculanti manum porrigens, ROMA RESVRGENS. S. C.

16. Duæ figuræ ſtantes HONOS. ET. VIRTVS. S. C.
Mulier captiva palmæ aſſidens. IVDAEA. CAPTA. S. C.

17. IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. Cap. Imp. inſidens Spoliis Judaicis DIVO. AVG. T. DIVI. VESP. F. VESPASIAN. S. C.

18. Caput. IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII.
Amphitheatrum.

19. Caput. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XVII. CENS. PER. P. P.
Imp. ſedens in templo &c. PONT. MAX. TR. P. VIII. LVD. SAEC. SVF. P. D. S. C.

20. Caput. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. II. P. P.
Imperator ſedens & diſtribuens. CONGIAR. P. R. S. C.

21. Caput. IMP. CAES. NER. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. COS. V. P. P.
Tiberis ſedens AQVA TRAIANA. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI.

22. Caput. HADRIANVS. AVGVSTVS.
Imp. milites alloquens. FID. EXERCIT.

23. Caput. HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P.
Navis FELICITATI. AVG. COS. III. P. P.

24. Caput. L. AELIVS. CAESAR.
Imp. ſedens adſtante fœmina, PANNONIAE. CVRIA. AEL. SC.

25. Caput L. AELIVS. CAESAR.
Victoria ſedens.

26. Caput. OCTIAIOC. MAPKEΛΛOC. O. IEPETC TOY. ANTINOOY.
Mercurius cum Pegaſo TOIC. AXAIOIC. ANEΘHKE.

27. Caput. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XVI.
Fœmina ſedens adſtante alia cum Cornu copiæ. ANNONA. AVGVSTI. CERES. S. C.

28. Caput. AVRELIVS. CAESAR. AVG. PIVS.
Jupiter ſedens & Imp. ſtans. TR. P. VIII. IMP. IV. COS. III. P. P.

29. Caput. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIX.
Victoria ſedens cum clypeo VIC. AVG. IMP. VII. COS. III.

30. Caput. FAVSTINA. AVG. ANTONINI AVG. PII. FIL.
Templum cum ſex figuris fœmin. S. C.

31. Caput. L VERVS. AVG ARM. PARTH. MAX. TR. P. VIII.
Homo ad portam urbis ſedens adſtante Pallade. VIC. AVG.

32. Caput M. COMMODVS. ANTONINVS AVG. PIVS. BRIT.
SALVS ſedens. P M. TR. P. X. IMP. VI. COS. III. P. P.

33. Caput. IMP CAES. P. HELV. PERTINAX. AVG.
Fœmina ſtans, PROVIDENTIAE. DEORVM. COS. II. S. C.

34. Ca-

34. Caput. IMP. CAES. M. DID. SEVERVS. IVLIANVS. AVG. P. P.
Imp. in curru triumphali. COS. II. S. C.

35. Cap. CLOD. SEPT. ALBIN. CAES.
Roma ſedens. ITALIA. S. C.

36. Caput. SEPTIMIVS. SEVERVS. PERTINAX. AVG. IMP. VII.
Mars ſtans. P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P.

37. Caput. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. P. M. TR. P. XVI.
Imperator in quadriga. IMP. II. COS. III. P. P. S. C.

38. Caput. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG.
Sacrificans SACERD. DEI SOLIS. ELAGAB.

40. Caput. Herculis.
Hercules ſtans, cui fœmina adfert fatale induſium. HB. i. e. Hercules Baſſianus, qui ſocius Cavini fuit.

41. Caput. ΟΜΗΡΟΣ.
Variæ figuræ.

42. Caput.
Cerva paſcens. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ.

23. Duo Capita. ALEXAND. BASSIANVS. ET. IOHAN. CAVIEVS. PATAVINI.
Ceres cum libro & Cornu copiæ. LEGIFERAE. CERERI.

44. Caput. FRANC. QVIRINVS.
Lupa lactans Romulum & Remum. PERPETVA. SOBOLES.

45. Caput. LVCAS. SALVIONVS. PAT. IVR. CON.
Caput. MARCVS. MANT. BONAVIT. PAVIN. IVR. CON.

46. Caput. ANTONINVS. PASSERVS. PATAVIN.
Fœmina ſtans. SVPER. ASPIDEM.

47. Splendidum ædificium. ΜΑΥΣΩΛΕΙΟΝ.

48. Caput. ANTONINA. AVGVSTA.

49. Caput. IMP. OTHO. CAES. AVG. TR. P.

50. Caput. M. T. CICERO.

51. Caput. Salvatoris. EGO. SVM. LVX. MVNDI. 1581.

Huc etiam faciunt excerpta illius epiſtolæ Ammerbachii. J. C. Baſileenſis ad Guiliel. Stukium Theologum Tigurinum & Jo. Jac. Rugerum, Eccleſiaſtem Schaphuſianum, quæ Patinus inſeruit *Hiſtoriæ Numiſmatum Cap. XX.* Verba hæc ſunt. *Valerius Bellus, Vicentinus, qui intra annos 30. aut 40. obiit* (hæc autem ſuperiori ſæculo ſcripta ſunt, cum ipſe Amerbachius peripnevmonia obierit 26. Apr. 1591.) *numos veterum Græcorum & Romanorum cum reverſis ſuis, affabre & elegan-*

eleganter incidit : unde formæ plurimæ hinc inde diſtractæ ſunt, quarum ad 50. numero habet quidam Germanus Venetiis habitans, ni fallor, nomine König. Ectypos cereos nuper aurifaber Venetiis huc Baſileam veniens, ex iis deſumtos mihi oſtendit. Solonis numiſmata fecit, ut & Palamedis, Catonis Uticenſis, Corn. Scipionis, Platonis, Mariæ cum Joſepho & Franciſco, Phäetonis, Pauli inter mares & fœminas prædicantes, Pacis, Alexandri: Dido quidem ab alio artifice ſculpta eſt. Fecit etiam Miltiadem & Ipſicrateam Reginam cum ſacrificio.

Ratio Nummorum antiquorum Ἐκτυπώματα conficiendi, ichthyocollæ ſive glutinis ex piſce, quem *antaceum & buſonem* vocant, beneficio; quam R. P. Jobertus commonſtravit Dno. Morellio, qui iſtam poſtea vulgavit in *ſpecimine Rei numariæ Antiquæ*: ob ſingularem utilitatem hic addita ipſiſſimis Dni Morelli verbis.

SCindatur ichthyocolla in tot partes, quod ſufficere videbuntur inſtituto, iisque ſuperfundatur tantum aquæ, ut omnes partes intingantur, & aqua aliquantum ſuperabundet: lento dein hæ admoveantur igni, ut ſenſim liqueſcant, indeque, gluten temperatum & tractabile exiſtat; quod, ut pellucidum reddatur, lente coquendum, & ſpatula deſpumandum eſt. Juſtæ tenacitati redditus iſte liquor, igne removendus eſt & paulatim refrigerandus: & tum nummo illinendum eſt gluten iſtud tepidum, ita quidem, ut & omnino tectus ſit eo numus, & liquor ſuperimminens craſſitiem thaleri æquet: aeri deinceps temperato, & nec calido nimis nec frigido expoſitus glutine veſtitus numus, ubi hoc ſolidum fuerit & ſiccum ſponte induratum hoc tegumentum abjiciet, aut ab eo levi opera poterit ſolvi; quod exactiſſime typi, quem veſtiverat formam referet, jamque ſiccum quovis ferri, & epiſtolis incluſum, quovis mitti poterit. Sed aureis tantum atque æneis numis iſte ectyporum conficiendorum adhibeatur modus; ſiquidem damno meo aliquoties didici, ichthycollam hanc particulam & ut ita dicam, ſupremam cuticulam argenti detraxiſſe, adeoq;

numi elegantiam corrupiſſe : quod interdum etiam æneorum vernici ſeu ærugini contingere ſolet, niſi hæc firma ſatis ſit & dura.

Vinum equidem ſublimatum ſive aduſtum, aquæ loco affuſum, nitidius reddit ἔκτυπον. Sed haud leve ſubeſt periculum, ne liquoris iſtius acrimonia numi corrumpantur.

Si nummi minus extantes ſeu ἀνάγλυφοι ſint, ut glutinoſa maſſa omni ex parte tecti non fuerint, prius infuſæ & refrigeratæ ſolidiorique redditæ ichthyocollæ, ſuperinfundi poterit novus liquor, ut loca numi eo antea non tacta contegantur.

Quo major numus, eo ſpiſſior & copioſior ſuperinfundendus erit liquor.

Idem liquor colore aliquo ex ſuccis confecto tingi poteſt, vel croceo, vel viridi, vel alio: verum quoniam iſtis coloribus ſæpe numero multum terreæ materiæ ineſt, ductus in numis teneriores iis velut obſtructi, non ſatis exprimi cognoſcive poſſunt in ectypis, ut præſtet e ſolo eoque depurato glutine ſeu ichthyocolla ea confici.

Una numi facie iſtum in modum expreſſa, idem modus tenendus eſt in altera, & quævis earum numero ſignanda eſt, ut ſemper cognoſci poſſit, in qua una vel altera figura extiterit.

E membrana ſeu charta pergamena coctum gluten ſi ichthycollæ admiſceatur, ectypa tractabiliora & durabiliora reddi, uſu ipſo didici.

Ectypa demum eum, quem indicavi, in modum confecta, auro argento & ære pictorio incruſtari ſeu illini poſſunt, adeo quidem ſcite, ut ipſam numorum ſpeciem referant, & vix ullum inter hos & iſta diſcrimen obſervetur. In illinendis autem iis hæc ſervanda ratio: Ex glutine confectum ectypon chartæ, vel ſolidiori fundamento affigatur, tenuis dein & puriſſima vernix ſeu gummi obtuſo penicillo leviter ſuperinducatur, & caveatur, ne tenuiores lineæ ductusve numi eo repleantur: ubi autem vernix iſta ſicca ferme evaſerit, inſpergatur ei triti auri argentive, aut æris, vel flavi pulveris metallici tantum, quantum ſufficere cenſebitur, ac dein puro penicillo majore detergatur. Hac ratione integras nummorum ſeries licebit adornare, eorumq; ectypa

pecu-

peculiaribus voluminibus digerere : in quibus autem compingendis cavendum, ne paginæ ſe atterant nimis arcte complicatæ; proindeque ſatius erit, interſeri craſſiuſculos e chartis crebrius complicatis compoſitos veluti laterculos, ex quibus conficiantur margines, qui eminentia ſua prohibeant, ne numi præcedentis paginæ eos, quos ſequens folium exhibet, contingant. Sane recte atque ordine ſic inſtructæ ectyporum ſeries, levi impenſa, tantum voluptatis & uſus præſtabunt, quantum ipſi numi maximo ære comparati congeſtique. Hactenus Dn. Morellius. Eundem modum etiam invenies ap. Dn. de Dairval. in *l'Utilite des Voyages. Part. II. p. 693. edit. Pariſ. An. 1693.*

Sed cuivis facile in ſenſus incurrit, quam laborioſus ſit hic modus pariter ac periculoſus, reſpectu numorum, qui ſæpenumero inde vitium capiunt. Ea propter faciliori inventione eundem uſum præſtare ſatagunt curioſi. Nimirum chartam craſſam, quam Regiam appellant, modice madefactam ſuperimponunt numo ab unaquaque parte. Chartæ denuo imponunt corium ſpiſſum quidem, ſed molliter præparatum, & hæc omnia ſub prælo comprimunt, donec charta iterum exſiccata erit, & tunc apparebit numi ἔκτυπον in charta, ſubtiliſſimos referens ductus. Poſtea ut magis appareat numi forma in charta alba, in extantiori ejus parte, non in impreſſa, lineas & literas atramento diſtingvunt. Quod quivis præſtare valet, etiamſi artis pictoriæ ſit ignarus.

Hoc præſuppoſito, aliud arcanum cum ichthyocolla nunc revelo, quod nulla plane difficultate laborat, & breviſſimo temporis ſpacio, citra omne numi detrimentum parari poteſt. Nimirum ex ichthyocolla jam præparata habent folia in modum chartæ, quibus etiam imprimunt æri inſculptas figuras non aliter ac chartæ, quæ Noribergæ & Auguſtæ Vindel. venales exponuntur. Hæc folia modice madefacta, numo impoſita, & corio munita, eundem in modum, ut de charta dictum eſt, ſub prælo formantur ibiq; ſiccitati redditæ, fideliter ac tenaciter numi formam exhibent, quæ poſtea, ſecundum Dni Morellii inſtitutum auro & argento decorantur. Ne etiam numi periculum ſubſit, dum ichthyocolla nimium numo inhærens ejus ſuperficiem corrumpit, illinitur prius numus oleo quodam ſubtili, quod

propter præli compreſſionem, non impedit, quo minus omnes exprimerentur celaturæ minutiæ.

Tandem ſæpius accidit, quod in Cimeliarchio numi rariores conſpiciantur, quorum ἔκτυπα quivis humanus poſſeſſor concedit, ſi modo expeditior formandi modus numis minus inſidians, eſſet in promtu; nam nuda deſcriptio haud ex aſſe conſulit curioſitati. Eapropter ſequens noſſe juvat adjumentum. Ex ſtanno laminam fabrefaciunt, mediocris reſiſtentiæ, quod vulgo vocatur *Stagniol*; hac lamina inveſtiunt numum, & ſcopina denſa bene perfricant; ita ut omnia figuræ lineamenta ibi expreſſa videas, quod actutum fieri poteſt, ſine omni temporis ac monetæ diſpendio.

OPeræ pretium eſſet Coronidis loco etiam notitiam autorum adjicere, qui in Republ. Literaria ſcriptis rem numiſmaticam illuſtrantibus inclaruerunt; ſed compendii fines jam ſupergreſſi ſumus; ea propter L. B. omnia, quæ hoc in genere deſiderari poſſunt, hauriat quaſi ex fonte, ex *Bibliotheca Numiſmatum antiquorum* Dni *Burcard. Gotthelf. Struvii*, Jenæ impreſſ. 1693. qui libellus, mole quidem parvus, ſed ampliſſimæ collectionis eſt, ac eruditionis.

FINIS.

HNum
R5828d
[Rink, Eucharius Gottlieb]
De veteris numismatis potentia.
24125

DATE. | NAME OF BORROWER.

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

Do not
remove
the card
from this
Pocket.

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File."
Made by LIBRARY BUREAU

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 20 18 09 002 2